Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
C
21
NAPOLI
V- C 21 -
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGII HORNII

HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

LIBRI SEPTEM.

QUIBUS

De origine, ſucceſſione, ſectis & vita Philoſophorum ab orbe condito ad noſtram ætatem agitur.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III NA

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
cIↄ Iↄc LV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſſimo, & Ampliſſimo Viro,

D. WALTERO STRICKLAND,

Armigero, Conſiliario Status Reipubl. Angl.

S. D.

GEORGIUS HORNIUS.

Hiſtoriam Philoſophicam nomini tuo inſcribo, VIR ILLUSTRIS, argumentum ſcilicet Scholaſticum, tibi, in graviſſimis Reip. negotiis ac Legationibus hactenus occupato. Quo magis id alienum, vel à tuo ingenio, vel à mea diſcretione, nonnullis videbitur, quòd umbraticæ ſapientiæ res geſtas, cum ſolida rerum civilium, in quibus excellentem peritiam tuam orbi oſtendiſti, prudentia con-

tendam. Ego vero neque defenſione alia opus me habere exiſtimo, quam illa tua erga quoſvis, tum me imprimis, jam olim cognita perſpectaque humanitate, & quod etiam in ampliſſimo illo faſtigio ac magnitudine deſtinationum, Muſas colere atque promovere non deſinas. Accedunt cauſæ privatæ, quibus ad hoc officii genus me impulſum profiteor, quod cum olim ſtudiis Nobiliſſ. Iuvenis Th. Morgani, quem verè paterno affectu, cura ac ſollicitudine complectebaris, præeſſem, Hagæ in ædibus tuis, ſingulares virtutes tuas, propius inſpexerim. Neque verè aut ego ab eo tempore te colere deſii, aut tu mihi favere, cujus aperta teſtimonia dediſti tum temporis, cum ampliſſima Legatione ad Ordines Belgii Fœderati defungereris. Accipe igitur munuſculum, ſi molem ſpectes, levidenſe; ſi animum, ut tuis erga me impar meritis, ita qualiſcunque gratitudinis & obſervantiæ ad poſteros monumentum, ac me porro tuis cultoribus annumera. Deus te longùm ſoſpitet. Scriptum Lugd. Bat. Kal. Aug. cIↃIↃcLV.

LECTO-

LECTORI

BENEVOLO SALUTEM.

HIſtoriam Philoſophicam, quam nunc tibi exhibeo, BENEVOLE LECTOR, *cum adhuc in rudimentis illis ſtudia mea occuparentur, admodum juvenis, id eſt, viginti annorum, compoſui. Quo minus mirum videri debet, ſi neque argumenti ubertatem exhauſerim, neque ea accuratione, quam res ipſa requirit, cuncta pertractarim. Neque enim eo à me animo tum hæc ſcribebantur ut lucem viderent, & poſtquam flagitationibus Typographi obſecundare, quam moroſè reluctari viſum, malui omnia, ita ut olim prima charta à me concepta erant, relinquere, quam quicquam innovare. Nam & aliæ occupationes majoris, ut mihi quidem videtur, momenti, me à labore illo abſtrahebant, & exiſtimabam, non defore, qui argumentum illud copioſius exactiuſque perſequerentur, quibus, tantum abeſt, ut hiſce pagellis præreptam velim, quam inde ſperant, gloriam, ut me potius & laudatorem operis, & adjutorem, ſi qua poſſim, habituri ſint. Equidem innumera erant, quibus hoc opuſculum & mole ſpiſſius & varietate rerum ornatius reddi potuiſſet: ſed prævertere ad alia viſum, ac eam curam illis relinquere, qui in hoc ſtudiorum genere toti occupantur. Mihi impræſentiarum ſatis fuit viam oſtendiſſe ac præiviſſe aliis, qua ad Hiſtoriam Philoſophicam, ſi tanti videtur, condendam exornandamque porro contendere queant. Quam inter deſiderata hodieque illi,*

Digitized by Google

qui ἐγκυκλοπαιδείαν *affectant, recenſere ſolent. Quanquam enim quædam Plutarchi & Diogenis, Laërtii, aliorumque, eo in genere, extent, haudquaquam tamen amplitudinem hujus materiæ exhauriunt, ſed pauca & confuſa, ſine capite & cauda, trunca ac mutila, paſſimque, inſtar artuum Abſyrti, disjecta fragmina ſunt. Quapropter B.* Keckermannus *cum defectum hunc videret, cap.* VI. *de Natura & Propriet. Hiſtoriæ*: Ego, *inquit*, ſi Deus vitam dederit, ſuo tempore oſtendam; quam nondum recte ſubductus ſit calculus & numerus diſciplinarum, & quam neceſſaria ſit communiſſima illa & ſuprema diſciplina, quam diſtinctionis cauſa libet Catholicam vocare, & ad quam pertinent Hiſtoriæ de ſingularum diſciplinarum inventoribus, propagatoribus, patronis, itemque de libris & Bibliothecis. *Et ibidem plura in hanc rem habet. Eadem ſententia Baconis Verulamii fuit. Nemo tamen hactenus repertus, qui condignam operam eo in labore collocaret, cujus delectabilem voluptatem vix ſatis deprædicare poteſt Tullius lib.* 2. *de Legg. apud quem Atticus:* Me, *inquit*, ipſæ illæ Athenæ non tam operibus magnificis exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum, ubi quiſque habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſeque eorum etiam ſepulchra contemplor. *Etiam Claudianus id in Mallio Theodoro vehementer commendat, quod antiquorum Philoſophorum Hiſtoria delectatus fuerit. Ita enim in ejus Panegyrico:*

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo,
Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.
Namque aliis Princeps rerum diſponitur aër,
Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis,

Digitized by Google

Atque ut de inſtituto meo pauca addamus, in Originibus vocabulorum aliquot ingenio juvenili indulſi, & ex Oriente illa derivare, exemplo magnorum virorum, conatus ſum. Quam feliciter, tuum erit judicare: nam me quod ſpectat, adeo jam ejus περιεργίας tædium & averſatio cepit, ut propterea ne quidem manum verterim. Stultum enim eſt, *ut Scaliger loquitur,* rebus relictis, conſeneſcere in verbis. *Omnem Hiſtoriam Philoſophicam diſtinxi in* veterem & novam. Veterem *voco illam quæ nunc in deſuetudinem, magna ſui parte, abiit. Eam definio limitibus ſuperioris ſeculi, quo in Philoſophia Scholaſtica & Gabriele Biel exſpiravit.* Nova *eſt, quam hodie ingenia Philoſophantium, in diverſas ſciſſa ſectas, excolunt. Atque hanc obiter tantum & pauciſſimis tetigi, reſervata uberiori ejus tractatione in aliud tempus. Nam ſi ullum ſeculum, certe noſtrum,* Philoſophicum *appellari poteſt, ita plerorumque curæ ad novam aliquam Philoſophiam abripiuntur. Habent nimirum etiam ſtudia ſuas periodos. Renaſcentibus literis* Philologia *in pretio erat &* Criſis. *Ut quiſque ingenio maxime promtus, ita ad emendandos & illuſtrandos authores priſcos animum applicabat. Id ſtudium cœpit in Eraſmo Roterodamo, excelſiſſime floruit ſub Scaligero, Caſaubono, Lipſio; in Salmaſio & Heinſio defecit, paucis quibuſdam ſuperſtitibus, cum quibus planè deſiturum videtur. Huic ſuccedit noſtra ætate Periodus* Philoſophica, *quæ à Ludov. Vive, Franciſco Patritio & Petro Ramo initium ſumſit, exculta eſt à Thoma Campanella, Petro Gaſſendo, Helmontio, Renato des Cartes, Th. Hobbes, aliiſque, qui vel veterum obliterata dogmata revocarunt, vel nova excogitarunt. Ita hodie certamen Philoſophicum cernitur, ac ingenia ſtudentium, neglectis literis humanioribus, velut ſirenum cantu, ad illos ſcopulos abripiuntur. Quam bene vel malè, nunc non diſputo. Mihi ſemper placuit illud Iac. Scheckii lib. 1. Demonſtr.* Ego quidem ſic judico, tum demum fore quietas ac beatas Eccleſias, ſi aut Philoſophi

veri.

veri dent operam Theologiæ, aut Theologi Philoſophentur piè. *Et in Epiſt. dedicat. libri contra Arianos:* Verè hoc mihi dicturus videor: niſi accuratius homines incipiant Philoſophari, fore, ut nullus ſectarum, nullus errorum futurus ſit finis; quandoquidem hac ignoratione accidat, ut neque accipere legitime, neque reddere rationes diſputatores valeant. *Quæ Philoſophia, ſicut & naturalis eſt & antiquiſſima: ita illa Sophiſtica, cujus ars tota verſatur in meris notionibus, figmentis, ac Chimæris intellectus, in λόγων σκινδαλμοῖς, & neſcio quibus aliis, quorum omnino nullus eſt uſus, & quæ, ut Senecæ verbis utar,* nec ignoranti nocent, nec ſcientem juvant. *Sed finem faciam, ubi prius id monuero, irrepſiſſe hinc inde σφάλματα quædam, quod in confuſiſſimarum chartarum lectione ſubinde hallucinaretur Typothetæ induſtria, nec omnia ad minutias uſque corrigere paterentur crebræ interpellationes & avocamenta. Itaque, ſi tranſpoſita vocabula quædam Hebræa, vel Græca malè expreſſa, vel in Latinis hiatum, deprehendas, tuum erit emendare. Ego verò tenuitatem hujus opuſculi, Deo vires largiente, utilioribus in publicum meditamentis compenſare conabor. Interea hiſce fruere & Vale, Amice Lector.*

HISTO-

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Origo vocis Σοφὸς à SVFES Punico. Inde Philoſophia. Sapiens à Saſan vel Zaphan. De ea antiquorum opiniones, Platonis, Pythagoræ, Hermetis. Virginis aſtro nati Chaldæis Sapientiæ ſtudioſi. Vtilitates hujus Tractationis quæ?

DE SAPIENTIA commentari animus fert, ejuſque Origines aperire viſum, & quia res meretur, & quia nulli, quod ſciam, plenè pertractata: nobis vero otium hoc æſtivum, ubi omnia calore nimio ambuſta ſunt,

καχρύ τε σῆμα τέτυκται:

ad cætera ſtudia animum eripit, huic donat. Agamus autem, ut in hiſce talibus fieri debet, ſine ullo verborum apparatu, contenti ſola veritatis inquiſitione, qua nullum ſapientiæ amicius numen eſt; ſeptem libris, totum opus abſoluturi.

Igitur quod Ebræi חכמה, σοφίαν Græci, Latini ſapientiam appellant. *Gell.* lib. 13. cap. 8. Neque vero Ebrææ vocis Origines quærimus, quod & fruſtra fieret, ac ſine ratione ſuſciperetur. Nulli enim Linguæ ullam vocem acceptam refert antiquiſſima, à qua cunctæ gentes, tanquam ex fonte, ſuos hortulos irrigarunt; ipſa ſuis opibus nitens, nil indiga, ſemper eadem, ſemper ſua permanſit. Græci verò ut omnia divina & humana ex Oriente acceperunt, ita & vocum origines frequenter non aliunde arceſſendæ veniunt. Quanquam ut gens illa ſibi φίλαυτος, cæteris infenſa & invida eſt, vereor ne malam gratiam pro bono facto reportem.

SUFES dictum volunt Pœnorum Lingua Summum Magiſtratum: ut Oſcorum *Medyx*. *Feſtus* & alii. Meminit *Seneca* lib. de tranquill. cap. 3. *Non vis niſi conſul aut Prytanes, aut Ceryx, aut SUFES adminiſtrare Rempublicam.* Scaliger in Feſtum à צפה deducens, idem eſſe vult quod Græcis ἔφορος ſive ἐπόπτης aut ἐπίσκοπος eſt. Et ſane vox צפה proprie reſpicit Sapientes, notat enim ſpeculationem accuratiſſimam. Pſ. 5. ſumitur pro diſſertatione de re ſublimi, verſ. 4. ubi אצפה. Alii à שפט: ut *Seldenus* de Diis Syris, Prolegomeno 2. Quod in medio relinquimus, quia, ut dictum, Orientis vox eſt, quales non ſine periculo ab aliis deducuntur. Illud volumus, Originem vocis Σοφὸς aliunde petendam non eſſe quam à SUFES Punica voce, qui, ut notum, linguam ſuam ab ipſis Syrophœnicibus ſive Cananæis hauſerunt. *Scalig.* in Notis vel fragm. veterum. *Voſſius* lib. 1. Gramm. cap. 9. lib. 1. de Anal. cap. 9. & cap. 12.

Olim non niſi Sapientes viri Rerumpubl. habenis admovebantur, quos ad faſtigium hujus Majeſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. *Iuſtinus* l. 1. Hiſtor. Unde ἀρχειν & ἀριστεύειν.

Ut

Ut SUFES non amplam tantum dignitatem, qualis in ſummo Magiſtratu, ὃν πάντες ὡς ἥρωα τιμῶσι, ſed & inſignem ſapientiam, qualis in Magiſtratu eſſe debet, reſpiciat. Tales in Græcia SUFES erant antiquiſſimis temporibus, Charondas, Solon, Lycurgus, cæterique νομοθέται, Sapientes ſimul & Magiſtratus. Ut dubium non ſit, quin inde Σοφὸς deſcenderit: unde poſtmodum ſapio, ſapiens, ſapientia oritur. Niſi tamen & heic Orientem conſulere velis, & cum Camerone Myroth. c. 2. Matth. vocem Σοφοὶ ab Ebræo אצפים deducere, vel cum aliis à צפן quod eſt texit, obtexit, Græcis καλύπτειν, à quo non longe abeſt, quod idem notat, צפן. Cui eo impenſius favemus, quod ipſi Joſepho, quo ſapientiorem Ægyptus non vidit, inde nomen. Dictus enim צפנת פענח, quod quid ſit, infra lib. 2. memorabimus. Nunc hoc ſolum volumus, à צפן vel potius צפן commode deduci Sapiens. Tales enim reconditam ſapientiam ab omni ævo ſibi arrogarunt, eamque miris involucris occultabant. Et Perſarum reges hodierni *Sophi* appellantur, quod Deorum interpretes & ſapientes ſignificat. *P. Iovius* lib. 13. Hiſt. Idque rectiſſime. Nam صوفى Arabibus eſt Sophus, ſapiens & religioſus, ſive à Σοφὸς, ſive à lana, & peculiariter eum notat qui res divinas, & quæ ad amorem Dei ſpectant, viſibilium rerum figuris adumbrat. Talis cum eſſet Iſmaël, imperantis familiæ conditor, Sophi appellati ſunt. Inde dicta Φιλοσοφία, ab amore ſcilicet quo eam cuncti proſequimur, ut *Cicero* lib. 1. de Legg. & *Auguſtinus* lib. 3. Confeſſ. cap. 4. docent. Sive ut *Apulejus* l. 3. de Philoſophia vult à ſtudio ſapientiæ. Dicimus tamen etiam, multitudinis numero, Philoſophiæ. *Gellius* lib. 5. cap. 3. ait de Democrito & Protagora: *abduxitque eum ſtatim ſecumque habuit & ſumtum miniſtravit & Philoſophias docuit, & eſſe eum fecit qualis poſtea fuit.* & lib. 4. cap. 1. ubi ineptus Grammaticus inquit: *Philo-*

ſophias ego non didici nec diſcere appetivi. Cujus quodnam apud antiquos territorium, quæ dignitas fuerit, nunc dicendum eſt.

PLATO in Theage definit eam *μελέτην τȣ̃ θανάτȣ*, ex quo Cicero in Somn. Scip. *Tota* inquit *Philoſophorum vita commentatio mortis eſt.* & lib. 5. Tuſc. Quæſt. de Philoſophia: *Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es & terrores mortis ſuſtuliſti.* Quæ tamen Interpretes non ſatis ex authorum mente, de ſola morte morali, qua mens à corpore ſeparatur, intelligunt. *Ammon.* præfat. in Porphyr. *Macrob.* lib. 1. in Somn. Scip. cap. 13. Nam & ad naturalem, quam vocant, mortem, per Philoſophiam ſe præparabant, ut exemplis Socratis, Catonis, & aliorum demonſtrari poteſt. Illis conſonat *Apulejus* l. 2. de Philoſophia Morali. *Philoſophum oportet nihil ſic agere quam ut ſemper ſtudeat animam corporis conſortio ſeparare, & ideo exiſtimandum Philoſophiam eſſe mortis affectum, conſuetudinemque moriendi.* Pythagoras verò finem omnis Philoſophiæ cenſebat eſſe contemplationem & cognitionem veritatis. Quod de principio principiorum Architas, natura intelligente ac ſempiterna Plutarchus, divina majeſtate Simplicius intelligebant. Vide *Cic.* lib. 1. Tuſc. Quæſt. *Auguſt. Eugub.* lib. 10. de per. Philoſ. cap. 9. & 11. l. 8. c. 8. A quibus nec in Phædone Plato, qui omnia ſua Pythagoricis debet, diſſentit. Qui & ipſe φιλοσοφίαν vocabat ὁμοίωσιν θεȣ̃ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ. *Apulejus* lib. 2. de Phil. Morali. *Sapientiæ finis eſt, ut ad Dei meritum Sapiens provehatur, ut æmulatione vitæ ad Deorum actus accedat.* & mox: *Sapientem quippe pediſſequum & imitatorem Dei dicimus & ſequenter arbitramur Deum.* Longius HERMES lib. περὶ Ευσεβ. καὶ φιλοσοφ. progreditur, qui ἀδύνατον εἶναι ἄνευ φιλοσοφίας εὐσεβῆσαι aſſerit. Cæterum, quia inſtituti noſtri non eſt, eulogia Sapientiæ conſcribillare, mitto, conten-

contentus monſtraſſe pomœria ac fines quibus ab antiquis incluſa eſt. Illud conſtat, ſumma omnia divina & humana Philoſophiæ adſcripta, qua altiorem & ſublimiorem ſcientiam non noverant. Unde & Θεολογία dicta & ejus myſtæ Θεόλογοι, ſive, ut in Oriente loquebantur, חכמים. De quo infra lib. 2. cap. 3. pluribus differendum eſt. Quæ igitur diſciplina de Diis eorumque natura, rebus naturalibus ac differendi arte agebat: quæ morum doctrinam cum Matheſi & ſermonis elegantiam tradebat, ea, ὡς ἐν τύπῳ, ab antiquis illis Sapientia ſive φιλοσοφία dicta eſt: cujus quæ incunabula fuerint & qui ortus, quæ incrementa & decrementa, prolixius paulò repetendum eſt. Illud addo, ſuperſtitionem veterum, quæ à Chaldæis originem & nomen habet, tradidiſſe, Virginis aſtro natos, eloquentes pariter & ſapientes fore. *Manilius*, ſive ut alii *Manlius* vel *Mallius*, qui non Auguſti, ut putarunt, ſed Theodoſii demum ævo vixit, lib. 4.

At quibus Erigone duxit naſcentibus ævum
Ad ſtudium ducit mores & pectora doctis
Artibus inſtituit.
Illa decus linguæ faciet, regnumque loquendi,
Atque oculos mentis, quo poſſint cernere cuncta,
Quamvis occultis natura condita cauſis.

Ex qua tractatione vel illud utilitatis capient Sapientiæ ſtudioſi, quod ipſam, cujus amore flagrant, melius diſcituri ſunt, ab ultima antiquitate ejus videntes repetitas Origines. Nam de voluptate nihil dico, quam Atticus apud Ciceronem lib. 2. de Legg. magnifice deſcribit: *Me quidem*, inquit, *illæ noſtræ Athenæ, non tam operibus magnificis, exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum, ubi quiſque habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſeque eorum etiam ſepulcra contemplor.* Ipſe Irenæus libro ad Florinum non ſine

gaudio ejuſmodi Hiſtorica memorat. Ita enim inquit apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 20. *locum ipſum tibi dicere poſſum, in quo ſedens diſputabat beatus Polycarpus, & inceſſum illius & vultum ac totius vitæ modum & ipſam quoque corporis habitudinem.* Et dixerim, vix accuratius de ingeniorum varietate (quæ locorum quoque ſitus format. *Curt.* lib. 8. cap. 9. de Indis, *Iuſtinus* lib. 2. de Scythis) judicium fieri poſſe, quam ex hac Hiſtoriæ Philoſophicæ, ac Sapientiæ Veterum, tabellâ. In qua tamen, quod nemo ignorare debet, *plus operæ*, ut Quintil. lib. 1. Inſt. cap. 4. inquit, *quam oſtentationis ponemus.*

CAP. II.

Sapientiæ origo à Deo. Explicatur locus Eccleſiaſtici cap. 1. v. 24. ἐκλεσοκ. κλίζω. Philoſophia naturalis, etiam ſecundum antiquos. Paradeſus. Rejicitur Platonis, Ariſtotelis, & I. Huarti opinio. Cauſa lapſus Angelorum quæ? Δαίμονες qui & unde? Diabolus Sophiſtices autor. Quid ſignificet illud ידעי טוב ורע*, quid item* כאלהים *exquiritur.*

SApientiæ natales omnibus ſeculis fuere qui ſtudioſius inquirerent, ſed diverſis progreſſi viis: illud fatendum, eas antiquis gentilium Philoſophis non multum clariores fuiſſe, quam Nili origines. Ubi tamen, priuſquam progrediamur, rejicimus Calumnias *Corn.* Agrippæ, qui omne ſcientiarum & artium genus ut malum & à Dæmone in perniciem hominum repertum arguit, c.1. de ſcient. vanit. ut & *Sext.* Empirici, qui omnes artes bonas elevare conatus eſt. Nos ἀπὸ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν inquiſitionis initia ducamus, Scriptura & duce & auſpice. Quæ docet omne bonum à ſummo bono, quem vocamus Deum, maximè vero ſapientiam, profluxiſſe. Unde & μόνος σοφὸς θεὸς appellatur, ex cujus plenitudine omnes accepimus. Joh.1.16.& peculiariter חכמה Prov.1. & 8. à Chaldæis, quos Johannes imitatus eſt מימר ſive λόγος, ut & lux illa

vera

vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Joh. 1. 9. Vide & Ex. 31. verſ. 3. 2 Chron. 1. verſ. 12. Dan. 2. 21. *Dat ſapientibus ſapientiam. Qui irritas facit cogitationes aſtutorum, ut non perficiant manus eorum quicquam. Qui deprehendit ſapientes in aſtutia ipſorum, adeò ut conſilium reluctantium præcipitetur.* Job. 5. verſ. 12. 13. Et divinas has Sapientiæ origines etiam Lucretius lib. 5. agnoſcit. Hic æternus Deus ſapientiæ dona ampliſſima Angelis & hominibus ſuis concreavit, quibus tanquam præfectis ſuis mundum commiſerat regendum, quod ſine ſapientia fieri non poterat. Quo reſpexit author Eccleſiaſtici cap. 1. verſ. 4. προτέρα πάντων ἔκτισαι σοφία. Ubi fruſtra ſunt qui mutandum putant ι in η ut fiat ἔκτησαι: ut & Prov. 8. verſ. 22. in LXX. verſione. Non enim Græci ἔκτησαι dicunt, ſed ἐκτήσατο, ut Aquila vertit. Et certum eſt autorem Eccleſ. reſpexiſſe ad verſionem LXX Interpr. Prov. 8. 22. Multo illi intolerabiliores, qui per σοφίαν legem intelligunt. Quaſi cap. 1. & cap. 24. verſ. 26. de una & eadem re ageretur. Neque nobis, qui Chriſto nomen dedimus, opus eſt ad Judaicas fabulas recurrere. Qui ſeptem, inter quæ & Lex, ante mundum condita dicunt: גן עדן תורה וצדיקים וישראל וכסא הכבוד וירושלם ומשיח. De quo commento vide *Munſterum* ad 1. cap. Geneſ. Sed ſermo eſt de Sapientia, qualis concreata eſt creaturis intelligentibus, ut ex contextu patet. Ita enim vox κτίζειν, cum de re nova, magna, & miranda agitur, Helleniſtis accipitur; quod *D. Heinſius* cap. 23. ad Nonnum notavit. In Geneſi dicitur hominem creatum בצלם אלהים ſub qua imagine etiam ſapientiam comprehendi notum eſt. Id quod & ex ὀνοματοθεσία patet, quam ſummæ opus ſapientiæ eſſe, antiqui non ignorarunt. Unde efficitur Philoſophiam primo homini NATURALEM fuiſſe, quod non mirabitur is qui apud Solinum cap. 17. legit: *Thraces ex quadam NATURA-*

TVRALIS SAPIENTIÆ diſciplina conſentire omnes ad voluntariam mortem. Sic Juvenal. Sat. 14. *Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.* Juſtinus lib. 2. Hiſt. de Scythis: *prorſus ut admirabile videatur, hoc illis NATVRAM dare, quod Græci longa Sapientum doctrina præceptiſque Philoſophorum conſequi nequeunt, cultoſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari.* Octavius apud Minucium: *omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis & ſenſus capaces & habiles procreati, nec fortuna nacti ſed natura adepti ſunt ſapientiam.* Nam Ariſtotelem quod attinet, is lib. 1. Rhet. cap. de Jucunditate, *diſcendo,* inquit, *venitur in eum ſtatum qui animo noſtro eſt NATVRALIS.* Stoici quoque ad ravim uſque inclamabant: φύσει τὸ δίκαιον εἶναι καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, *Laërt. Plut.* & imprimis *Cicero* lib. 1. de Legg. Ubi quid ὀρθὸς λόγος ſit illi noverunt, qui eorum κοινὰς ἐννοίας καὶ καταλήψεις non ignorant, de quibus alibi. Magnifice, ut omnia, *Cicero* lib. 2. de Fin. *Sic ad intelligendum NATVS eſt homo, quaſi mortalis Deus, ut ad curſum equus, bos ad arandum, atque ad indagandum canis.* Et Quintil. lib. 1. Inſt. Orat. cap. 1. *Sicut aves ad volandum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria eſt mentis agitatio atque ſolertia, unde Origo animi cæleſtis creditur.* In illo igitur orbis Theatro conſtitutus ADAM, nihil, quod ad naturæ abſtruſa pertinet, ignoravit. Omnium animalium naturas, herbarum vires, rerum cauſſas exacte & ſine errore ſcivit. Lumen rationis, quam nunc Dialecticam vocamus, illibatum prorſus & ſine nebula, prælucebat rerum obſcuritati, &c, ſi quæ erant, diſpellebat tenebras. Jam Oeconomiæ & Politicæ ſumma erat ἀκρίβεια: homo vero tum vel maximè ζῶον πολιτικόν. Quod antiqui Mythici aureo quodam ſeculo, ubi *Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebant*, adumbrare ſolent & ob oculos ponere. Locus nobiliſſimæ hujus Philo-

Philoſophiæ in ſacris גן עדן appellatur. Nihil enim illa, quæ ex rerum contemplatione capitur, voluptate excellentius datum, ab Opt. Max. Deo, humano generi. Chaldæi פרדס, Græci eos ſecuti παράδησον vocant. Vulgo, ut benè monuit *Cl. Fr. Iunius*, non rectè παράδεισος ſcribitur. Utrovis autem modo ſcribatur, liquet potius Latinis ſcribendum eſſe *Paradeſus*, quam, quod ex corrupta Græcarum vocalium pronunciatione ortum eſt, *Paradiſus*. Sane Zeri in פרדס ipſiſſimum η Græcorum refert. De quo tamen non eſt cur diu extra oleas vagemur. Uti nec propoſitum nobis eſt diſquirere: cur arbor ſcientiæ boni & mali ita dicta ſit? Eorum rejeciſſe ſententiam, qui *formaliter* & *effective* (ita enim loquuntur) ſcientem fuiſſe volunt, ad ſcopum noſtrum ſufficit. Illud certiſſimum, ſedem ejus fuiſſe Meſopotamiam, Felicem Arabiam, & Syriæ partem orientalem, Damaſcum verſus. Neque ad ipſum modo ADAMUM hæc Naturalis Philoſophia ſpectabat, ſed & Natos Natorum & qui ab iis naſcituri erant, quanquam diverſo modo. Quod enim ἀμέσως ab ipſo Deo acceperat, ipſi per traditionem patris, accedente gratia Dei ſpeciali & ingenii omnium capacis vigore, accepturi erant, ſine ulla tamen difficultate & moleſtia. Scholaſtici tamen dicunt, quod infantes, ante lapſum nati, habituri fuiſſent non quidem ſcientiam ſecundum actum, propter humiditatem organi, ſed habitum omnium ſcibilium per naturam innatum ſibi in anima. *Albertus Magnus* in 2. Sent. diſt. 21. art. 7. & diſt. 23. art. 1. Ex quo patet nobis non probari ſententiam *Platonis* in Philebo, qui animum hominis comparat libro cuidam, in quo nihil ſcriptum, omnia autem ſcribi poſſunt: neque *Ariſtotelis*, qui lib. 3. de anima, text. 14. eum ſimilem eſſe vult tabulæ raſæ pictoris: quibus ſententiis recte Stoici oppoſuerunt κοινὰς ἐννοίας καὶ καταλήψεις, quas Cicero

B *notiones*

notiones vocat. Quod vero *Ianus* Huartus in Scrutinio ſuo inquit: *Adam ſi in terreſtri Paradiſo vixiſſet, nulla arte mechanica, neque aliqua earum ſcientiarum, quæ nunc prælegũtur in Scholis, opus habuiſſet:* id ſi de corrupta Philoſophia, quam & Paulus ad Col. 2. 8. rejicit, & Scholaſtici ſtrenuè exercent, aut ipſo παιδείας τρόπῳ intelligatur, verum eſt. Nam alias apud antiquos quoque Ethnicos opinio erat, hominem ideo conditum ut cœlum contemplaretur, quemadmodum cuidam Anaxagoras reſpondit, irriſus propterea (quam rectè nunc non diſputo) à Lactantio. Sic Naſo:

Os homini ſublime dedit cœlumque tueri
Juſſit.

De quo etiam *Cicero* 1. de legibus videri poteſt. Quanto autem homines ante lapſum ſciendi deſiderio flagrarint, non aliunde melius colligitur, quam ex triſti lapſus noſtri hiſtoria. Eadem de Angelis malis ſuſpicio nobis eſt, quod, cum ſcientiæ affectatione ipſum præ ſe Deum contemnerent, omni felicitate exciderint. Cauſæ imprimis duæ cur ita ſtatuamus. Prima eſt, quod hoc veluti firmiſſimo ad expugnandum hominem telo uſi ſunt. Sciebant quippe, unum illud fuiſſe cui & ipſi ſuccubuerint. Altera, quod inde potiſſimum Δαίμονες vocentur. Quæ vox, quanquam ut μέσως ab antiquis crebro uſurpetur, tam de bonis quam malis Angelis (unde Stoici definiunt ὀσίας ψυχικάς. *Plut.* l. 1. de placit. c. 8.) tamen potior nobis eſt *Euſebius* l. 4. περὶ π. c. 3. & *Danæus* qui Comment. ad c. 60. *Aug.* Fach. ad Laurent. reprehendit eos qui duo Dæmonum genera faciunt, bonum & malum, cum vox Δαίμων ſemper in malam partem ſonet, etiamſi à ſcientia dicatur, quaſi Δαήμων. Ut ex hoc etymo Δαίμονες idem ſint quod ידענים de quibus Levitici 20. & alibi. Et ipſe Apollo, id eſt, Δαίμων interrogatus quomodo ſibi ſupplicari vellet, reſpondit:

Παν-

Πάνσοφε, παντοδίδακτε, ἐνολοίστροφε κέκλυθι Δαίμων.

& σόφε Δαίμων apud Lactantium lib. 1. cap. 7. Idem lib. 2. cap. 17. Dæmonum inventa eſſe Aſtrologiam & aruſpicinam & augurationem, & oracula & necromantiam & artem magicam oſtendit. Sed Etymon hoc quanquam & concinnum ſatis ſit & traditum à Platone in Cratylo, approbatum à Lactantio lib. 3. cap. 15. *Dæmones Grammatici dictos ajunt quaſi* Δαίμονες, id eſt, peritos ac rerum ſcios, *Euſebius* tamen lib. 4. προπαρ. cap. 3. rejicit, & à δαιμαίνειν, quod terrere ſoleant, (unde & in Scriptura שעירים appellantur) deducit. Utrumque, quia rem magis illuſtrat, conjungimus. Illi igitur Δαίμονες, cœleſti Academia propter ſuperbiam ejecti, peculiarem eamque peſſimam ſectã condidere. Secuti autem ſunt illum qui toties in Scriptura ὁ Διάβολος, & imprimis eleganter à Syro, Matt. 4. 1. אכל־קרצא, Joh. 8. Pater mendacii; alio nomine Σατανᾶς: à Scholaſticis *Lucifer*, falſo tamen & ſine ulla authoritate, ut *L. Danæus* ad cap. 28. *Aug.* ad Laurent. oſtendit, appellatur. Huic nihil antiquius fuit quam ſectam ſuam, mendaciis & dolis, ad plures propagare. Auſus igitur totum genus humanum aggredi, triſte facinus exorſus eſt dejiciendi illud ex ſede & poſſeſſione Sapientiæ. Sed ipſum veteratorem, exactiſſimam Sophiſtæ nequiſſimi ideam referentem, audiamus. Principio Serpente tegitur, quo nec elegantior nec callidior beſtia erat in toto Paradiſo. Tum non virum ſed fœminam aggreditur, cujus præ viro infirmitatem noverat. Inde divinum mandatum non tantum in dubium vocat, ſed & peſſima gloſſa penitus depravat. Ubi, ὡς ἐν παρόδῳ, duo examinanda. Quid ſit illud טוב ורע & quid כאלהים. Voces טוב ורע quo minus in morali ſignificatione accipi queant, cauſas puto has eſſe. Primo: quia Serpens talia homini proponit objecta quæ erant נחמדים, deſiderabilia. At malum, proprie ſic dictum, non eſt

 deſi-

deſiderabile : quippe quod non objicitur intellectui niſi corrupto & malo, neque etiam id voluntas per ſe deſiderat. Secundo: quia majorem perfectionem homini pollicetur. At eam ſub ratione mali polliceri erat prorſus ἄλογον & abſurdum, quam fraudem homo, tanta intellectus luce præditus, ſtatim ſenſiſſet. Tertio : quia homini pollicebatur id quo carebat. At non carebat cognitione boni proprie ſic dicti, quippe conditus ad imaginem Dei, quæ in Juſtitia & Sanctimonia vera conſiſtebat. Eph. 4. verſ. 24. Ergo peculiari quodam ſignificatu, qui rarius occurrit, uſurpatur, pro affirmatione ſive vero, & negatione ſive falſo. Negatio רע appellatur, affirmatio טוב, quia affirmatio prior eſt negatione, ſcil. ſimplicior & æquiparatur Enti, negatio vero privatioque Non-Enti, ut ſubtilitatum Magiſter in lib. 2. de plantis docet. Unde intelligi poteſt quo ſenſu 1. Cor. 8. verſ. 4. & cap. 10. 19. Idolum dicatur nihil eſſe. Nihil: quia non eſt id quod præ ſe fert. Veritas etiam bono, falſitas malo reſpondet, ut ex 3. de anima, textu 34. patet. Humanæ autem Sapientiæ terminus in affirmatione & negatione conſiſtit, ut author Epigrammatis de Est & non eſt, quod inter Virgiliana legitur, non vere minus quam eleganter oſtendir. Significatus vero hujus clarum exemplum datur, Hebr. 5: 14. πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Agit ibi Apoſtolus de graviſſimis rebus καὶ δυσερμηνεύτοις ex ℣ſ. 11. quas ℣ſ. 14. vocat ſolidum cibum, quo utantur ii tantum, qui, quid de quaque re, quid verum, quid falſum, judicare poſſunt. Contra *Horatius* lib. Ep. 7. pro bono & malo dicit verum & falſum :

Certius accipiet damnum propiuſque medullis
Quam qui non poterit verum diſtinguere falſo.

Et :

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Neque alienum illud Salluſtii ad C. Cæſ. de Rep. ordinanda :

nanda : *Ita bonis maliſque dimotis, patenti via ad verum perges.* Quo & illa literionum obſervatio facit, *male* aliquando idem quod *non* ſignificare, ut *male ſobrius*, *male pinguis arena* apud Tibullum, id eſt, arida. Similis phraſis occurrit Gen. 31: 24. ubi Deus interdicit Labano ne cum Jacobo loquatur מטוב עד רע *neque bonum neque malum.* Ut ita ſenſus verborum Serpentis ad mulierem hic ſit : *Intellectus veſter, qui multum ſapientia ab Angelis ſuperatur, tanta ſcientia illuminabitur, ut ſimiles Angelis indubie ſciatis quid de quaque re verum, quid falſum, quid affirmandum, quid negandum ſit.* Conſentit ex parte *Beza* ad cap. 1. Rom. verſ. 21. Nam כאלהים vertendum, *ſicut Angelos*, ex inde patet, quod hanc vocem pluraliter accipi Interpretes fatentur, dum *Munſterus*, *Iunius*, *Pagninus*, & alii ita vertunt : *eritis ſicut Dii*, vel *vos fore ſicut Deos.* Quod, nemo non videt, quanto melius de Angelis quam de Deo, qui ſimpliciſſime Unus, accipiatur. Quanquam *Druſius* cap. 11. ad Geneſin monuerit poſſe quoque in ſingulari numero verti : *ſicut Deum.* Ex ſupra dictis patet, ſolius Philoſophiæ inani pollicitatione, ad lapſum & defectionem homines à Diabolo ſollicitatos eſſe, quod etiam ex voce להשכיל apparet. Vicit igitur improbiſſimus Sophiſta mulierem, ipſa virum, nos autem omnes ex illa Salutis arce omniſque perfectæ Sapientiæ ampliſſimo theatro ejecti, triſtes curioſitatis pœnas pendimus :

Illa dies primus leti primuſque malorum
Cauſſa fuit.

Neque hoc Platoni ignotum fuiſſe vult *Euſeb.* 12. προπ. cap. 9. ubi inquit : *Qui Saturni temporibus erant, tanta virtute pollebant, ut non cum hominibus ſolum, verum etiam beſtiis ſermone uti poſſent. Sed non ad Philoſophiam & inter ſe & cum beſtiis hac virtute utebantur, ſed cibo atque potui continuè tanquam helluones indulgebant.*

 Ita

Ita ceſſavit NATURALIS SAPIENTIA: Ita denſis ignorantiæ tenebris mens obſcurata: ita voluntas Sapientiæ odio incenſa, & corruptam Philoſophiam, & non niſi multo labore inveniendam, multo ſudore diſcendam nobis effecit, neque tamen ad ejus perfectionem, dum quidem in hac vita ſumus, unquam aſpirare poterimus. Nam in hac re verum eſt quod *Apulejus* Flor. 3. ſcribit: *nec quicquam omnino eſt quod poſſit in primordio ſui perfici: ſed in omnibus ferme ante eſt ſpei rudimentum quam rei experimentum.*

Ita amiſſa Sapientia primæva, barbaries ſucceſſit. Homines enim, ferino & belluino ritu oberrantes, neque fas neque jus obſervabant. Artium & diſciplinarum (ſunt verba *Euſebii* lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 1.) & totius Philoſophiæ ne ipſum quidem nomen habebatur, ſed agreſtes & vagi per deſerta nullis ſedibus vagabantur. Unde ſcelera, impietas & barbaries, quæ Theomachiæ & Gigantomachiæ originem præbuerunt.

CAP. III.

Ethnici antiquitatis prorſus ignari. Eorum diverſæ de Origine Sapientiæ opiniones. Quam à diis ſuis ortam voluere. Eorum dii homines fuerunt contemplationibus dediti. Mortui inter Deos relati. Rejecta diſtinctio Deorum in naturales *&* factitios. *Error Ciceronis & Ennii.*

HÆc vera de origine Philoſophiæ ex ipſis Sacris petita ſententia eſt. Priuſquam ad alia, quæ multa ſunt, accedamus, ſubjungendum eſt, de toto hoc negotio, quid ſenſerint gentiles. Qui cum veram omnium rerum originem ignorarent, neque ſibi neque aliis ſatisfecerunt, & miſerè alucinati ſunt. Hinc illæ, cum de rebus aliquantum ab ætate ſua remotis agunt, tenebræ: hinc illæ fabulæ & mendacia, quæ non niſi Græco ſtomacho concoquere poſſumus. Neque vero difficultatem hanc

ipſi

ipſi non viderunt. Nam Varro & alii tempus ideo potiſſimum diſtinguunt in ἄδηλον, quod ejus res geſtæ obſcuræ & incognitæ ſint: in μυθικὸν, fabulis ſive figmentis, & ἱστορικὸν, rerum deſcriptione celebratum. *Lucretius* ultra Trojanum & Thebanum bellum omnia eſſe cæca & caliginoſa oſtendit. Vide & *Plut.* in vita Theſei. Et Poëtæ ἐν χρόνῳ ἀδήλῳ verſantes, ne turpiter errarent, totum Muſarum chorum ex Helicone ſuppetias vocabant. *Quintil.* lib. 4. Inſt. in procemio, Poëtas maximos ſemper feciſſe, ut non ſolum initiis operum ſuorum Muſas invocarent, ſed profecti quoque longius, cum ad aliquem graviorem veniſſent locum, repeterent vota & velut nova precatione uterentur,

Ita Plotinus de æternitate & tempore agens: *Non abs re*, inquit, *tantæ rei explicandæ, Muſarum opem quis invocarit. Haud dubie enim Muſæ jam erant.* Heſiodus

Ἀρχόμενος πρῶτον Μουσῶν χόρον ἐκ Ἑλικῶνος evocat.

Maro lib. 7. & 9. divini operis:

Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque movete
Et meminiſtis enim divæ & memorare poteſtis,
Ad nos vix tenuis fama perlabitur aura.

Ovidius 15. Met.

Pandite nunc Muſæ præſentia numina vatum,
Scitis enim nec vos fallit ſpacioſa vetuſtas.

Virg. 1. Æn.

Muſa mihi cauſas memora.

Ita 4. *Georg.*

Quis Deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem?

Ipſa autem res magnam partem à varietate ſententiarum de origine Mundi pendet. Illi enim, qui Mundum nunquam cœpiſſe ſed ab æterno fuiſſe contendebant, ipſam quoque æternitatem Philoſophiæ admittere cogebantur. Quod ex parte ſaltem *Plinius* facit, qui lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 56.

cap. 56. *Literarum uſum æternum fuiſſe* Epigenis authoritate aſſerit, ſed ſtolidiſſime & ridicule probat. A qua Sententia neque *Plato* abhorruiſſe videtur. Is enim in Timæo tradit, *inundationibus & conflagrationibus renovari ſubinde mundum & perire priorem ſeculorum memoriam & aboleri artes, diſciplinas, inventa.* Idem Stoici ſenſerunt, & *Plato* in l. de Legg. repetit, ex quibus tamen locis *Proclus* male argumentatus eſt: Platonem æternitatem mundi credidiſſe. Cæteri vero, qui Mundum qualicunque tandem modo ortum & conſtitutum voluere, ita ſtatuebant: *Fuiſſe quondam tempus, quo fuſi per agros homines ac diſperſi, beſtiarum more vagarentur, in tectu ſylveſtribus abditi pernoctarent, victu ferino ſibi vitam prorogarent: ac, neſcio unde, viros in dicendo præſtantes extitiſſe, qui barbaros illos, propter inſolentiam primum reclamantes, deinde propter rationem atque orationem ſtudioſius audientes, de feris manſuetos, de duris mites, humanos de immanibus factos in unum locum convenire, res communem utilitatem continentes in commune conferre, legitimas contrahere nuptias, certos inſpicere libros, domicilia conjungere conjunctaque ſepire mœnibus, orationis perſuaſione coëgerunt, iiſque jam melioribus redditis, & in unum congregatis, jura, leges, judicia moreſque præſcripſerunt.* Ita *Cicero* lib. 2. de Nat. Deorum, l. 1. de Orat. Orat. pro Sextio. *Quintil.* lib. 2. Inſt. Orat. cap. 16. vel ut alii cap. 17. Quod idem *Cicero* lib. 5. Tuſcul. Quæſt. ita docet: *Tu Philoſophia urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti, tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione, junxiſti. Tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti.* Quæ omnia ne quidem ſacræ authoritatis teſtimonio deſtituuntur. Nam & Job cap. 3. 13. Reges & conſiliarios terræ inde potiſſimum deſcribit: quod ædificarint in vaſtitatibus ſibi, vel ut

Munſte-

Munſterus vertit: *quod habitabilia fecerint loca deſerta.* Puto autem Jobum reſpicere ad illum Orientalium Regum morem, qui per ſolitudines in peregrinantium commodum excitant diverſoria publica, quas *Caravanſeras* Perſæ & *Chanos*, Hiſpani *Ventas* vocant, quales etiam per Deſertam Arabiam, Jobi patriam, plurimæ reperiuntur. Sed quinam illi ſapientes & eloquentes viri fuerint, neque ipſi exacte ſciverunt, & variis opinionibus agitabantur. Magni eos boni authores fuiſſe *Ariſtoteles* aſſerit. *Cicero* vero 1. de Invent. & 1. de Orat. *Sapientiſſimus*, inquit, *fuit qui diſperſos homines congregavit primus, & qui, quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ viſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina, & qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit, & qui errantium ſtellarum curſus, progreſſiones, inſtitutioneſque notavit: etiam ſuriores illi qui fruges, qui veſtitum, qui cultum vitæ, qui præſidia contra feras invenerunt.* Et ad hos quoque *Cicero* alibi refert dicendi initium, quanquam id *Quintilianus* lib. 3. cap. 2. non probet. Omitto nunc illud quod *Tertullianus* lib. de habitu Virginum refert, Enochum retuliſſe *Diabolos metalla & herbarum naturas monſtraſſe hominibus:* eſt enim manifeſte falſum. Poëtæ Aſtreæ ſuæ non minimas in hoc opere partes tribuunt. *Claudianus* in Mallii Conſul. de Juſtitia:

—— Tu prima hominem ſylveſtribus antris
Elicis & fœdo detergis ſecula victu.

Et *Juvenalis* Sat. 15. cauſam refert in mutuum affectum ſive quod homo fuerit ζῶον πολιτικόν·

Lucretius vero homines divinos Philoſophiæ inventores facit. Nam ſic inquit apud Lactantium 3. 14:

——— ——— Nonne decebit
Hunc hominem numero divum dignarier eſſe?

Et:

Nemo ut opinor erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum eſt, Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi.

Putat Lactantius eum de Thalete vel Pythagora, qui primi de rerum natura diſputaſſe traduntur, loqui. Sic igitur Deos ſuos ἀπὸ μηχανῆς proferunt. *Plato* in Timæo: φιλοσοφίας μεῖζον ἀγαθὸν οὐκ ἦλθεν, οὐθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Quod *Cicero* l. 1. de Legg. ita imitatus eſt: *Philoſophia nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt.* Quos Deos cum ipſi quoque homines mortales fuiſſe, propter præſtantium rerum inventiones, dum viverent, ſummè cultos, mortuos ſummis honoribus, demum creſcente ſuperſtitione divinis affectos tradiderint: *Cic.* l. 1. de Conſolat. & lib. 2. de Nat. Deorum, apud *Lactantium* lib. 1. Inſt. Div. cap. 15. *Euſeb.* lib. 1. προπαρ. c. 6. *Auguſt.* Ep. 44. ad Maximum, *Tertull.* Apolog. cap. 12. adhuc dubium manebat, quanam ratione hi primitus ad ſapientiam perveniſſent, quam acquiſitam tantum, non vero naturalem putabant. Ad quod expediendum, genus humanum diſtinxerunt in eos, quorum

De meliore luto finxit præcordia Titan,

& qui dediti ventri atque ſomno, indocti incultique vitam ſicut peregrinantes tranſeunt. *Salluſt.* in Jugurtha. Quam diviſionem ſub fabula Promethei & Epimethei fratrum homines fingentium obvelabant. Vide *Claud.* lib. 2. in Eutrop. Illos, vivida & erecta mentis acie, ingenium ad contemplationem rerum naturalium contuliſſe, captos primum voluptate, ex tam jucundo & Dædalo adſpectu, mox rerum admiratione ad inquiſitionem motos. De quo Ariſtoteles præclare inquit 1. Met. cap. 2. διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι, καὶ νῦν, καὶ πρῶτον, ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. *Manilius* lib. 1. ſcribit rudiores, priuſquam leges ſiderum

derum ab Aſtronomis acciperent, Solem recedentem ut amiſſum fleſſe, accedentem, ut renatum, gaudio recepiſſe: *velut amiſſis mœrens, tum læta renatis ſideribus.* Sed cum ſe ab hac admiratione non ſatis expedire poſſent, tandem, propter fulgura & perterricrepa tonitrua, divinitatem Mundo ineſſe rati, eum pro Deo coluerunt, maxime verò Solem, Lunam ſive Lunum, & reliqua ſidera. Hoc enim optimum ſocietatis humanæ conſervandæ vinculum eſt viſum, Numina conſtituere, quorum metu vulgus efferum in officio contineretur. Unde & Θεὸν à δέος dici volunt. Statius:

Primus in orbe Deos fecit timor.

& Deus vocatur פחד pavor, *Gen.* cap. 31: 42. ſicut Latinis *Timor*. Et apud Romanos *Pavor* Deus erat: & quidam *Chemoſch* à כמש *expavit* deducunt. Cum tamen, ut notum iis qui Orientem ſalutarunt, Deus ſit à יה. Ipſi vero jugi rerum contemplatione à minimis ad maxima progreſſi, tandem τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις, veluti quædam Sapientiæ placita conſtituerunt, quibus non ſine impietate quadam & imperitia tum contradici poſſe exiſtimabant. *Ariſtoteles* 1. Top. cap. 1. Et verum eſt quod *Minucius* in Octavio tradit: ipſos Philoſophos, vel ſi qui alii artium repertores in memoriam exierunt, *priuſquam ſolertia mentis pararent nominis claritatem,* habitos eſſe plebejos, indoctoſque. Callidi etiam homines hoc egerunt, ut ſibi ipſis aliquam divinitatis opinionem conciliarent. Cujus cum, quæ vulgi ἀπειρία eſt, haud difficulter impetrabiles facti eſſent; tandem, poſt ſuprema fata, Diis omninò, per ἀποθεώσεως commentum, adſcripti ſunt. Unde & diſtinctio Deorum in eos qui Divi ſemper fuerunt, & qui tales per ἀποθέωσιν facti ſunt, exorta eſt. *Cicero* lib. 2. de Legg. *Divos & ollos, qui cæle-*

leſtes ſemper habiti, colunto: & illos quos endo cœlo merita locaverint. Quales fuiſſe Herculem, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, recenſet. Sed Romani non ſatis hoc diſcrimen ex aliorum gentilium mente perſpexerunt. Nam primi generis Deos duodecim recenſent, ſex mares & ſex fœminas, Selectos, Conſentes, & Majorum Gentium appellatos:

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Neptunus, Iovis, Mercurius, Volcanus, Apollo.

qui ſunt *Ennii* verſus apud *Auguſt.* lib. 4. c. C. D. cap. 23. & *Apulejum* l. de Deo Socratis. Cum tamen ne unus quidem ex his natura Cœles ſemper habitus fuerit, ſed omnes ſint conſecrati: id quod nec ipſi negare poſſunt, & luculenter à *Lactantio* lib. 1. Div. Inſt. & cæteris Patribus probatum eſt. Sive etiam Deorum genealogiis ſeipſos inſeruerunt, majoris authoritatis gratia. Quod quam receptum apud priſcos fuerit, neminem latet. Sane non aliunde tot Deorum filii apud Poëtas & Mythicos. *Iuſtinus* lib. 3. de Marpeſia & Lampeto Amazonibus: *Ne ſucceſſibus deeſſet authoritas, genitas ſe Marte prædicabant.* Omitto innumera alia: ſola enim Romuli & Alexandri hiſtoria hic ſufficere poſſet. Quorum uterque ſpurius & adulterinus cum eſſent, Deorum tamen filii videri voluerunt. Quibus tanquam comes adjungi poteſt Hercules, Amphytruonis, vel, ſi mavis, Jovis filius apud Comicum. Ægyptii contra & Phœnices, Solem, Lunam, Cœlum, Terram, Aſtra, pro iis qui natura Dii & ſemper Cœlites ſunt, habebant.

CAP.

CAP. IV.

Origo Deorum. מחקרים *qui? Vocem* μάκαρ *eſſe à* Mehkar *demonſtratur. Voces* ἀλφεῖν, ζηλεῖν, ἱςορεῖν *unde? Cur etiam mortui* μάκαρες *dicantur?* Dii *Ambroſia & Nectare cur paſcantur? Nectar eſſe à* נחקר. *Notare voluptatem quæ ex contemplationibus oritur. Græci quam ineptam ejus etymologiam aſſignent.*

QUo longius progredimur, eo magis difficultates creſcunt, præſertim cum nunc oſtendendum ſit, quomodo antiquiſſimi illi Philoſophi, ſummorum Deorum honores, Jovis, Mercurii, Apollinis, Minervæ, & aliorum commeriti ſint. *Lactant.* lib. de Ira Dei cap. 11. *Ii omnes, qui coluntur ut Dii, homines fuerunt & iidem primi ac maximi Reges: ſed eos aut ob virtutem, quia profuerant humano generi, aut ob beneficia & inventa quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam conſecutos quis ignorat? nec tantum mares ſed & feminas. Theophilus* Antiochenus lib. 1. ad Autolycum oſtendit Deos hos ſceleratos homines fuiſſe: & plurimos Joves inveniri. Idem *Cyprianus* tractatu de vanitate Idolorum oſtendit. Illud ad rem facit, quod antiqui Patres contra gentiles vehementer urſerunt, Deos factos eſſe ἐπὶ τοῖς ὑπ' αὐτῶν εὑρεθεῖσι τῷ βίῳ χρησίμοις, καὶ ὅτι τοῖς ἀνθρώποις χρήσιμοι γεγόνασι. ut *Anathaſius* contra gentes legitur. Hic labor eo difficilior, quo pauciores heic viam præiverunt. Plerique enim longius digreſſi videntur & multæ correctionis egent. Conabimur autem Deorum nomina ad Orientem revocare. Ita enim eruditiſſimi noſtri temporis ſtatuunt, Deos omnes antiquiores, non aliunde quam ex Aſia petendos & Oriente. Igitur priſci illi mortales, contemplationibus dediti & rerum abſtruſarum inquiſitionibus, à reipſa nomen in Oriente invenerunt מחקרים dicti, ſive cum adjectione חכמי מחקרים vel אבשי. Ita enim vocabantur θεωρητικοὶ,

quod ſagaci indagine quaſi cum naturæ obſcuritatibus certarent, & omnia, etiam ἐν βυθῷ intimè latentia, in lucem eruerent. Inde, cum jam Cœlo recepti indigetes eſſent, *μάκαρες* vocati ſunt, de cujus vocis origine neque diu quærendum ex antedictis, neque minus mirum neminem hactenus admonuiſſe. Nullum nomen tam frequenter & tam proprie apud antiquos Poëtas Diis tribuitur, quam hoc ipſum. *Μάκαρες* igitur dicti ſunt, non tam quod τιμώμενοι ſive מיקרים quam quod מחקרים eſſent. Ita enim in Oriente vox חקר ſumebatur, pro eo quod Græci ἀλφεῖν, ζηλεῖν, ἱστορεῖν vocant, & propriiſſime notat magnæ rei profundam inveſtigationem, Job. 5: 9. עשה גדלות ואין חקר & verſ. 27. *ecce hoc, perveſtigavimus hoc, ita eſt.* ubi itidem vox חקרנוה, occurrit: ita Pſalmo 91. verſ. 4. de Jehova dicitur אשר בידו מחקרי ארץ: quod vertit Junius: *In cujus manu ſunt ima veſtigia terræ:* Munſt. *in cujus manu ſunt penetralia terræ.* Sed ſenſus eſt: omnia, etiam abſtruſiſſima, patent Deo. Hoc enim vox מחקרי notat. Unde & nomen hoc quaſi è ſitu & pulvere erutum, ſub templo ſecundo, Judæis Philoſophis tributum legimus, qui חכמי מחקרים, priſco more, dicti ſunt, ut ſuo loco oſtendimus. Sed & Græcæ voces mirum quantum lucis afferunt. Nam ἱστορέω unde potius ducas quam à סתר? Nihil aliud eſt ἱστορία quam res abſcondita, cujus in lucem prolata cognitio ἵστορας facit. Quæ vox eo antiquior, quo plures à סתר voces deſcendiſſe invenimus. Inde enim dicti *Satyri*, inde *Saturnus*, inde *Myſteria*, inde μύστωρ. Jam ἀλφέω quid aliud eſt, quam rem obſcuram cum cura quæro & invenio? nam & homines Homero ἀλφηστὴ ab hac inveniendi ſagacitate vocantur. Quod nomen ſecundum Mythicos ſub Jovis imperio demum iis inditum eſt, ut patet ex *Marone*, 1. Georg. Plane igitur τὸ אלף reſpicit; ſicuti ζηλεῖν à צור vel צרה commode deducitur. Jam ut ad ſupe-

ſuperiora redeat oratio, quid tam affine quam μάκαρ & מכר? Sive ipſas literas, ſive, qui magni momenti, ſignificatum ſpectes. *P. Mela* lib. 2. c. 7. *Ad promontorium Tauri montis expoſitæ inſulæ, quas quidam dici putavere μακάρων: ſive quod fortunati admodum cæli ſolique ſunt, ſive quod eas ſuo regno* Macar *occupaverat.* Ut, quod ante probatum ibamus, planiſſimum ſit, priſcos mortales ab indefeſſo contemplandi ſtudio, non divinitatem ſolum, ſed & ipſum nomen, μάκαρες dicti, meruiſſe. Nam illos non moramur, qui ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν ſive θεᾶσθαι, etiam θεὸν à Græcis dictum volunt. Hoc enim falſum eſt, cum, ut dictum, vox illa à יה planiſſimè deſcendat. Poſtmodum μάκαρες dicti ſunt, qui ineffabili gaudio & voluptate fruerentur. Quos Latini *Beatos* ſive *Felices* vocant. *Horat.* 1. Serm. 9.

Omnes compoſui felices. Nunc ego reſto.

Planè quia nulla voluptas major, quam quæ ex contemplatione tot mirabilium rerum animo noſtro exoritur. Unde animus humanus quodam ſignificatu etiamnum in corpore ſitus, Δαίμων nuncupatur Platonicis. Quod *Apulejus* lib. de Deo Socratis ex illis *Maronianis* probat:

—— Dii ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido?

Et porro ſubjungit: *Eſt & ſecundo ſignificatu ſpecies dæmonum animus hominis emeritis ſtipendiis vitæ corpore ſuo abjurans.* Inde igitur vox ad mortuos tranſlata, qui & ipſi μακάριοι ſive μακαρῖται dicuntur, quod hoc ſoluti corpore, in melioris vitæ, quam Elyſii Campi promittebant, poſſeſſionem veniſſent. Nimirum quia ibi eadem ſtudia eos tractare perſuaſi erant. *Maro* lib. 6.

—— fuit vivis quæ cura ——
eadem ſequitur tellure repoſtos.

Ovidius lib. 4. Met.

Pars aliquas artes, antiquæ imitamina vitæ,
Exercent.

Appo-

Appoſite *Plato* in Cratylo: *Vir bonus hinc emigrans, magnum decuſo,pimam hæreditatem conſequitur. Fit enim juxta verum etymon,* δαίμων, *hoc eſt, doctus ſeu ſapiens.* Idem apud *Apulejum* l. 2. de Phil. Morali: *Vinculis liberata corporis ſapientis anima remigrat ad Deos,& pro merito vitæ purius caſtiuſve tranſactæ, hoc ipſo uſu Deorum ſe conditioni conciliat.* Quid quod *Virgilius*, ſecretioris Philoſophiæ diligentiſſimus author, l. 6. divini operis, *Inventas qui vitam excoluere per artes*, ſingulari amœnitate fortunatorum nemorum frui ſcribit, quas mox Sibylla *felices animas* vocat. Sed quam pulcrè ſuperius dictis conſonat, quod Nectare & Ambroſia Divos ſuos antiqui paſcebant. *Heſiodus:*

Νέκταρ τ' ἀμβροσίη τε, τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσι.

Nam & hoc τὴν ἡδονὴν θεωρετικὴν pulcre depingit. Cujus fontes *Ariſtoteles* lib. 10. Eth. Nicom. aperiens ex mente Antiquorum docet: *In libera contemplatione rerum & orbium cæleſtium, qua fruemur poſt hanc vitam, conſiſtere animarum beatitatem.* Quod & in Scipionis ſomnio *Tullius* oſtendit. Abſurde *Origines* 11. περὶ ἀρχῶν. 12. animam hominis corpore ſolutam vult morari in terris & omnium herbarum, radicum, metallorum cauſas cognoſcere: elevari poſt illa in aërem & penitus introſpicere naturas avium nubiumque: tandem ad Lunæ ſphæram provehi & per reliquos orbes, ibique cauſas motuum perfectiſſime diſcere. Nimirum, hoc eſt illud Origenis παιδευτήριον in quod diſcendi cauſa migrare animas finxit. Sed nemo melius,quanta contemplationis voluptas ſit,quam ſuis exemplis *Chryſippus* & *Archimedes*, docere poſſunt. Tantam uterque ex contemplatione voluptatem cepit, ut ille quidem cibi immemor inedia periiſſet,niſi nolenti quoque & reluctanti ancilla Meliſſa cibum in os ingeſſiſſet. Quo reſpexiſſe *Perſium* puto Sat. 3. ubi, cum recenſuiſſet ſomnia Philoſophorum, inquit:

Hoc

Hoc eſt quod palles. Cur quis non prandeat hoc eſt.

Hic vero aliquando nudus ex balineo ſe proripuerit, in plateis εὕρηκα εὕρηκα, quaſi mente motus, ingeminans. *Vitruvius* lib. 9. cap. 3. quem & in pulvere pingentem, incautus Marcelli miles, Syracuſis captis miſerè obtruncavit. *Valer. Max.* lib. 8. c. 7. *Plut.* in Marcello. NECTAR igitur, immortalium Deorum potus, nec ipſum aliunde deſcendit, quam à חקר, unde fit נחקר *perveſtigatum eſt.* Quantam, qui immani ſiti torretur, ex aquæ limpidæ hauſtu voluptatem capit: tanto illi, qui contemplationibus dediti, multa cottidie eruunt, antiqua ſepulta, quanto, à corporis, animæ voluptates diſtant intervallo; majorem percipiunt. Hoc eſt נחקר: Unde Poëtæ Mythici ex Oriente reduces, primo quidem νέκαρ, poſtmodum, ut firmior fieret vox, νέκταρ ſuum Diis propinarunt. *Tzetzes* Chiliad. 10. Hiſtor. 351.

Νέκταρ δὲ πόσιν τῶν θεῶν πάλιν φασὶν οἱ μῦθοι.

Cujus ſolus hauſtus immortalitatem Diis tribuebat. Themis apud *Homerum* (hymn. in Apoll.) vix nato Apollini:

—— νέκταρ τε καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν
Ἀθανάτῃσιν χερσὶν ἐπήρξατο ——

Quo ipſe guſtato ſtatim in Deum mutatus inquit:

Χρήσω τ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν.

Ita *Apulejus* lib. 6. Mileſ. *Iupiter, porrecto Ambroſiæ poculo, ſume*, inquit, *Pſyche & immortalis eſto.* Unde & Nectar, pro voluptate quæ ex rerum contemplationibus oritur, apud antiquos uſurpatum legimus. Ita uſurpat *Cicero* in Homerici Carminis de cantu Sirenum ὀδυσσ. μ. verſione:

Poſt variis avido ſatiatus nectare verbis,
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.

Ubi, qui pro *nectare* legendum putant *pectore*, nimium quam falluntur. *Homerus* enim voce τερψάμενος utitur:

Ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.

Avidum autem nectar, paulo inſolentius, dicitur quod vehementer omnes appetimus. Ita *Horatius* Ep. l. 1. 19.

Rapit Hiarbitam Timagenis æmula lingua.

Æmula lingua paſſive pro ea quam æmulabatur Hiarbitas. Et *Tzetzes* d. l. clare:

Νέκταρ πᾶν γλυκὺ φαμὲν ἐν παραχρήσει.

Græci vero, quæ gentis ejus vanitas eſt, ne aliquid à Barbaris mutuati viderentur, neſcio quæ & multa & intoleranda nugati ſunt: Νέκταρ quaſi ἄπερ νεκύων, aut quaſi νεόκταρ dici. Alii etiam, ingenioſiores puto, à νε & κτῶ, quod immortalium potus ſit. Quæ omnia non nectar ſed muriam redolent. Virgilius autem, quo nemo unquam, præſertim quoad hæc Mythica, doctior, non ignoravit priſcos mortales & Deos & Μάκαρες dictos, propter contemplandi ſtudium, qui Ecloga 6. Silenum egregie, ex Epicuri mente, de Origine rerum Philoſophantem introducit.

CAP. V.

Iupiter paganis Sapientiæ author. Enixus eſt Palladem. Dictus non quaſi Iovis Pater, ſed à פתר*, quod eſſet obſcurorum interpres.* Ἰόβακχος. Πέτρος. *Pethora. Iupiter & Iovis non idem ſunt. Quid differant. Alio nomine Mercurius dictus. Deorum nomina & officia apud varios varia. Mercurius Deorum Interpres ſive Iupiter. Non eſſe à mercando dictum. Nec vocem Italam eſſe, ſed ex Aſia petitam. Cluverii opinio rejecta. Mercurius dictus à* מחקר *unde* Μάκαρ *&* Μακάριος.

HIs ita demonſtratis, reliquum eſt, ut caſtra ad ipſam arcem cauſæ hujus admoveamus. Ita enim Dii, qui partes aliquas in has Scena egerunt, ſine omni ſchemate & perſona, in medium producendi ſunt. In qua quidem re *Xenophon*, ab Annio ſuppoſitus, lib. de æquivocis, cap. 1. parum fidei meretur, dum inquit: *Saturni vocantur familia*

lia nobilium Regum qui urbes condiderunt. Primo geniti eorum Ioves & Iunones: Hercules vero nepotes eorum. Igitur:

A Iove principium. ——

Sapientiæ Originem ad ipſum Jovem Græci retulerunt.

—— Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Quem ſine Junonis ſuæ concubitu, in ipſo cerebro, Palladem ſuam concepiſſe, & Vulcani ope in lucem edidiſſe volunt. Quæ ipſis omnium artium Præſes & Patrona putabatur. *Catullus* Epigramm. 1. *ô Patrona virgo.* Ubi tamen, neſcio quid, Criticis non placet, qui audaciter, ſed fruſtra, quævis recta immutare audent. Eam alio nomine, *Muſas*, appellabant. Quas *Alcander*, nobilis Philoſophus, genus à Jove & Memoria ducere affirmabat. *Plut.* de lib. educ. *Cl. Alex.* Orat. ad Gentiles. Quod nemo non videt, ipſiſſimam, de Jove ex memoria Palladem ſuam parturiente, fabellam eſſe. Quæ exinde & *Minerva* dicta eſt. Prius erat *Minerva*, quaſi *Meminerva*. *Arnob.* lib. 3. adverſ. gentiles: Sic enim veteres memoriam appellabant. *Macrob.* lib. 1. *Saturn.* cap. 17. Unde & Brachmanes memoriam poſt Deos maxime coluerunt. *Philoſtratus* lib. 3. de vita Apollonii, Alcandri ſententiam, mutato patre, ita expreſſit *Afranius* apud Gellium. lib. 13. cap. 8:

Vſus me genuit, Mater peperit Memoria,
Σοφίαν *vocant me Graji, vos Sapientiam.*

Memoria alio nomine Latinis eleganter Moneta à monendo dicitur. Origo vocis non aliunde eſt quam ex Chaldæa; Cui מימר idem, quod Græcis λόγος. Unde & Targumiſtæ Filium Dei creberrime ita vocant, & eos ſecutus Johannes Theologus. Λόγος autem, ut notum ex Ariſtotele, 1. poſt. Anal. alius eſt ὁ ἔσω ſive ἐνθυμηματικὸς, alius ὁ ἔξω ſive προφορικός. Quem *Damaſcenus* eleganter τοῦ νοήματος ἄγγελον, *Scal.* 1. Poët. cap. 1. *animi portitorem*,

D 2 appella-

Digitized by Google

appellarunt. In quo cum præcipuæ partes memoriæ ſint, quæ velut rationis quæſtor eſt, & ipſi à voce מזכר nomen inditum eſt. Minervæ igitur omnis Antiquitas artium inventionem aſſignavit & Poëtæ Muſarum ſociam faciunt. Unde & *Cicero* gloriabatur, *ſe à Minerva artes edoctum*: quod acerbe ille, quiſquis eſt, Declamator *Salluſtius* caſtigat, & meminit *Quintilianus* 11. 1. Quia nimirum, ut idem *Quintilianus* 11. 2. tradit, *omnis diſciplina memoria conſtat, fruſtraque docemur, ſi, quicquid audimus, præterfluat.* JUPITER Deorum ſummus dicitur, de quo mirum quantum Grammatici ineptiant, qui, relicto Oriente, alibi, quod nuſpiam eſt, quærunt.

Iubeas una opera me piſcari in aëre,
Venari autem rete jaculo in medio mari.

Jovem à juvando dictum Antiquis, eundem adjecta voce patrem dictum, unde, quibuſdam eliſis, Jupiter exurgat. *Gell.* lib. 5. cap. 12. *Cic.* lib. 2. de Nat. Deor. *Lactant.* lib. 1. Inſt. cap. 11. Quid Orienti פתר ſit, quid פתרון ſit, conſiderandum eſt. Interpretari τὰ ἀμφίσβαλα καὶ σκοτεινὰ, qualia ſunt quæ in ſomniis occurrunt, iis propriiſſimè פתר dicitur. Quæ vox toties cap. 40. & 41. Originum, ubi de ſomniorum interpretamento agitur, occurrit. Unde autem illud *Iovis*, Seldenus oſtendit, qui, cum rejeciſſet opinionem eorum qui ex Jupitre Juvantem patrem faciunt, *nec Iupiter ſane*, inquit, *aliud eſt quam Ioviſpiter, id eſt*, Ἰαὼ πατὴρ *ſeu* Ἰαῦ πατήρ. De Ἰαὼ nolim refragari, de πατὴρ non aſſentio, & ſicut priorem vocis partem ex Oriente arceſſunt, ita nec poſterior aliunde petenda eſt. Quod nemo negabit. Unde & *Patara* Lyciæ urbs dicta, in qua ſex anni menſibus dabantur Apollinis reſponſa. Cum ergo primus & ſummus, quiſquis fuit ille Deorum, hac obſcura interpretandi facultate polleret, ab ipſa re nomen nactus ſive פותר ſive פתרון dictus eſt,

Digitized by Google

eſt, unde, vertentibus annis, ſuum illud *Iupiter* ſtatim addito Ιαὼ fecerunt. Nam vocum augmenta talia crebro occurrunt, plerumque ex diverſarum gentium Dialectis deducta. Ita & Bacchus initio cum tali augmento Ἰόβακχος dictus eſt. *Heſychius*: Ἰόβακχος· ὁ Διόνυσος. Quod & ex *Iehova* quidam deducunt. Vide *Nic.* Fuller. lib. 4. Miſcell. Sacror. cap. 20. Unde & Io in triumphis. *Ovid.* 1. Am. eleg. 2.

Vulgus Io magna voce triumphe canit.

Idem nim. *Io triumphe*, quod in Sacris הללו יה. Cæterum, originem vocis Jupiter ex Oriente petendam, clare docet *Euſeb.* 1. πρὸς παρ. & lib. 3. ubi inquit: *Saturnus autem Phœnix fuit & eorum lingua uſus.* Nam & Saturnus à סתר dicitur, non quod, ut Poëtæ fingunt, Jovem fugiens, in Italia, quod exinde Latium, latitarit: ſed quod, quæ de cœlo & terra traduntur, במחררים ſint, καὶ ἐν βυθῷ latentia. Unde & Jupiter patrem Saturnum regno pepuliſſe dicitur. Ita enim Priſci innuebant, cum ante omnia Philoſophiæ decreta denſis tenebris eſſent abſcondita, primum fuiſſe Jupitrem, qui ea, clara face, diſpulſis tenebris, illuſtrata orbi exhibuerit. Neque vero inſolens fuiſſe ab hac obſcura interpretandi facultate, nomina indere, is novit, qui ea ipſa de cauſa Joſephum ab Ægyptio Rege צפנת פענח vocatum eſſe non ignorat, quod ſi interpreteris idem quod פותר vel פתרון eſt. Quo mirifice facit obſervatio Rabbinorum, qui, ut infra lib. 2. cap. 11. memorabimus, inter cætera Joſephi nomina, etiam פותר recenſent. Quid quod hoc ipſum nomen in Oriente receptum fuerit? Inde enim פתרון, nomen in Oriente receptum, quod propter ſoni affinitatem in Græcorum Πέτρος tranſiit. Ita *Heſychius*: Πέτρος, ὁ ἐπιλύων, ὁ ἐπιγινώσκων. Arator: *Petrus Hebræo agnoſcens ſermone notat.* Alludunt autem ad פתר, quod Græcis ἐπιλύειν eſt, ut *Camero* ad 2. Petr. 1. 20.

 probat.

probat. Quanquam D. Heinſius, Vir Maximus, cap. 17. in Nonnum, nugas & argutias vocet. Inde & *Pethora*, פתורה, Bileami patria, nomen accepit. Joſ. 13. Qui, cum celeberrimus magus eſſet, oracula Dæmonum conſulentibus reſpondebat, & iis obſcura quævis interpretabatur. Dictus igitur eſt ille locus quaſi בית פתורה, *domus Interpretationis*, ſicut & Chaldæi בית אולפנא pro Schola vel Academia dicunt. JUPITER igitur diverſa omnino vox à JOVIS eſt. Hæc enim à יהוה deſcendit. Unde & minime nobis probatur quod *Seldenus* ſcribit Synt. 2. c. 1. uti Europæis Joves, ita Aſiaticis Beli ſeu Baalim generale Divum vocamen erat. Non enim Jovis Europæa vox ſed Aſiatica & Syriæ propria, quod ipſe quoque docet: *Iovis*, inquit, *ex Tetrogrammatis Europæorum corrupta pronunciatione fiebat*. Ita enim ſumma imis permiſcuit Satanas, ut Deo ne ſanctiſſimum quidem & eſſentiale nomen relinquendum putarit. In eo igitur gravem errorem errarunt, quod JUPITER idem putarint eſſe, ac Jovis pater. Cum tamen nil aliud ſit quam *Iovis interpres*. Quales & Antiqui augures eſſe putabant. *Cicero* lib. 2. de Legg. *Interpretes Iovis augures*. *Maro* lib. 3. de Heleno:

Trojugena interpres divum ———

& lib 10.

Tertius ille hominum divumque interpres Aſylas.

Ita de Druidibus *Cæſar* lib. 6. de Bello Gallico: *Sacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur.* Unde & tot antiquis Jupitres, ut vel ſolus *Varro* ſupra ccc numerarit. Non enim probare poſſum eos qui Joves vocant. Ita enim duo hi, Jupiter & Jova vel Jovis, confunduntur, quod quanto cum errore fiat jam dictum eſt. Quem vel maxime Grammatici errarunt, qui, neſcio qua Religione ducti, à *Iupiter*, non *Iupitris*, *Iupitri*, quod tamen *Priſcianus* lib. 6. habet, ſed *Iovis*, *Iovi*, dicendum putarunt.

tarunt. Quorum ut meritò nobis rejicitur δεισιδαιμονία: ita quoque ſuum Jupitri priſtinum decus à literatis reſtituendum eſſet. Nam illud certum eſt antiquos non dixiſſe Jupiter, Jovis, ſed abſolutè Jovis. Ut igitur hanc de Jupitre tractationem concludamus, rerum & artium inventor ab antiquitate habitus fuit. *Maro* lib. 12.

Olli ſubridens hominum rerumque repertor.

Et ſpeciatim plaſtices inventorem ferunt, ſecundum illud: Ζεὺς μὲν γὰρ λέγεται πλαστικὴν τέχνην ἐξηγηκέναι. Lactantius etiam ex Evemero tradit: ***Si quis quid novi invenerat quod ad vitam humanam utile eſſet, ad montem Olympum veniſſe & Iovi oſtendiſſe.*** lib. 1. cap. 11. Unde Curetes, qui, ut ***Salluſtius*** apud Lactantium & Iſidorum inquit, principes intelligendi divina fuerunt, à vetuſtate Jupitris altores vocabantur, quod primi exercuiſſent Philoſophias. Quam explicationem quomodo redarguat ***Lactantius*** vide lib. 1. cap. 21. Neque aliunde originem traxit, quod, ut ***Gellius*** tradit lib. 15. cap. 21. præſtantiſſimi virtute & prudentia viri Jovis filii appellati à Poëtis fuerunt, ut Æacus, Minos, Sarpedon. Quemadmodum propterea Jovis ſtellam Rabbini vocarunt כוכב צדק & מזל טוב de quo quæ notet Munſterus ad cap. 30. Geneſ. vide. Jupitrem antiqui ſub alia quoque perſona coluerunt, MERCURIUM vocantes, qui exinde, κατ᾽ ἐξοχὴν, Interpres, id eſt, Jupiter divûm, dicitur. Neque enim inſolens antiquis fuit uni Divo diverſa & nomina & officia aſſignare. Ita, quem Phœnices ***Kadmum***, Ægyptii ***Thohuth***, Lybiei & Galli ***Herculem***, Græci ***Hermetem*** ſive ***Kadmilum*** dicunt. Sic Luna & Iſis & Lucina & Diana & Trivia & Hecate dicebatur. Neque quicquam frequentius quam illa πολυωνυμία Deorum. Ita Apollo Muſarum, Sagittariorum, Medicorum, præſes erat, ut ipſe apud *Ovidium* 1. Met. teſtatur. Igitur & quem obſcuriore nomine Jupitrem,

cum

cum clariore Mercurium quoque dicebant. Qui propterea *Sacer interpreſque Deorum* ab Horatio dicitur, ejuſque erat Deorum juſſa & voluntatem hominibus revelare. Sed, hujus unde appellatio deducenda ſit, pauci noverunt,& plerique nihil agunt. Ut illi,qui,quaſi Mercurii vox in media demum Italia orta eſſet, à *mercando* dictum volunt. Deum enim Mercimoniis præfectum fuiſſe. De quo nunc non laboro. Illud dico,prorſus ἄλογον videri, ſplendidiſſimam ejus appellationem ab ignobiliſſimo ejus officio deducere. Quod ei tum demum aſſignatum videtur, cum Latini, veram vocis originem ignorantes, propter affinitatem quandam, à mercando dictum Mercurium putarent. Illud quoque ex iis quæro: putentne ab antiquiſſimis Gallis & Germanis cultum eſſe Mercurium? non negabunt, tradit enim hoc *Cæſar* & *Tacitus.* Quos tamen maximam partem vel alienos fuiſſe à mercatura,vel ejus negligentes,vel prorſus legibus ſeveriſſimis interdixiſſe, ex iiſdem conſtat. Nullus ergo iis Mercurii uſus, aut vox aliunde deducta erit. Quod neque *Cæſar* omnino negat lib. 6. de B. G. de Gallis: *Deorum maximè Mercurium colunt. Hujus ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ,mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur.* Quod & illi probant, qui fatentur, Mercurii vocabulum non in Italia demum à Latinis inventum, ſed ex Aſia, cum primis poſt inundationem mortalibus, eo delatum eſſe. *Ph. Cluverius* lib. 1. Germ. Ant. c. 26. Qui tamen & ipſe miſerè ſe torquet & fruſtra verſat. Ammonitarum fuiſſe Deum *Molec, Milcom* ſive *Malcam*, eique liberos concrematos, ex Sacris referens; *hunc*, inquit, *eundem fuiſſe Latinorum* Mercurium *conjicio, cum ex nomine, tum ex ſacrificii genere. Nam Germanos quoque ſuo Mercurio humanis litaſſe hoſtiis author*
eſt

Digitized by Google

eſt Tacitus. Quæ ita levia ſunt & bonæ frugis caſſa; ut mirer tanto viro hæc in mentem venire potuiſſe. Sed in illo laudandus eſt, quod de revocanda ad Aſiaticam Dialectum voce cogitarit. Aliunde enim antiquiſſima Deorum nomina deducenda non ſunt. Minori negotio, unde nomen Μάκαρ, inde & ipſum Mercurium deduxiſſet. Nimirum Mercurius erat איש מחקר, inventor omnium artium & diſciplinarum, non ab Ægyptiis modo & Græcis, ſed & barbaris gentibus innumeris habitus, de quo infra latius agendum eſt. Unde & ei nomen inditum, dictus primo Mecar ſive Mecarius, poſtmodum, inſerta litera, Mercurius. Mecar igitur commune nomen virorum ſapientiſſimorum erat: quod καθ' ἐξοχὴν Mercurio tributum. Neque cuiquam mirum videri debet, toties à nobis unam aut alteram literam velut ſuccenturiatam vocibus infarciri. Neque enim hoc inſolens eſſe illi noverunt, qui in hoc ſtudio verſati ſunt. Ita (quod unum affero) qui ex propria origine ſua Tatari eſſent dicendi, feroces Aſiæ populi, nunc ubique Tartari appellantur. Quæ omnia non modo ἀξιόπιστα ſunt, ſed & ſatis manifeſtum reddunt, quam multa adhuc in vocum originibus merito deſiderentur ab iis, qui, ad hæc ſtudia, inquirendi aſſiduum conatum afferunt. Sanè, de hujus vocis origine invenienda, etiam magnus *Cluverius* deſperabat. Ita enim lib. 1. Germ. Ant. cap. 26. inquit: Theuth *omnium Deorum Deo*, *Latini Mercurii*, *Græci* τοῦ Ἑρμοῦ *nova vocabula*, Nescio unde *quæſiverunt*. Illud tamen monendum eſt, veterem Interpretem Prov. 26. verſ. 8. Mercurii vocem à voce מרגמה (quod proprie fundam notat) deduxiſſe. Ipſa igitur rei difficultas calcar ad diligentius ea de re quærendum nobis addit.

Digitized by Google

Cap. VI.

Apollo, Horus. Quod à חרס *Sol ſive* Ἄρης. *Apollo & Mercurius iidem. Hermes dicitur ab* חרס. *Plerique Dii nomen à ſole & igne habent. Etiam Ceres dicitur à* חרס. Γῆρυς. *Sol ſive ignis etiam virtutum author Stoicis quoque. Ceres* Θεσμοθέτης *& inter Sapientiæ authores. Ejus myſteria qualia fuerint?*

DIcant quicquid velint ad contemtum harum litterarum quidam barbaris ingeniis præditi: nobis tamen, per intervalla quædam in iis verſantibus, nec fructus deſunt, nec voluptas. Fateor ſæpius conjecturas nos afferre, & ſuſpiciones potius quam demonſtrationes; illud tamen operam damus, ut quam proximè à veritate abſimus. Nunc de voce Ἑρμῆς agitur res, & ejus origine, quamdum quidam in Græcia quærunt, fruſtra ſunt. *Apollo* ſive Sol ab Ægyptiis Horus dicebatur, *Macrobio* teſte, lib. 1. Sat. c. 21. qui Horus non vulgarem inter Deos Ægyptios locum obtinebat. Unde vox cum interpretamento ſuo *Horapollo*, quod quemadmodum factum ſit infra memorabimus. *Horus* autem ex Ebræo חרס deſcendit, quod Judicum. 8. cap. LXX ἄρης vertunt: ἀπὸ ἀναβάσεως Ἄρηος. Inde pro Sole & Marte ſumitur. Commune cognomentum omnium Deorum erat *Heros:* eorum enim originem omnes ad Cœlum ſive Solem referebant: poſtea vero ii dicti ſunt *Heroës*, qui virtutibus eximiis ornati communi hominum ſorti ſe exemerant & ad Deos jam accedebant. *Horatius* in arte:

Nec quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros.

& in eodem libro:

Intererit multum Divusne loquatur, an heros.

Ex Caſtigatione *G. Fabricii*, (aliàs enim aliter legunt) & Codice Anhaldino. Sicut igitur à חרס eſt Horus, heros & herus: ita & Germanicum Herr inde deſcendit. Nam

Sol,

Sol, uti notum, peculiariter *Adoni* & *Baal Samen* dictus à Syris. Neque multum differunt Apollo & Mercurius. Uterque literarum præſes creditur: utrique Serpentes attributi. Ille à פתן Pythius dictus: hic duos Serpentes, ſpiris ſuis caduceum involventes, manu ſua geſtare dicitur. Ut ergo ab חרם Apollo dictus eſt *Horus*, ita neque dubitandum eſt, quin exinde quoque Ἑρμῆς deſcendat. Nam cætera, unde deducunt, quid niſi frigus & febres ſunt? ſive ab εἴρω, ſive אמר ſive à חמם. Illud in hoc Originum negotio præcipuè ſpectandum eſt, ne nimium à literis recedatur, & ut præcipuum nomen, non aliunde quam à præcipuo officio, deducamus. A Sole autem & Igne plerique gentilium Dii denominati ſunt, & Europæorum maxime Dii à Syris pendent, ut propago ab origine. *I. Seldenus* præfat. in Synt. de Diis Syris. Unde & illi, tanquam Deorum principi, nomen ἥλιος, quod planiſſime ab אל ſive אלהים fluit, tributum eſt. אלחים autem neque ab אל, neque ab אלה, ſed ab Arabico اله, quod eſt *coluit*, vel *adoravit*, dicitur. Unde & ipſum الله, quo nomine Arabes Deum vocant. Quamvis magni nominis vir *Fr. Gomarus*, an ullum in Arabica Lingua verbum ſit quod eſt اله pro *coluit* vel *adoravit*, dubitarit. Cauſa autem, cur à Sole dicti, hæc eſt. Initio naſcentis Idololatriæ vocati *Heroës* ſive *Dæmonia* & *Dii*. Nondum enim illo ſeculo diſtincti *Heroës* & *Dii*, ut *Seldenus* de Diis Syris proleg. 3. notat. Heros autem à חרם deſcendere clarum eſt, ut idem ſit quod cœleſtis ſive divinus. Quod nomen, naſcente πολυωνυμίᾳ, pleriſque Diis hæſit, ut Cereri, Marti, Apollini. Sanè à חרם dicti ſunt Ἄρης ſive *Mars*, *Ceres*, *Oſiris*, Ἥρως, & fortaſſe etiam *Iris*: ab igne autem *Veſta*, *Serapis*. Nam de Ἄρης & Ἥρως res prorſus manifeſta eſt: Quanquam poſterius hoc quidam à ראש deducendum putent. Qui, num non probabilius ab חרם, videant. Siquidem maxima ge-

neris & virtutis præſtantia à Sole ducebatur. Quem & primi mortalium Phœnices, ſublatis in cœlum palmis, adorarunt, *Bel-Samen* vocantes, ſive Ἥλιον & adorandum. Unde & illud in Oriente nomen diu duravit. *Prop.* l. 4. El. 1.

Me creat Archytæ ſoboles Babylonius Horos,
Horos & à proavo ducta Conone domus.

Commode autem interpoſita unica litera חרס fit Ἑρμῆς. Cui Deorum cum tantum tribuerint Ægyptii, quantum aliorum nulli, quis dubitet, quin & nomen excellentiſſimum, quod à Sole duci poterat, ei impoſuerint? Nam de Cerere res ideo manifeſta eſt, quod ipſa inventarum Dea frugum dicitur. Nimirum quia Sol inter præcipuas fructificationis cauſas, à cujus temperato calore & ipſius terræ nativa fœcunditate præcipuum antiquitatis argumentum Ægyptii ducebant. *Iuſtin.* lib. 2. Unde & eam quidam antiquorum cum Veſta confundunt. *Lipſius* cap. 1. de Veſta, quæ ſane non aliunde quam ab אשתא denominatur. Et ad חרס propius accedit Γῆρυς, quomodo olim ab antiquis Græcis vocabatur. *Heſychius*: ἀχερὼ καὶ ὠπὶς καὶ ἑλλὴ καὶ γῆρυς καὶ γῆ καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐλή. Illud vero neſcio an non peremtorium, quod ח Ebræum Latinis in c mutatum inveniamus. Ita, quæ in Originum libris חרן vocatur, Meſopotamiæ urbs, à Latinis, ut notum, *Carræ* dicitur. *Lucan.* lib. 1.

Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras.

Quid? quod Plutarchus *Cyri* nomen Lingua Perſica Solem ſignificare ſcribit? ut omnino ex חרס deſcendat, unde & *Cyrus* & *Ceres* una opera ducuntur. Neque difficile eſt conjicere, quo moti paſtores Cyri nomen Spaco indiderint. *Iuſtinus* enim lib. 1. ſcribit: *Mox Rex inter ludentes forte delectus.* Nimirum ſummam virtutis opinionem inter ruſticos obtinebat. Unde &, quæ de Hermete diximus, planiora fiunt. Et nil in Oriente frequentius, quam

quiam ejuſmodi nomina magnis heroibus indere. Ita apud *Iuſtinum* lib. 39. mentio fit *Selenes*, id eſt Lunæ, ſororis Cyziceni. Sed res propter quædam ἀντιπίπτοντα altius repetenda eſt. Non enim omnes capere poterunt, quomodo tot Dii, tam variis præfecti officiis, ab uno Sole denominati ſint. Quibus ita reſpondemus: Solem, Deorum ſummum, non generationis tantum, ſed & virtutum omniſque boni authorem habitum eſſe. Hinc illi, quorum *De meliore luto finxit præcordia Titan*, virtutis ſtudioſi erant. Neque aliud tota illa de Prometheo fabula, homines ex luto fingentis & particulas ignis divini indentis, docere voluerunt. Stoici vero, qui omnia Poëtarum figmenta ad naturales cauſas reducere conati ſunt, ipſam providentiam, divinum ignem vocabant, ut ex *Cenſorino* patet: *Zeno* Citticus putavit primos homines ex ſolo adminiculo DIVINI Ignis, id eſt, Dei providentia genitos. Quo ſpectat & illud eorum ζώπυρον, ἔναυσμα ſive σπινθῆρ; quoſdam enim virtutum igniculos nobis inſitos dicebant, quas aliàs κοινὰς ἐννοίας ſive προλήψεις iidem vocabant. Quin & ipſe animus, quem Dei ἀπόσπασμα putabant, ignis iis dictus, *Cicerone* teſte. Unde &, quid de Deo ſenſerint, manifeſtum eſt. Quæ omnia eo redeunt, ut ne quis abſurdum putet, Belli, virtutum, legum, literarumque præſides à Sole deducere. Neque ab his alienum eſt quod *Plutarchus* lib. de Iſide & Oſiride recenſet, in urbe Saitide Ægypti, Palladis, id eſt, Sapientiæ imaginem cum hac inſcriptione poſitam eſſe: *Ego ſum quod fuit, quod eſt, quod unquam erit, nec hactenus mortalis ullus velum retexit meum.* Proclus addit, *& fructus, quem produxi, Sol ipſe eſt.* Ubi Sol à Pallade productus dicitur, id eſt, Apollo, Mercurius, Ceres, &c. Nam & *Macrobius* 1. Sat. cap. 17. & 2. cap. 7. omnes Deos ad Apollinem ſeu Solem revocare conatur. Sed & illud ſuperioribus addendum,

dendum, Cererem antiquis θεσμοφόρον ſive θεσμοθέτην dictam eſſe. *Ovid.* lib. 5. Met.

Prima dedit Leges, Cereris ſunt omnia munus.

Ut ipſa non minimam inventæ Sapientiæ & ad homines propagatæ laudem ab antiquitate reportarit, præſertim ſi hæc cum iis, quæ cap. 7. dicta ſunt, diligentius conferas. Neque dubito quin & Cererem inter Sapientiæ patronas coluerint. Indicinam non levem præbent illa μυστήρια θεσμοφόρια, quæ in memoriam Cereris, legum & frugum, id eſt, omnis humanis cultus authorem, celebrata ſunt. *Cicero* lib. 2. de Legg. *Mihi cum multa eximia divinaque Athenæ tuæ videntur attuliſſe, tum nihil melius illis myſteriis, quibus, ex agreſti immanique vita exculti, ad humanitatem mitigati ſumus, initiaque, ut appellantur, ita revera, Principia vitæ cognovimus. Neque ſolum cum lætitia vivendi rationem accepimus, ſed & cum SPE MELIORE moriendi.* Quæ poſteriora verba perſuadent, myſteria illa nil aliud quam ſecretiorem Philoſophiam, quæ per occultas traditiones, non niſi inter initiatos, propagabatur, continuiſſe. Qualis apud Hebræos Cabbala erat. Inde & Athenienſes credebant: Melius eſſe apud inferos initiatis, eoſque larga & perenni luce frui: cæteros autem in cœno volutari. *Ariſtophanes* in βατράχοις. *Diog.* Laërtius: ἀξιούντων Ἀθηναίων μυηθῆναι αὐτὸν καὶ λεγόντων, ὡς ἐν ᾅδου προεδρείας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι: γελοῖον ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν καὶ Ἐπαμεινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται. *Seldenus* proleg. 3. de Diis Syris: *Medio ibant tutiſſimi Græcorum & Latinorum ſacri antiſtites. Reconditam & vero proximantem Philoſophiam neque evulgabant, neque omnino ſibi retinebant, ſed myſteria inſtituebant ſolemnia. Unde anſam occultæ veritatis eruendæ non ita difficile erat ſanioribus arripere.* Imprimis tamen DIVINITATIS unitatem & ſimpli-

ſimplicitatem iis aperiebant. De Oſiride quidem, unde dictus ſit, res obſcurior eſt. Illam tamen quam *Plutarchus*, *Euſebius*, *Diod.* Siculus originem monſtrant, quod ex Æpyptio Os & Iris, quaſi πολυόφθαλμος, dictus ſit, non poſſumus probare. Simplicia enim, non compoſita nomina, Diis ſuis imponebant. Parum abeſt quin & hunc à חמה initia nominis duxiſſe exiſtimem, quod demum Oſiridem, prout in hiſce ſolet, mutarit. Quo facit & illud quod *Lactantius* & alii tradunt, *Oſiridem & Serapin unum eſſe.* Jam Serapis, ut infra memorabimus, idem qui Sol. Ut & inde Oſirin quoque dictum eſſe, probabile ſit.

CAP. VII.

Pallas armata. Sapientes priſci heroës. Pallas unde dicatur? à פלס. Pallidus. Caput Iovi, pectus Neptuno ſacratum. Apollo ab אבל: probabilius tamen à בעל. Bel Sol. Semones à Samen. Pythius unde? Cyllenius. Cur omnes Dii patres appellentur?

OPinione plura de MERCURIO & CERERE dicta ſunt: nunc tempus monet pertexere, quod ſupra de Pallade exorſi ſumus. Quam quod è cerebro Jovis armatam proſiliiſſe tradunt, originem pictoribus dedit eam Martio habitu pingendi: Poëtis eam inter Belli Præſides numerandi. *Apulejus* lib. de Deo Socratis: *Homerus Poëtico ritu Prudentiam Minervam nuncupavit.* Quo aliud nil ſignificant, quam quales priſcorum Sapientes fuerint. Qui cum eſſent ſummi ac divini viri, ſumma omnia divina & humana eorum virtuti concredita ſunt. Inde legebantur Magiſtratus, inde Duces belli, inde ſacrorum Antiſtites. Unde & Homerus Philoſophum ſuum eſſe vult: Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων. Quales Scriptura גברים, eamque ſecuti Græci καβείρους vocant. Ipſa vero PALLAS ineptiuſculè à πάλλειν vel πάλλεσθαι deducitur. Hæc

Hæc plane veternum ac nauſeam olent. Cum Sapientiæ illa Dea ac patrona, in Oriente & nata & educata, ibi quoque nomen acceperit. Origo autem Palladis ſic habet: Cum præcipua cauſſa πολυθείας ſita ſit in eo quod Deum recte ſub uno nomine coli non poſſe, ſed neceſſario ſub omnibus attributis colendum exiſtimarent: hinc factum, ut & Sapientiam Dei colerent, velut peculiarem Deo, ſub peculiari nomine. Eſt autem Sapientiæ Dei omnia ponderare & librare, qui inde etiam מפלס Prov. 5. 21. dicitur: & פלס ei adſcribitur Eſai. 40. 12. Unde Sapientia ejus ſub hoc nomine coli cœpta eſt. Unde & Palladium (quod ἄγαλμα Palladis ſive ξόανον) Φοινίκης θεᾶν Lycophron nominat. Quia & nomen ejus & cultus ex Oriente ad Europæos devenit. פלס Orienti ſtatera, bilanx, metaphorice attenta conſideratio eſt, in qua ſingula velut ad obruſſam exigimus. Verbum ipſum פלס libravit, appendit, conſideravit. Unde, quam nullo negotio Sapiens, quæ favet ingeniis, (*Ovidius* 8. Metam.) illa & ingenioſa Dea, Muſarum patrona, appelletur, & quam appoſite id fiat, nemo non videt. Eam enim Jupiter, cum ſingula ἀκεϱβεσιέτῃ ζυζητήσει ad partes vocaſſet & judicii lancem, edidit. Neque aliunde Latinæ voces, *Pallidus, Pallere,* deſcendunt, quæ peculiariter iis tribuuntur, qui propter nocturna & diurna ſtudia pallorem contrahunt, &, ut *Apulejus* Apol. f. 189. loquitur, colorem obliterant. Quos Poëta, eleganter, nocturnis chartis impalleſcere dicit. Multo autem elegantius hæc omnia de JUPITRE & Pallade conficta ſunt. Nam Jupiter ad Sapientiam credebatur conferre τὸ νοητικὸν, Mnemoſyne autem τὸ μνημονικὸν: quorum utroque ad Sapientiam uſus eſt. Inde & Jupitri caput, velut Sapientiæ officina, ſacratum erat. Sæpius autem meeum ipſe miratus ſum, cur non, ſive Palladi, ſive è ſapientum Deo-

rum.

rum choragio alii, Pectus conſecrarint. Quod tam crebro & tam eleganter antiquis Sapientiam notabat. Exempla alibi plura dedimus: è multis pauca nunc addam. *Ovidius* lib. 13. Met.

——— rudis & ſine PECTORE miles.

Ita Ulyſſes Ajacem vocat, qui, ut notum,

Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus

erat, & ipſe Ulyſſes fortitudinem ei non derogat:

——— tibi dextera bello
Utilis.

Sed quod eſſet indoctus atque ſtolidus, ideo militem ſine pectore vocat. Ita Paris, in epiſtola ad Helenam, Menelaum vocat:

——— hominem ſine pectore ———

in quo paulo poſt ruſticitatem ſimplicitate junctam exagitat. *Horatius* in obitum Tibulli:

Non tu corpus eras ſine pectore.

lib. 1. ep. 4. *Auguſtinus* lib. 3. Confeſſ. cap. 4. de Cicerone: *Cujus linguam ferè omnes mirantur, pectus non item.* Contra quos, quantus Cicero Philoſophus fuerit, ibidem demonſtrat. *Ovid.* 3. Am. el. 3.

Dii quoque habent oculos, Dii quoque pectus habent.

& 2. de Arte:

Nec levis ingenuas pectus coluiſſe per artes
Cura ſit.

Quę ſufficiunt ad demonſtrandum quam malè Pectus, ſapientiæ domicilium, ferociſſimo Deorum Neptuno ſacrarint & ab omni ſapientia alieniſſimo, quod tamen omninò Palladi ſacrandum erat. A qua & oleum, lucubrationibus deſtinatum, repertum volunt. Unde & pinguis Pallas appellatur, & ipſum oleum Pallas, ſicut vinum Bacchus. *Ovid.* in Epiſt. Herus ad Leandrum:

Tingere jam pingui Pallade membra potes.

F 2. Amor.

2. Amor. el. 16.

Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager.

Virgil. in Moreto:

Ergo Palladii guttas inſtillat olivi.

Cæterum Minervam Phœniciis ὄγκαν dictam volunt, quod nomen, à Cadmo in Phœniciam tranſlatum, ibi hæſit. Unde Nonnus Dionyſ. XLIX. ὀγκαίαν ἀθήνην vocat. *Seldenus* ab אנקה deducit, quod clamorem vel gemitum notat. De APOLLINE aliquid dicendum reſtat. Qui unde dictus ſit, ne Græcis quidem conſtat, tot de eo febriculoſa ſomniantibus. Simpliciſſime ex ipſa Græcia natales ejus petere poterant. Eſt enim Ἀπολλύων, Ἀπόλλων, Hebræis אבדון. Niſi tamen ab אפל, unde אפלה vel אפילין, deducere malis. Quid enim niſi tenebras & ambages Dæmon ille canebat? Unde & λοξίας ac σκοτεινὸς à Græcis dictus eſt. Multo tamen probabilius à בעל denominatum puto. Quo nomine apud Babylonios, Phœnices, Pœnos, Sol vocatur. Idem Apollo. *Macrob.* lib. I. Sat. cap. 17. Qui tamen, cum cæteri quoque Dii ſic vocari cœpiſſent, cum adjectione quadam *Bel-Samen* vocatus eſt. *Euſeb.* lib. I. προπαρ. *Plaut.* in Pœnulo. Unde & à poſteriori SEMONES deſcenderunt, quaſi cœli filios dicas. Non enim ſic dicti quaſi ſemi homines. Idem Apollo Pythius dictus eſt à פתה; quippe qui μύθων ῥητὴρ erat. Unde alii πύθων inter Apollinis epitheta referentes, à πυνθάνεσθαι, quod eſt à פתה, dictum volunt. *Beza* ad Act. 15. 16. Quo illud ſpectat, quod eundem cum Mercurio fuiſſe diximus. Nam, quæ de פתן afferunt, vereor ut vera ſint. Saltem aliunde Pythius dictus erit, quam, ut Græculi putant, à Serpentis cæde. Mercurium enim cum ſerpentibus pingunt, quod, ut puto, vetuſtatem originis, & ſapientiæ poſſeſſionem denotat. Hinc & Cyllenius dicitur: non quaſi κυλλὸς eſſet, ut nugantur; ſed à כלל quod

Digitized by Google

quod omnibus modis perfectus eſſet & omnia complecteretur. Ita Philoſophum excellentem Rabbini vocant חכם הכל quaſi dicas *παντάχῦ σοφὸν*, omnibus modis ſapientiſſimum. Unde & Hermas ſuos Græci in lapidem quadratum effingebant. *Lipſius* Cent. 5. Miſcell. Epiſt. 5. quo perfectio & conſtantia ex omni parte ſignificabatur. Unum adhuc, ab iis quæ hactenus diſputata ſunt, non alienum, addo. Antiquorum Divorum commune nomen fuiſſe PATER: tributum non Jovi ſolum & Jupitri, verum & Diti ſive Diei, unde *Dieſpiter*, Marti, unde *Marſpiter*, & cæteris omnibus. Ipſi Dii hujus rei teſtes apud *Lucillium*, citante Lactantio de vera Sapientia cap. 3.

Ut nemo ſit noſtrum, quin Pater optimu' Divûm,
Ut Neptunu' Pater, Liber, Saturnu' Pater, Mars;
Ianu' Quirinu' Pater nomen dicatur ad unum.

Quod nec ipſum aliunde fluxiſſe puto quam à פותר, cum illi omnes, ab obſcura interpretandi δυνάμει פותרים, unde fluxit Græcorum Πατὴρ, Latinorum *Pater*, dicerentur. Cum enim Græci & Latini vocem hanc non intelligerent, & illa ſummam affinitatem cum ſuis haberet quibus genitores ſignificant, factum ut Diis velut æquipollens nomen tribuerent Πατήρ. Ita & אב vel אבי, pro eo qui rei alicujus pretioſæ ἀλφηςὴς cluit, crebrò Orienti uſurpatur. Sed, ut dictum, nomen hoc peculiariter & κατ᾽ ἐξοχὴν Jupitri tributum eſt. Verbum ipſum *Patro* non aliunde quam à פתר fluxit. Quod primitus in bonam partem ſumtum, poſtmodum ad libidines tranſlatum eſt. *Quintil.* lib. 8. Illud tamen addere viſum quod Chronici Alexandrini author notat, Jovem ex Junone filium ſuſcepiſſe: ὅν, *inquit*, ὠνόμασε Βῆλον διὰ ὀξύπτερον εἶναι τὸν παῖδα, eo quod puer acutiſſimus eſſet. *Seldenus* hæc putat ridicula & pro ὀξύπτερον legit ὀξυκίνητον. Vide eum Synt. 2. cap. 1.

CAP. VIII.

Antiqui πολυθείαν nomine potius quam re ſtatuebant. Nomina inter Deos relatorum mutata. Satanas doctrinam de Deo corrupit. Generationem æternam Filii Dei Pallade ſua obſcuravit. Pan. Panici terrores. Pan invocatur. Fabula de Pane origines Philoſophiæ aperit. Iambe Sophiſtica Philoſophia.

UNum reſtat, quia non parum lucis toti tractationi inferre poteſt, paucis addendum: Antiquos πολυθείαν nomine potius, quam re ſtatuiſſe. Unum enim Deum à primis ſuis parentibus acceptum colebant, cujus tamen vera notitia, mox Diaboli fraude obliterata, occaſionem dedit multitudini Deorum. Cum veras rerum omnium cauſas ignorarent, ipſas res divino cultu & nominibus proſecuti ſunt. Igitur unum Deum, qui proprie JOVIS vel IHOVA, nunc Jupitrem, nunc Mercurium, aliàs vero Cererem, Apollinem ſive Martem, appellabant. Clare *Cicero* lib. 2. de Nat. Deorum: *Res ipſa, in qua vis ineſt major aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa vis nominetur Deus, ut fides, ut mens.* & paulo poſt: *Quid opis? Quid ſalutis? Quid concordiæ? libertatis? victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut SINE Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen invenit. Varro* apud Auguſt. lib. 4. de C. D. cap. 9. & 11. & lib. 7. cap. 5. 9. 23. *Doctores gentilium etſi Deos Deaſque plures nominabant*, *omnes*, ait, *in uno Iove comprehenſos voluiſſe, quorum illi facultates & munera eſſent. Apulejus* lib. de Mundo. *Cum ſit unus Deus, plurimis nominibus cietur, propter ſpecierum multitudinem: quarum diverſitate fit multiformis, & à Iuvando Iupiter dicitur.* Idem lib. 11. Mileſ. clariſſime docet Lunam unicam, *multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo à toto orbe veneratam. Omnes enim Deas inde deducit, Cererem, Deûm matrem, Minervam, Venerem, Dianam,*

Dianam, *Proſerpinam*, *Iunonem*, *Bellonam*, *Hecaten*, *Rhamnuſiam*, *Iſidem*. Unde concludimus ſub Solis numine omnes Deos mares cultos, ſub Lunæ feminas. Et de promiſcuis illis Deorum gentilium nominibus plena ſunt antiquorum monumenta. Ita Proſerpinam Junonem inferam nominat Maro, cumque ſecutus *Claudianus* 1. de raptu:

—— caliganteſque profunda
Iunonis thalamos.

Ita Diana dicta eſt Latona, Lucina, Juno, Trivia, Luna, quæ cum recenſuiſſet *Catullus* Epig. 35. addit:

Sis quodcunque placet tibi, Sancta, nomine.

Idem Scriptores priſci contra Paganos ex ipſis Ethnicis demonſtrarunt. Vide *Minucium* Felicem in Octavio. Accedit & altera cauſa. Solebant enim mortuis conſecratis nomina immutari, non tam, ne quis putet eos homines fuiſſe, ſecundum *Lactantium* lib. 1. Div. Inſt. c. 21. quam quod inde uſque ab Homero opinio fuerit, alia lingua Deos, alia homines uti. Unde illud:

Ξάνθον μὲν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.

Et:

Χαλκίδα μὲν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Hinc & Romulus poſt mortem *Quirinus* dictus eſt, & Leda *Nemeſis*, & Circe *Marica*: & Ino, poſtquam ſe præcipitavit, *Leucothea*, materque *Matuta*: & Melicertes filius ejus *Palæmon* atque *Portunnus*. Ita, quem vulgus Serapin vel Serapidem vocat, in cœlo *Oſiris* dicitur. *Lact.* d. l. Hunc unum Deum Athenienſes colebant in θεῷ ἀγνώστῳ. de quo Act. 17. Sed & inſignia ubique veſtigia Dæmoniacæ fraudis in his Deorum originibus extant. Hoſtis enim Dei hominumque Satanas, omnibus modis Dei gloriam ſibi vendicare, vel ſaltem ejus luminibus obſtruere ſatageus fuit. Cum noſſet res ob-

 ſcuras

ſcuras interpretari, ſolius veri Dei opus eſſe. *Gen.* 41. *Dan.* 2. verſ. 22. 28. dictum, factum, ipſus ſibi hanc laudem arrogat. Inde non ſolum Δαίμων, ut cap. 2. ſed & Jupiter dictus, ut cap. 5. monſtratum eſt. Cum noſſet Filium Dei æternam & increatam Sapientiam, quum nullæ eſſent abyſſi, editam, ante principium, ante primordia terræ, *Prov.* 8: 24.23. maximo facinore Palladem ſuam, hiſtrionio more ex Jovis memoria, non ſine parturientis dolore (verbum enim חללתי proprie accipiebat) proſilientem Orbi obtruſit. De quo jam olim conqueſtus eſt *Iuſtinus* Martyr in Apologia ad Antoninum Imper. quod Ethnici, fictitiis Jovis filiis in medium productis, doctrinam de Filii Dei generatione corruperint. Cum noſſet Domini eſſe terram & plenitudinem ejus, *Pſal.* 24. verſ. 1. impiiſſimus nequam ſub *Panis* ſchemate ſe colendum dedit. Apollo, Sol & Pan priſcis iidem ſunt. Pan ὁ τῆς ὕλης κύριος dicebatur, de quo *Macrobius.* In hymno Orphei hæc verba legimus, inquit *Bodinus* lib. 1. Dæmon. cap. 5 poſit. 28. Fruſtra naturam adit qui Pana non attraxerit, id eſt, Satanam non invocaverit. *Pan* enim iis dictus qui nobis vero nomine *Satan* dicitur. Inde Panici terrores, quibus maligni Spiritus homines vexant & exagitant. Quos & exinde ἀπὸ τοῦ δαιμαίνειν Δαίμονας dictos ſcimus. Et hic peſſimus impoſtor, quaſi omnes naturæ theſauros pectore ſuo concluſos teneret, ab iis qui de natura philoſophabantur, invocari volebat.

Totum hoc, quod hactenus de prima Sapientiæ origine dictum eſt, ex Mythica Philoſophia, fabula Panis & Echus concludamus. PAN, ut in Cratylo *Plato* tradit, τὸ πᾶν ſive Univerſum: Latini etiam Totum vocant, *Lucan.* lib. 10.

—— Quaſdam compage ſub ipſa
Cum Toto cœpiſſe reor.

Echo,

Echo, ejus conjux, Philoſophia eſt, naturæ, ex cujus contemplationibus primitus orta, exactiſſima imago. Hæc nil docebat, niſi quod verum & naturæ conſonans: quemadmodum Echo non reſonat, niſi reparabilem vocem mittas. Sed Pana audit quidem Echo & reſpondet; verum cum propius accedere vellet, fugit, &, repudiato ejus amore, Satyros ſectatur. Hoc quid aliud notat quam curioſitatem primi hominis? qui, cum ſcientiæ divinitatem affectaret, veram Philoſophiam prorſus amiſit. Ipſa impuro Satyrorum amore faſcinata, nulli uſui. Voluptates & mendacia ſectatur: ab ipſis quoque Satyris ſpernitur & parum curatur. Sed Pan adhuc amat Echo ſuam. Fiſtula ei blanditur & carmine, hoc eſt, laſcivientem admiratione operum naturæ vincit & ſtringit. Admiratio inquiſitionem, hæc ſcientiam parit. Inde rurſus aliquod conjugium, & Pan Echûs ſuæ concubitu fruitur. Ex quo JAMBE naſcitur, dicacula & mordax mulier. Quæ quid aliud quam prava Philoſophia eſt? Quam ipſe Spiritus S. *Prov.* 9. mulierem ſtultam & clamoſam, imperitam & nihil ſcientem vocat. Naturam quidem admiratur & abſtruſa ejus homo poſt lapſum inquirit, ſed plerumque pro auro ſcorias invenit. Tota ejus Philoſophia rixoſa eſt & dicax. Multa & in labris naſcentia verba de quibuſvis rebus effutit, falſa ponit, quæ ne indefenſa relinquantur, calumniis opus eſt. Inde origo Sectarum, quæ, velut rabidi canes, mutuis vulneribus ſe conſumunt: de quibus illud Flacci verum eſt:

Cadimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

CAP.

CAP. IX.

Diabolus, hæreſiarcha. Beelzebul. Rectène ſic ſcribatur? Ζέβυλ eſt ex Ζάβολος. CAIN ſectarum primus author. Corruptor Politices. Naida urbs. Cainitica Philoſophia qualis? Erant Epicuræi. בני אלהים *qui? Cabiri,* Κάβειροι, *unde?* נפלים *qui?*

VEriſſimè ſcriptum ab *Iſidoro* Peluſiota lib. 2. Epiſt. 90. Αἱρέσεις ἔτεκεν Διάβολος. Qui ut Deo, ita & veritati bellum internecivum indixit, quod ſumma fraude cum hominum genere gerit. Unde Chriſtus veriſſimo elogio eum Patrem mendacii vocat *Ioh.* 8: 44. & imprimis appoſitè *Matt.* 10: 25. *Marc.* 3: 22. *Luc.* 11: 18. 19. Βεελζεβοὺλ, quod idem eſt atque ſi dicas Κύριος τῶν Διαβόλων, ſive, ut ipſi Evangeliſtæ explicant, Ἄρχων τῶν Δαιμονίων. Et ita legunt optima exemplaria & vetuſtiſſimum Arabicum Erpenii باعلزبول quod ſonat Jupiter Stercoreus, idque nomen in opprobrium & contemtum Idololatriæ ei inditum. Ut Beelzebul idem ſit quod ἐγγαστρίμυθος, ἐντερίμαντος aut ἐγγαστρίμαντος, cujus appellationis originem præclare ediſſerit *Photius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Epiſtola ad Theodotum Spatharum, quæ extat apud *Camerarium* Cent. 3. cap. 71. Putant quidem *Beza* & alii ſcribendum eſſe mutato λ in β Βεελζεβοὺβ, ex 2. Reg. 1: 3. quam conjecturam vel ipſi Sacri Scriptores refutant, qui ἄρχοντα τῶν Δαιμονίων vocant. At Μύαγρος ille ſive Σμινθεὺς Accaronitarum, non erat ἄρχων Δαιμονίων, ſed, ut ex officio patet, unus minorum gentium. Ζεβοὺλ igitur plane idem quod Ζάβολος. Notum enim Æolica dialecto Ζαβάλλειν pro Διαβάλλειν, Ζάβολος pro Διάβολος dictum eſſe. Quæ vox, quantum frequentata fuerit, ex eo patet, quod Latini quoque, *Cyprianus*, *Hilarius*, & *Papias*, Zabolus, pro Diabolus ponant. Unde & à Judæis ἐν τῇ Διασπορᾷ Ζάβολ, Ζάβουλ, Ζέβουλ, ex quo Βεελζεβοὺλ factum eſt. Altera

ratio

ratio eſt, quia, quem *Marcus* verſ. 22. cap. 3. Βεελζεβοὺλ vocaverat, cum mox verſ. 23. Σατανᾶν vocat. Quæ vox propriiſſime notat Διάβολον, non vero Idolum illud Accaroniticum. Vulgata igitur & Græcum illud exemplar, forraſſe ex Vulgata correctum, perperam ſubſtituit Βεελζεβοὺβ. *Seldenus* Synt. 2. cap. 6. ſcribit: *Ob quam rem ad principem Dæmoniorum denotandum uſurpetur Beelzebub aut Beelzebul (dum tamen innuebant Beelzebub) fateor cum Origine me omnino latere.* & paulo poſt: *Neque hunc faciunt Ebræorum monumenta Dæmoniorum principem, ſed ASCHMEDAI potius.* Chald. Paraphr. ad Eccleſiaſt. Hic igitur Diabolus (ut, unde digreſſa eſt, redeat oratio) ejectis ex Paradiſo primis hominibus, inter paucos adhuc ſubſiſtente humano genere, mox erroneæ Philoſophiæ ſemina ſparſit, divina humanaque omnia ſubvertit per KAINUM, optimi patris peſſimam prolem. Hic (ut de Idololatria nihil dicam) imprimis illam Philoſophiæ partem corrupit, quæ in civili vita conſiſtit. Cum enim impias manus fratrino ſanguine imbuiſſet, conſcientia admiſſi facinoris agitatus, furias ultrices metuens, ſecuritati ſuæ, exdificata & contra vim munita urbe, proſpexit. Quam *Ioſephus* lib. 1. cap. 3. *Naida* vocat: dubio procul ex LXX verſione, qui illud בארץ נוד verterunt, ἐν γῇ Ναΐδ. *Moſes* Hanochiam vocat. Ita igitur Philoſophia in duas ſciſſa ſectas eſt, filiorum Dei & hominum, ut c. 6. *Gen.* vocantur, ſive familiam Sethi & CAINI. De quorum ſciſſione rara tradit Arabs Antiquus *Said* Aben-Batrich MſS. *Sethi familiam poſteroſque montem occupaſſe in quo Adam ſepultus eſt; Caini vallem in qua Abel occiſus. Adeo autem infenſos fuiſſe Caino propter occiſum Abelem Sethitas, ut ſolemni juramento ſe obſtringerent* بدم هابيل *per ſanguinem Abelis, in vallem ad Cainitas ſe nequaquam deſcenſuros.* Quem locum debemus *Seldeno* proleg. 3. de Diis Syris. Ipſe KAIN peſſimus,

mus, & omnibus exoſus, non niſi peſſimorum conſortio gaudebat. Illi ſeminarium Politiæ, Religionis, & Philoſophiæ erant. Unde & errores brevi tempore in immenſum creverunt. Lucroſus inſuper pondera & menſuras excogitavit, latrocinia quoque in finitimos exercens. Neque quiſquam melius expreſſit, qualis eorum Philoſophia fuerit, quam *Iudas* Epiſt. ſuæ ℣ſ. 10. & 11. audaciſſimæ inſcitiæ & bruti ſtuporis Cainitas reos peragens. Rationem igitur corruptam principii loco habebant, cum qua, quod minus conſentire videbatur, audaciſſimè explodebant. Cætera *φυσικῶς* cognoſcentes, ad curam & voluptatem, veluti bruta ventri obedientia, referebant. Ut plane Epicuri Philoſophia jam tum in animis hominum radices egerit. Quæ brevi tempore tanta incrementa ſumſit, pertractis per vetitos hymenæos, ad ſectatores etiam illos, qui Filii Dei vocantur, ut, uno aut altero excepto, totus mundus in errore illo jaceret, quem diu poſt Epicurus rurſus in lucem produxit Deum mortalia non curare, nec ira tangi nec peccatis aut gratia affici: unde ſpernebant admonitionem de Diluvio, *Gen* 6. 16. 26. 27. 2. *Pet.* 3: 20. בני אלהים enim ſunt, qui ex Adami & Sethi Schola profecti, veram Philoſophiam habebant. Sic dicti, quod potentes & excellentes viri propter Sapientiam haberentur. Quales divinitatis alicujus opinionem ſemper affectarunt: Qualium ex CAINI Schola, tanquam ex equo Trojano, innumeri prodiere, quos נפלים אנשי השם: גברים Moſes cap. 6. vocat, & ab his, ut videtur, omnis illa Deorum turba. Inde dicti *Semones* : hoc אנשי השם: Vide *Euſeb.* 5. *προπ.* cap. 4. & 7. cap. 3. *Qui gigantes produxerunt ſive immortales quidam ſive mortales, malefica quædam artificia & magicam pravitatem excogitaſſe primi dicuntur.* Inde KABIRI, *Κάβειροι*, quorum Sacra ex Oriente, præcipue tamen Arabia; ubi CABER ſeu CUBAR cultus

(de

(de quo ex antiquis *Seldenus* Synt. 2. cap. 4.) in Samothraciam poſtmodum tranſlata eſſe *Nonnus* teſtatur. Κάβειροι autem ſunt Divi potes (δυνατοὶ, uti ab antiquis vocantur, μεγάλοι) ſive גברים. Inde enim, cum Moſes eos ita vocet qui potentia & honore in toto orbe celebratiſſimi erant, potius duxerim, quam à כבירים, ut *Scal.* & *Seld.* volunt. Non enim inuſitatum eſt, Gimel Hebræorum Græcis in Kappa mutari. Ita enim à גמל, ſive Syro גמלא, ſuum Græci κάμηλος, Latini *Camelum* fecerunt. Ut in manifeſto errore *Munſterus* ſit, qui, quaſi *Gimel* nunquam in κ mutaretur, Latinis ſcribendum eſſe *Gamelus* contendit, non Camelus. *Notis* ad cap. 24. *Geneſis*. Et ita in Opere Biblico ſuo perpetuo ſcribit; ſed in לשרבות habet Camelum. κάμηλος, גמל. Antiquis etiam C & G indifferenter uſque ad Sp. Carvilii tempora uſurpatum, Grammatici notarunt. Ita, quos *Onkelos Kardu* vocat, Armeniæ montes, *Curtius Cordæos*, alii *Gordiæos* vocant. Vide lib. 2. cap. 1. alii regionem Cardyenſium. Et nemo non videt, derivata à גבר Diis potius convenire, quam à כבר. Χάβαρ autem Saracenorum *Venus* ſeu *Urania*, ut *Seldenus* Synt. 2. cap. 4. vult: quam vocem Euthymius Zygabenus interpretatur μεγάλην: non aliunde eſt quam à גבירה: quæ vox Auguſtæ & Reginæ tantum tribuitur in Sacris, 2. *Reg.* 10. 13. *Ier.* 13. 18. Id quam tantum Deæ conveniat nemo non videt. Certe probabilior hæc ſententia, quam ſi à כבר deducamus. Sic apud Macedones Cabyrius Deus. *Lactantius* lib. 1. cap. 15. Gabyrum vocat: *Summa veneratione coluerunt Macedones Gabyrum.* Apud Romanos Caburorum familia. *Cæſar* 1. Comm. *M. Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium.* נפלים autem qui fuerint non ſatis conſtat. Niſi tamen inde Poëtarum fabulas de Gigantum & Titanum audacia deducere velis. Ita enim vocem hanc Rabbini explicant. Sed ratio, quam *Kimchius*

affert, ridicula eſt. Quaſi, quia alii eorum pavore conciderint, inde ipſi *Cadentes* appellati fuerint. Neque ea, quæ *Gerundenſis* affert, ſatis firma ſunt. *Bileam* Num. 24. bis appellatur נפל cadens, quem magum nefandiſſimum fuiſſe conſtat, Gigantem nemo dicit. Ut probabile ſit נפלים dictos non tantum propter vaſtitiem corporis, ſed & quod magi atque incantatores eſſent, illam corruptiſſimam KAINI Philoſophiam exercentes. Talis enim נפל Bileam quoque fuit. Tales & illi, qui poſterioribus ſeculis *Necromantici* dicti ſunt, quod mortuorum cadavera, Diabolo animata, iis reſponſa dare cogerentur, de quibus 1. *Sam.* 29. & apud *Lucanum* lib. 6. agitur. Quales & נפילים fuiſſe ex ipſa voce probabile ſit. נפל enim & מפלה cadaver notant. Ut & נבלה, quæ vox planè cum hac congruit.

CAP. X.

Quomodo primitus Philoſophari cœperint homines? Admiratio cauſſa Philoſophiæ. De ea tamen Ethnici non rectè ſenſere. Cur antiqui tam μακρόβιοι? Theophraſti inanis querela.

NOndum, quanam occaſione moti, Sapientiæ ſtudium adeo excoluerint antiqui & primi noſtri parentes, dictum eſt. Cauſæ autem variæ ſunt & multiplices, quarum aliquas ſaltem commemorare, neque alienum à noſtro propoſito, & valdè fructuoſum erit. Cum primi parentes noſtri, fraude Diaboli, omni ſolida ſapientia penitus excidiſſent, dubium non eſt, quin, detumeſcente indies dolore, cum, quod factum, infectum fieri non poſſet, animum ad ſcientias excolendas adjecerint, quarum adhuc ſcintillæ quædam & rudera non contemnenda in ipſorum animis erant. Quod neque Ethnici omnino ignorarunt. Nam *Maro* 1. Georg. Imperium Jovis deſcribens:

Mella-

Mellaque decuſſit foliis ignemque removit. &c.
Ut varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim.
Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

De quo argumento etiam in Medea ſua *Seneca*, & *Claudianus* 3. de Raptu:

Provocet ut ſegnes animos rerumque remotas
Ingenioſa vias paulatim exploret egeſtas,
Utque artes pariat ſolertia, nutriat uſus.

Qui, ſecundum Cæſarem, 2. de Bello Civili, *omnium rerum Magiſter eſt.* De quo tamen recentiores Philoſophi adhuc litigant. Multis enim non uſus Magiſter artis, ſed ars Magiſtra uſus videtur. Quod verum de uſu incerto. *Scal.* Ex. 1. ſect. 3. *Uſus incertus certis legibus caſtigatur, quæ leges ſola poſſunt arte conſtitui.* Idem *Th. Beza* vult Epiſt. ad P. Ramum. Sed, ut ad propoſitum redeamus, cum priſci mortales hoc ſtudium τ̃ τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστημάτων καὶ παθῶν (ut Plutarchus 8. *Συμπ.* loquitur de Philoſophia) non prorſus inane φάρμακον ſenſiſſent, magis atque magis ejus deſiderio incenſi ſunt. Accedebat major in ipſis Spiritus S. afflatus, quo ad hoc munus peculiariter eos proſecutus eſt. Nam ſciendi deſiderium ipſis & magno ſtetit, & cum cæteris commune fuit. *Ariſt.* 1. Metaph. 1. πάντες ἄνθρωποι τὸ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Quod deſiderium quantum fuerit ex tot ac tam mirandis naturæ operibus, quarum inferiores cauſæ tum adhuc ἐν βυθῷ latebant, unicuique patet. Hæc enim velut pabulum quoddam erant naturalis deſiderii, quo ſcientiam proſequimur. Ex quo rurſum ADMIRATIO nata eſt, cauſa προκαταρκτικὴ omnis ſtudii & laboris, quem tanta cum voluptate in abſtruſiſſimarum rerum indagandis cauſis conſumimus. Cui quantum & gentiles tribuerint, ex ipſo *Ariſto-*

Digitized by Google

tele patet, qui 1. Met. c. 2. inquit: διὰ τὸ θαυμάζειν, οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν, καὶ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. Unde & in NIL ADMIRANDO Philoſophiæ finem *Pythagoras* & *Stoici* collocabant. Ex quorum mente *Flaccus* lib. 1. Epiſt. 6.

NIL ADMIRARI prope res eſt una Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatos.

Plato, in Theæteto, tum demum Philoſophiam perfectam fore ſtatuit, cum, omni admiratione depoſita, perfectam cauſarum notitiam complectetur. Quæ admiratio cum magnam partem ex contemplatione tot mirabilium rerũ oriatur, factum hinc ut & αἴσθησιν inter Philoſophiæ cauſas conſecrarint. Quam cauſam imprimis Ægyptii, tanquam antiquiſſimi omnium ſibi vendicabant, ut ex *Euſebio* lib. 1. προπ. cap. 6. infra monſtrabimus. Quo pertinet illud, quod author Epiſtolæ ad *Hebræos* c. 5. ℣ſ. 14. ſcribit: τελείους ſive myſteriorum capaces eos tamen eſſe, οἱ διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχουσι πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Quanquam ibi τὰ αἰσθητήρια γενικώτερως accipi, ut per ea omnes intelligendi ac judicandi facultates intelligantur, jam alii monuerunt. Contrarium ſentit *Democritus*, qui ſenſus, velut inimicos contemplationi, à Philoſophia proſcripſit, ſeipſum verò luminibus oculorum ſua ſponte privavit, quod exiſtimaret cogitationes commentationeſque animi ſui, in contemplandis naturæ rationibus, vegetiores & exactiores fore, ſi eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberaſſet. Vide *Gellium* lib. 10. cap. 17. παράδοξον *Baſilius* Magnus egregiè retundit, qui mundum vocat παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον. Sed, quod de admiratione dictam eſt, id longe aliter illi intellexerunt atque nos intelligimus. Homines enim cum vi Solis, ſive, ut Stoici loquebantur, divini Ignis, ex terra repente, tanquam & ſomno, proſiliiſſent, oculos caſu ad cœlum tollentes, admirari cœpiſſe,

Digitized by Google

cœpiſſe, ſidera & ignitos globos, de quibus, unde aut cur eſſent, nihil ipſis adhuc conſtabat. Inde rerum cauſas inquiſitas eſſe. *Apulejus* lib. de dogm. Plat. *Homo oculis metitus eſt cœlum ſiderumque circuitus & aſtrorum obitus atque ortus eorumque cum ſignificatibus ſpatia comprehendit. Ex quo pulcherrimus & uberrimus fons ille Philoſophiæ profluxit.* Vide eundem, lib. de Mundo, origines Phyſicæ aperientem. Quæ omnia nos inter anicularum nænias referimus & περιψήματα Gentilium, qui hoc ipſo planiſſimi produnt, quantum neſciant. Neque etiam finem Sapientiam ſtatuimus, admiratione exuta ἀναισθησίαν quandam induere; ſed tum demum vere admiramur τὰ τοῦ θεοῦ μεγαλεῖα, cum, ſubductis omnibus rationibus, quantus ſit ille, qui hæc omnia ita fecerit, cogitamus. Et quia nihil difficilius eſt, quam rerum difficultatem inveniendi ſagacitate vincere; ideo Patriarchis vitam ad tot ſecula Deus prorogavit. Ita enim *Ioſephus* antiquitatum author lib. 1. cap. 4. quem locum etiam *Euſebius* citat. lib. 9. πρaπ. cap. 4. *Illi*, inquit, *Patres, Deo chari cum eſſent, ipſiuſque recens tum opificium, & commodiore victu ad diuturnitatem uterentur; merito per tam multos annos vivebant. Præterea tum propter ſtudium virtutis, tum propter utilitatem inventarum artium, ut Aſtronomiæ ac Geometriæ, Deus illis prolixiorem largitus eſt vitam, quarum certitudinem aſſequi non poterant, ſi minus DC annis vixiſſent. Ex tot enim magnus annus conſtat.* Plato etiam apud *Euſebium* 10. πρaπ. cap. 2. de primis artium inventoribus agens: *Longam*, inquit, *ætatem multi conſecuti propter æſtivi temporis ſerenitatem; quam Ægyptus maximè & Syria poſſident.* *R. Levi* longævitatem primorum parentum, opus providentiæ, non naturæ, appellat. *Rogerius* Bacon, eos, quod SAPIENTES fuerint, media ſanitatem conſervantia excogitaſſe ſcribit. Ut intoleranda eorum audacia

cia ſit, qui neſcio quos annos menſtruos ſingunt, inter quos princeps eſt *M. Varro*, teſte *Lactantio* lib. 2. Inſt. c. 7. quem refutat, miſerè torquentes Moſen, cujus defenſionem multi, ut recentiores taceam, antiquiorum ſuſceperunt. *Theophraſtus*, in ſumma ætate moriens, accuſaſſe naturam ſive Deum περὶ βραχυβιώτητος dicitur, quod, cum cornices aliaque animantia longiſſime vivant, homo, divinum & rationis capax animal, vix natus, rurſum denaſcatur; cui ſi ad aliquot ſecula protogaretur vita, futurum ut artes & ſcientias omnes melius perficerentur. Vide *Ciceronem* lib. 5. Tuſcul. Nunquam hoc præſtantiſſimus vir facturus fuiſſet, ſi, quam μακρόβιοι fuerint antiqui patres, ad excolendas artes, vel per tranſennam inſpexiſſet, ſimulque perpendiſſet *non tempus nobis deeſſe, verum induſtriam, verum ordinem & rationem & modum diſcendi. Quintil.* lib. 12. cap. 10. Tot igitur continuata annorum ſerie indefeſſo ſtudio artibus incumbentes, non eas inveniſſe modo, ſed & ſummam iis manum impoſuiſſe, credendum eſt. Unde & מחקרים ſive Μάκαρες, ut cap. 4. monitum, dicti ſunt, quod inquirendi ſtudio omnia vincerent. De quo *Periander* Corinthius dicere ſolitus eſt: Μελέτη τὸ πᾶν. *Auſonius* in ludo Septem Græc. Sapientum: ſive, ut alii recenſent: Μελέτη πάντα δύναται. *Cl. Alex.* in l. 5. Strom. quo & Diogenem crebrò uſum ferunt. Recte enim *Columella* 1. de re Ruſtica cap. 1. *Uſus & experientia dominantur artibus, neque eſt ulla diſciplina in qua non peccando diſcatur. Nam ubi quid perperam adminiſtratum ceſſerit improſpere, vitatur quod fefellerat, illuminatque rectam viam docentis Magiſterium.* Mirum eſt quod *Seldenus* monet, Matheſin arteſque ferme omnes ſequiori ſexui in Apocryphis Enochi acceptas ferri. Synt. 1. de Diis Syris cap. 1.

CAP.

CAP. XI.

Catalogus primorum Philoſophorum. Adam, Abel, Seth, Henoch. Kaini αἵρεσις corruptiſſima. Filii Seth pro hominibus, more Ebræorum.

CErtum eſt homines ante inveniſſe artes quam docuiſſe, ut *Quintilianus* lib. 7. cap. 11. monet. Quare nihil ad primæ tractationis perfectionem deſiderari puto, præterquam brevem eorum elenchum, qui primitus hanc Sapientiæ viam calcarunt, & ſeculo ad ejus inquiſitionem ſtudiosè præiverunt. Quod ubi fecerimus ex ipſa Scriptura manifeſtum fiet quantas orbi tenebras pro clara luce Ethnici obtruſerint, ſuos neſcio quos Deos, ſive Dęmones, pro veris Sapientiæ authoribus ſtulte venditantes. Initium autem ab eo faciemus, à quo & ipſum genus humanum & omnes artes initium habent, ADAMO, qui Philoſophiam inter Paradiſi delicias ab ipſo Deo didicit, à cujus poſtmodum poſſeſſione, deturbatus quidem, non tamen penitus ejectus, præſtantiſſimus omnium, qui ſunt, fuerunt, aut erunt, Philoſophorum cenſendus eſt. Et de primis illis generis humani parentibus in univerſum *Keckermannus* dicit ſe non dubitare cum reliquis diſciplinis etiam Logicam poſteris ſuis tradidiſſe, præſertim cum Origini omnium propiores tanto præſtantiorem intellectum habuerint noſtro ingenio atque intellectu, quanto & vitæ diuturnitate & valetudinis firmitate & denique aëris, victus, & rerum omnium à terra naſcentium præſentia, nobis ſupra quam dici poteſt præſtantiores fuerunt. *Tract.* 2. præcogn. Logic. cap. 2. Ex Adami Schola KAIN & ABEL, ille falſæ & erroneæ Sophiſtices author, hic veræ à parentibus acceptæ ſtudioſus, primitus in diſputationes, inde contentiones & rixas devenere; quas iniquioris cauſæ patronus Kain, non, niſi cum fratris

H nece,

nece, depoſuit. Inde SETH exortus ut æthereus Sol, una nimirum cum patre opera, Sapientiam coluit; maxime vero illam partem, quæ relictis terris, ipſa ſidera, eorumque πάθη καὶ συμπτώματα ſcrutatur: in qua ſapientia plane inſignis & admirandus Doctor evaſit & propagator ejus factus eſt. *Ioſeph.* lib. 1. Ant. cap. 3. De quo & *Bartaſius* Hebdom. 2. lib. 4.

Aſtra ſerena docet, pluvios generantia nimbos,
Aſtra, ſalutiferas & cæca peſte nocentes
Plantas, innocua & nocitura animalia narrat.

Cujus poſteri, qui Originum cap. 4. recenſentur, hanc procul dubio acceptam à patre excoluerunt. Præ cæteris vero HENOCH, de quo Moſes dicit quod cum Deo ambulaverit, quod Perſius, *cum Iove vivere*, nominat, à quo ſe etiam Aſtrologiam accepiſſe profeſſus eſt Abraham, teſte Alexandro ac *Euſeb.* lib. 9. πρπ. c. 5. De Mathuſalah *Artabanus* apud *Euſeb.* l. 9. πρπ. cap. 5. eum ab angelis multa cognoviſſe quæ cæteros docuerit. Omnes illi creſcenti Pſeudo-Sophiæ KAINITICÆ ſtrenuè ſe objecerunt, ut ex iis, quæ cap. 9. ex Batricide Arabe tradita ſunt, clarum eſt, cujus ſectatores cap. 4. & 6. *Geneſis* recenſentur. Ex Cainitis ingenioſiſſimus fuit *Lamech*, qui filios ſuos varias artes edocuit, Oeconomicam, Muſicam, & Fabrilem. Muſica autem antiquis totam Philoſophiam complectebatur, de quo infra lib. 3. cap. 8. De quibus quo minus plura addam, facit ipſius hiſtoriæ obſcuritas, quæ tam longe ab omnium Hiſtoricorum ævo remota fuit, ut vel nihil, vel falſa, vel incerta prodiderint. Illud ſanè conſtat, nunquam corruptiorem Sophiſticen in ullo ſeculo fuiſſe. Omnia enim ſcelera & vitiorum monſtra, non tam impunè permiſſa, quam lege ſancita videbantur. Unde poſtremis temporibus, inter tot inſanientium millia, unus tantum repertus eſt juſtus & integer; cæteri

omnes

omnes divina & humana nefario auſu corruperant, quibus ſceleribus expiandis, novis, præter Oceanum, aquis opus erat. Tota igitur impia KAINI Schola diluvio deleta, relicta, ex poſteris Sethi, unica Noachi familia. Unde & *filii Seth*, pro hominibus in genere ſumuntur, *Num.* 24. verſ. ad quem locum *Munſterus* notat: *Per filios Seth, ut Chaldaiſmus habet, intelliguntur filii hominum.* A Seth enim omnes propagati ſumus: proles autem Caini diluvio periit. Ita & *Santes Pagninus: deſtruet omnes filios Seth. Iunius* tamen longe diverſo modo accipit, vertens ita: *& deſtruet omnes eos qui ponè ſunt.* De quo tamen nunc agendi locus non eſt. Ad cætera tranſimus. Auditorum & ſectatorum ingens ſemper copia. *Quintilianum* audi præfat. l. 1. Inſt. Orat. *Hæc quæ velut propria Philoſophiæ aſſerunt, paſſim tractamus omnes: Quis enim non de juſto, æquo, ac bono, modo non vir peſſimus, loquitur? Quis non etiam ruſticorum aliqua de cauſis naturalibus quærit? Nam verborum proprietas ac differentia, omnibus qui ſermonem curæ habent, debet eſſe communis.* Nam Philoſophus inquit pro viro bono, lib. 2. cap. 22. *cum Philoſophum dicunt hoc accipi volunt, virum bonum. Unde & omnes boni viri Philoſophi dicendi erunt.* Præcipui tamen Aſtrologiæ ſtudioſi fere omnes jam à condito mundo erant. *Minucius* Felix in Octavio: *Relinquenda vero Aſtrologis prolixior de ſideribus oratio, vel quod regant curſum navigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant.*

Digitized by Google

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

Liber Secundus.

Cap. I.

Noach inſtaurator Sapientiæ. Quis fuerit apud Gentiles. Ianus vir ſapiens, à יין. Prometheus. Filii Noachi non abierunt in diverſas orbis partes, ſed eorum poſteri. Beroſus ἀποβολιμαῖος & ψευδεπίγραφος. De ejus origine conjectura. Sibyllæ quænam fuerint? De iis ἀσύστατα & falſa multa traduntur.

PErventum eſt ad ejus tempora, de quo olim cum naſceretur dictum eſt: זה ינחמנו ממעשנו: unde ſpei velificantes, meliores curſus, quam hactenus habuimus, nobis pollicemur. Certè quæ navis, tot variarum & falſarum de Diis opinionum remoris, ſæpe in medio curſu ſufflaminata eſt, ea nunc ſimpliciori rerum narratione contenta, plaudentibus remis æquor ſulcabit.

Redactis ad paucos per diluvium hominibus, Philoſophia, Tyrannide Kainitica liberata, reſpirare incipiebat. Noachus enim vir ingenio & doctrina ſupra ſuum

ſuum ſeculum, velut alter generis humani parens, cum natura rerum, ipſius quoque Sapientiæ inſtaurationem aggreſſus, digna exiſtimatione ſua & nomine egit. Philoſophiam, non modo in familia ſua, viva voce docuit; ſed & ejus præcepta, ſi *Beroſo* credimus, literis conſecravit. Æmulatus in hoc majorem ſuum Sethum, quem idem feciſſe *Ioſephus* memorat. Neque ignorabat poſteros ſuos brevi tempore in omnes orbis partes diſperſum iri. Ex Sacris autem nemo ignorare poteſt, eum primis poſt diluvium temporibus in Armenia conſediſſe. Qui montes à Moſe *Ararat*, ab Onkelos *Kardu* appellantur. Quorum & *Curtius* meminit, *Cordæos* nominans: alii *Gordiæos*, *Gordienos*, vel *Gordenos* vocant, ubi hodieque reliquias Arcæ conſpici volunt, de quo vide *Ioh. Mandev.* cap. 54. Itinerarii, præter innumeros alios. *Nicolaus* Damaſcenus montem illum *Barin* vocat apud *Ioſeph.* 1. Ant. & *Euſeb.* 8. προπ. cap. 4. Et recte Plato eos qui diluvium evaſerant vult in montibus habitaſſe, apud *Euſeb.* 12. προπ. cap. 10. ſed, quod expertes artium diſciplinæque civilis ignaros fuiſſe tradit, in eo errat. Unde idem Beroſus, ſolis apud ARMENIOS & Scythas (quià Syris ſive Aramæis deſcenderunt, unde & Arimaſpi dicebantur, ut alibi dicemus) ſacerdotibus, Noachi Philoſophiam & docere & legere fas fuiſſe tradit. Docuiſſe autem curſum aſtrorum & annum diſtinxiſſe ad Solis motum. De quo noſtro quid inaudierint gentiles dicendum eſt. JANUM quendam in Italiam veniſſe tradunt & ibi regnaſſe. Quem alio nomine Saturnum vocant. Unde autem eo venerit, ii facile cognoſcunt, qui cujas vox ſit יין & סתר non ignorant. Unde ipſe Janus ac Saturnus nomen habet, ille, primo quidem Jainus, inde, expulſa litera, Janus dictus: *Bapt.* Mantuan.

——— mox litera tertia priſco
Pulſa loco fecit fraudato nomine Ianum.

Italia vero, in qua regnavit, Oenotria dicta. *Maro* lib. 7. recenſens antiquos Latii reges:

——— Italuſque paterque Sabinus,
Vitiſator curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex Ianique bifrontis imago.

Eidem ſummam prudentiæ & ſapientiæ laudem adſcribebant. Quo referendum illud, quod bifrons ab iis pictus eſt, quod etiam *Macrobius* lib. 1. Sat. de ejus prudentia & ſolertia explicat. De Saturno *Euſeb.* lib. 1. cap. 7. ex Phœnicum Theologia: *Saturno quatuor oculos inſigne regale compoſuit: quorum duos in anterioribus, duos in poſterioribus partibus corporis collocavit, qui viciſſim contracti quieſcebant.* Sicut & *Homerus* à principe ſuo requirit ut ſit oculatus πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Et notum illud: Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. Salomon vero inde potiſſimum Sapientis deſcriptionem petit, quod habeat עיניו בראשו *Eccl.* 2. 15. Quanquam bifrontem Janum aliter alii explicent: quod, in medio conſtitutus, annum incipientem pariter & recedentem ſpectare videatur. *Cyprianus* l. de Idolorum vanitate. Ita ergo quem Moſes vocat NOACHUM, gentiles ſub JANI vel Saturni nomine coluerunt. Aliis Saturnus eſſe putatur, ut Goropio Becano. De quo, propter tot mirabiles Græcorum fabulas, non habemus, quod affirmandum videatur. Genuæ nomen inde ducunt fabulæ. Unde in portu Genuenſi talis inſcriptio legitur. JANUS. P. M. ITALIÆ REX DE PROGENIE GIGANTUM. QUI FUNDAVIT JANUAM TEMPORE ABRAHÆ. Et alia inſcriptio. *Ianus Princeps Trojanus Aſtrologiæ peritus, navigando ad habitandum quærens locum ſanum, durabilem & ſecurum, Ianuam jam fundatam à Iano Rege Italiæ, Pronepote Noæ,*

Noa, *venit*, *& eam cernens mari & montibus tutiſſimam*, *ampliavit. P. Bertius Tab. Geogr.* Abydenus autem Hiſtoricus Græcus Noachum Siſithrum vocat. *Euſeb.* lib. 8. προπ. cap. 4. Sunt qui putant, cum circa Noachi tempora vixerit Prometheus, eum ipſum eſſe, qui in ſacris Noach appellatur. Unde apud Æſchylum inter alia gloriatur, repertum ſuum eſſe curtus illos nauticos, qui lineis alis vagentur per mare. Vide *Muretum* lib. 1. Var. Lect. cap. 9. Quem potius Noachi nepotem fuiſſe dixerim. Japetus enim alius non eſt quam qui in ſacris Japhet appellatur, cujus, ut notum, filius Prometheus erat. Ejus uxor Aſia, illi terrarum parti nomen dedit, *Herodoto* teſte in Melpomene. Quam ita ab [illegible] dictam, nemo ignorat. Aliquandiu autem circa Gordiæos montes ſubſtitiſſe Noachum, inde vero in Syriam, quæ una ferè cum Armenia, moviſſe vix dubium eſt. Sapientiam autem filiis ſuis tribus eorumque liberis tradidit, à quibus poſtea, tanquam à fonte quodam, omnis Sapientia, omnes diſciplinæ manarunt. Illud enim, quod ipſos Noachi filios, ſingulos ſingulas orbis partes incoluiſſe volunt, non ſatis firmum videtur. Ita enim Pſeudo *Beroſus* refert, Noachum cum tribus filiis in Pontum veniſſe & ratibus colluſtraſſe littora maris mediterranei. Primo filio Semo monſtraſſe Aſiaticum litus, Chamo Africam à Nilo ad oceanum uſque Gaditanum, Japheto omnem Europam obtigiſſe, ſed cum minore Aſia, ut Poſtellus & M. Beroaldus obſervant. Et *Epiphanius* in Ancorato: *Noah*, inquit, *velut hæres mundi à Deo conſtitutus diviſit tribus filiis ſuis univerſum mundum ſub ſortem miſſum & unamquamque partem juxta ſortem ſingulis diſtribuit.* Sed de Beroſi fide non eſt quod nobis multa polliceamur. Non enim aliunde deſcendit quam ex cerebro Annii Viterbienſis Monachi, hominis non indocti, cæterum ingenio-

genioſiſſime nequam. Quem tamen aliquid antiquarum chartarum adulteraſſe putarim. Unde alias laminæ illæ ex Hebræa lingua & Chaldæa, rudi præſertim ſeculo, profectæ ſint? quæ non minimam trepidationem in eruditorum animis excitarunt. Beroſi nomen in toto orbe celeberrimum erat, cujus hiſtorias citant *Ioſephus* lib. 1. contra Appion. & *Athenæus* lib. 4. Fuit excellens Aſtrologus, cui propter prædictiones ſtatuam inaurata lingua publicè in Gymnaſio Athenienſes ſtatuerunt, teſte *Plinio* lib. 7. cap. 37. Ejus igitur nomen fabulis ſuis Annius præſcripſit. Quæ fraus non infrequens. Ita alii Hermetis Triſmegiſti, vel Zoroaſtris ac Sibyllarum nomina nugis ſuis præſcripſerunt. Sed, ut ad ſuperius dicta redeat oratio, probabile non eſt, ipſos Noachi filios in omnes orbis partes tranſgreſſos; ſed eorum demum poſteros, cum jam in Oriente homines multiplicari cœpiſſent, colonias duxiſſe. Quarum cauſæ abundantia virium, & anguſtia natalis ſoli. Quod ultimum littus oceani & diremta frigoribus plaga colitur, inde eſt. Patria modo alendis nobis ſufficiat, haud facile mutatur. Tum Originum cap. 9. univerſum genus humanum, quod Orientis plaga adhuc ſe continebat, ad turrim ædificandam confluxiſſe dicitur. Non ergo Noachi filii, ſed eorum demum poſteri, poſt confuſionem linguarum, in reliquas terras commigrarunt, primum viciniores, Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, Pontum, Aſiam, poſtmodum demum remotiores, Europam, Africam, & Americam. Cui ſententiæ etiam *Lactantius* Firmianus lib. 2. Inſt. cap. 14. ſubſcribit. De filiis Noachi dictum eſt, ſilentio ne ejus nurus præteribimus? quas non minus atque filios à Noacho in Sapientia inſtitutas conſtat. Paucis ergo, & quantum in re obſcura fieri poteſt, de iis quædam attexamus. Quid Beroſus μυθολόγος ſcribat, notum eſt. Noham ejuſque filios

filios habuiſſe uxores, Elementorum quatuor nominibus inſignitas: *Eſtham*, *Majam*, *Aretiam*, *Ruham*. Quæ nil aliud ſunt, quam λόγοι & fabulæ. Nos cum antiquitate Sibyllas vocamus. *Varro* apud *Lactant.* lib. 1. cap. 6. *Omnes fœminæ vates Sibyllæ ſunt à veteribus nuncupatæ*, quæ alio nomine ab antiquis Chaldæis SAMBETHÆ dictæ ſunt. Sibylla igitur Erythræa, quam inter omnes præcipuam fuiſſe conſentiunt, lib. 3. profitetur ſe Noachi nurum eſſe:

Τοῦ μὲν ἐγὼ Νύμφη, ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτέχθην.

Eadem 1. libro in Diluvio cum Noah & arca ſe fuiſſe ſcribit. Apud *Euſeb.* in Conſtantini vita lib. 4. legimus eam dixiſſe ſe ſexto à Diluvio ſeculo Apollinis ſacerdotem fuiſſe. Græci fatidicas mulieres fuiſſe volunt. Unde & earum in Græcia originem quæſiverunt. Nam Σίβυλλα, quaſi Σιὸς βουλὴ, aut Σιοῦ βυλλὴ, Dorica Dialecto iis dicitur. Vide *Lactant.* lib. 1. cap. 6. Unde & Σιβυλλιᾷν; quod tamen non vaticinari ſolum, ſed & ſenum more delirare ſignificat. *I. Brodæus* lib. 1. Miſcell. cap. 35. Sic & Vaticinari pro nugari Latinis interdum ponitur. Cicero: *Sed ego fortaſſe vaticinor & hæc omnia meliores habebunt exitus.* Nomen autem ipſum ex Oriente potius duxerim. Unde & ipſæ Sibyllæ, Perſica & Erithræa, quæ orta erat Babylone. *Lactant.* lib. 1. c. 6. Antiquiſſimos in Oriente Deos, בעלים ſive Belos nominatos eſſe, nemo ignorare poteſt. *Euſeb.* in Chronico: *Primus omnium Aſiæ, exceptis Indis, Ninus BELI filius regnavit. Quem BELUM Aſſyrii Deum ſibi nominaverunt. Lactant.* lib. 1. cap. 23. *Belus quem Babylonii & Aſſyrii colunt.* Quod nomen poſtea cæteris quoque Regibus Orientis tributum. 1. Æn. Dido inquit:

Auxilio BELI, genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum.

Et:

Implevitque mero pateram: quam Belus & omnes
A Belo ſoliti.

Inde בעלה vel pro Diva, & Junone, ut *Seldenus* vult Synt. 2. cap. 2. & Heſychius quoque; cui βήλθης eſt ἡ Ἥρα ἢ Ἀφροδίτη, vel pro ſacerdote ejus ſive vate: quæ 1. *Sam.* 28. 7. אשת בעלת אוב vocatur. Ubi vox בעלת non poſſeſſionem tantum notat, ſed & ſacerdotem, quæ reſponſa BELI ſive Pythonis procurare ſolet. Cum quo ſi & demonſtrativum jungas, fit שבעלה, quod quantam affinitatem cum Sibylla habeat, nemo non videt. De quibus quæ traduntur, quum pleraque non tantum ἀσύςατα, ſed & fabuloſa ſint, ut prolixè à viris eruditis oſtenſum eſt: neutiquam tamen negari poteſt, quin tales fatidicæ mulieres verè extiterint, à Chaldæis *Sambetha*, à Græcis, voce ex Oriente petita, *Sibyllæ* nominatæ. Quando aut ubi vixerint, juxta cum ignariſſimis ſcimus. Hîc autem earum mentionem facere maluimus: quia alia periodus, quando vixerint, commode definiri non poteſt: quia antiquiſſimæ: quia veritati conſentaneum, illas Noachi nurus, ſummis in Oriente honoribus cultas eſſe.

CAP. II.

In Campis Senaar Philoſophia exculta. Nimrod Philoſophus. Turris extructæ finis princeps ὐρανοσκοπισμός. Ebræi ſecta à Nimrodianis diſtincta. Babylonii iidem qui Græcis μέροπες. De prærogativa Antiquitatis contentiones veterum.

JAm genus humanum ingenti numero ſucreverat, & Orientis terminis vix diutius contineri poſſe videbatur. Philoſophia quoque ſtrenuè exculta, ingenti ſpe omnium animos implebat. Sapientes enim ex Noachi ſchola viri, in Campis Babyloniæ SENAAR, Philoſophiæ dediti, imprimis Aſtrologiam excolebant. Quod, præter Moſen,

ſen, etiam gentilium eruditiores, ex Chaldæorum traditione, non ignorarunt. Ita enim *Favorinus* apud Agellium lib. 14. cap. 1. *Si Principes Chaldæi, qui in PATENTIBUS CAMPIS colebant, ſtellarum motus, & vias, & diſceſſiones & cœtus, intuentes quid ex iis efficeretur, obſervaverunt, &c.* Eorum autem Princeps à Moſe NIMROD vocatur; qui, propter Aſtrologiæ inſignem peritiam, primus imperio feroces populos regere aggreſſus eſt. Unde & גבר בארץ & גבר ציד לפני יהוה fuiſſe dicitur. גבר ציד autem virum rerum inquiſitione celebratum notat, quem Paulus eleganter 1. *Cor.* 1. verſ. 20. *συζητητὴν τοῦ αἰῶνος τούτου* vocat. Ebræi איס מחקר. Qui, poſt obitum, tantam ſui admirationem reliquit, ut, inter Deos relatus, BELI nomen primus meruerit. Unde & *Plinius* lib. 5. Belo Aſtrologiæ inventionem adſcribit. Hic, ut eo melius aſtra conſiderare, & eo facilius Tyrannidem tutari poſſet, author toti humano generi fuit, extruendæ turris immenſæ altitudinis, quæ caput inter nubila conderet. Nam inter præcipuos condendæ turris fines fuiſſe crediderim, ſublimi ejus & ſtupenda mole aſtris ſuccedere, &, ex alto, patentes cœli plagas melius & accuratius contueri. Quia vero non inter proletarios, ſed in Regum ac Principum aulis verſabatur Philoſophia, vulgus alio fine ad tantas moles ſtimulandum erat, dulcedine nimirum perennantis in æternum famæ. Ita enim mutuo ſe exhortabantur: *Agedum, extruamus nobis turrim, cujus faſtigium aſſurgat in cœlum, ut nobis faciamus nomen: ne diſpergamur in ſuperficiem totius terræ.* Cum ingens eorum copia eſſet, non poterant diutius in illis terris hærere, ſed neceſſario coloniæ ducendæ erant. Hinc cum dicunt, פן נפוץ, non ἀπειλητικὴν ſed βεβαιωτικὴν locutionem eſſe, ii noverunt, qui in Sacris literis exercitati ſunt. Nam illi, qui id neſcio ad cujus diluvii metum re-

 ferunt,

ferunt, de quo vide *Bartaſium* parte 2. Hebdom. lib. 2. ubi tres fines recenſet, manifeſtam vim textui faciunt. Quod autem *Philo* Judæus & qui eum ſequuntur, Semitas, Chamitas & Japhetios promiſcue ad ædificationem turris confluxiſſe volunt, id de Chamitis & Japhetiis abſolute, de Semitis non niſi limitate verum eſt. Poſteritas enim Semi ideo potiſſimum EBRÆI dicti ſunt, quod à Nimrodianis ſeparati eſſent. Quorum & errores atque placita rejiciebant, melius à Setho & Noacho edocti. Unde & Seth *Pater omnium filiorum Eber* dicitur *Gen.* 10. Quod qua ratione dictum ſit, Interpretes certant. Sed nihil probabilius quam ita dici, quod Sectatores ejus diſtincti fuerint à Nimrodianis, qui Chamitæ & Japhetii erant. Unde & nepos ejus *Eber* appellatur, & ipſi Euphratem tranſiverunt. Quæ omnia concurrunt ad appellationem hanc ſtabiliendam. Et ſic recte *Kimchi* ſcribit quod Ebræus ſit ממשפחת עבר. Niſi tamen אבי idem quod præceptorem & magiſtrum notat. Ita enim 1. *Sam.* 10. אב capitur, pro eo nimirum qui eſt רב vel מלמד: ubi de cœtu prophetantium dicitur מִי אֲבִיהֶם quis pater eorum? & 2. *Reg.* 2. Eliam adſcendentem in cœlum Eliſæus אבי אבי vocat, quod ejus inſtitutione uſus fuiſſet. Sectæ autem auctæ ſunt, diviſis in tot linguas populis. Singuli enim ſuas cœpere ſectas ſpargere, ſegreges à cæteris & ἀφωρισμένοι. In ſola Eberi familia aliquandiu hæſit ſincerior Philoſophia, quæ tamen mox ingruenti barbariei ceſſit. Illis quoque temporibus variæ populorum appellationes ortæ ſunt. Ita à *Canaan*, qui, ſecundum Sidoniorum cenſuales, appellatus fuit פִּינְקָס ſive potius פִּינְקָס dicti ſunt Phœnices. *Ioſ.* Scal. Notis ad Beroſum. *Babylonii* à BABEL, quæ dicta eſt quaſi Balbel, litera una extrita. Bel enim pro confuſione nunquam extat. *Druſius* cap. 33. ad *Geneſ.* Ut Babylonii κατ᾽ ἐτυμολογίαν iidem ſint, qui Græcis μέροπες

πες appellantur: qui, ſecundum Euſtathium, dicti ſunt ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ, ἢ τοῦ διαμερισμοῦ τῆς ὀπὸς, ὃν ἔπαθον μετὰ τὸν τῆς χαλάνης πύργον διαμερισθέντες ἁπανταχοῦ γῆς. ſive ut alii, παρὰ τὸ μεμερισμένην ἔχων τὴν ὄπα. Ut hæc appellatio ex Oriente petita ſit. Quæ omnia Græci plane ignorarunt, ut & cæteræ gentes. Qui cum vi ſiderum diverſis in partibus orbis terrarum productos ſerius, citius, homines ſtatuerent; inde diverſitatem linguarum deduxerunt, quod aliter rebus vocabula impoſita ſint, ut ex *Diodoro* Siculo *Euſebius* lib. 1. προπ. cap. 4. demonſtrat. Unde & lites de Antiquitatis prærogativa exortæ ſunt, in quibus mirum quam ridiculos ſe præbuerunt celeberrimi orbis populi & gentes. *Quintil.* l. 3. c. 9. *multum autoritatis affert vetuſtas ut his qui terra dicuntur orti.* Præcipuè tamen Phryges, Scythæ, Ægyptii, Arcades, Athenienſes, Argivi, in arenam deſcenderunt magnis viribus de ὑπεροχῇ Antiquitatis contendentes; quod ex Hiſtoricis peti poteſt. Scytharum & Ægyptiorum litem *Iuſtinus* lib. 2. deſcribit, in qua Scythæ vicerunt: Ægyptiorum & Phrygum *Herodotus* lib. 2. Athenienſes cæteris omnibus ſuperbiores erant, qui quantum de ſe jactitarint, infra memorabimus. De Phrygibus ita *Claudianus* lib. 2. in Eutrop.

—— —— Dat cuncta vetuſtas
Principium Phrygibus.

Sed imprimis Arcades ridiculos ſe præbebant, qui cum ipſa Luna de antiquitate certaverunt, eademque priores haberi totis viribus conati ſunt. Ideo προσέληνοι dicti. *Ovid.* 2. Faſtorum:

Ante Iovem genitum terras habitaſſe feruntur
Arcades, & Lunâ gens prior illa fuit.

Quorum inſaniam Romani non obſcurè ſecuti ſunt, qui præterquam quod originem ſuam ad Aborigines, qui ſe αὐτόχθονας prædicabant, retulere, de quibus *Maro* lib. 7.

I 3 --*pri-*

——— *primique ab Origine reges*,

Authores quoque generis ſui, Trojanos, in Italiam cum veniſſent, Evandri ſubditis, qui Arcades erant, permiſtos eſſe ſciebant. Hinc & ipſi antiquitatem generis ſibi arrogantes, Lunam quaſi triumpharunt. Ideo Senatores eorum Lunam, in calceis ex aluta factis, dimidiatam geſtabant. *Statius* lib. 5. Syl. 11.

——— *patriciâ clauſit veſtigia Lunâ.*

Iuvenal. Sat. 7.

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Nam, qui heic ad centenarium numerum reſpectum putant, errare mihi videntur. Neque enim ab initio ſtatim morem hunc in uſu fuiſſe, neque diu intra illum numerum Senatum conſtitiſſe novimus. Sed reſpiciebant generis ſui antiquitatem, quod cum ex Arcadum quoque mixtione creverit, eorum more, Lunæ controverſiam movebant. De Britannis *Cæſar* V. Com. *Britanniæ pars interior ab iis colitur quos natos in Inſula ipſi memoriæ proditum dicunt.* Idem de Germanis *Tacitus* dicit. Illud quoque obſervare licet, qui Occidentem inhabitabant, plerumque omnes generatim Celtas, qui Auſtrum Æthiopes, qui ultra Syriam Indos, qui Boream Scythas veteribus dictos eſſe. De quibus plura nunc non addo. Nos ex Sacris de origine gentium certiora fundamenta habemus, quibus in hac tractatione inſiſtendum eſt. *Nam à ſtirpe ſanctæ radicis avulſi novos ſibi mores & inſtituta pro arbitrio condiderunt*, ut *Lactant.* ait lib. 2. cap. 14.

CAP.

CAP. III.

Aſſyrii ſummi Aſtrologi. CHALDÆI *pro quibuſvis Aſtrologis. Cur imprimis Aſtrologiæ dediti? Eorum Philoſophi* MAGI. *Vox illa unde? Qui fuerint? Locus in Epiſtola Tyanæi vitioſus. Error Heſychii.*

PRimi omnium populi, quos ad nominis celebritatem Sapientia provexit, memorantur ab antiquis Scriptoribus ASSYRII fuiſſe, quos alio nomine Phœnices, Babylonios, Chaldæos appellamus. De quibus celebratum eſt Apollinis Oraculum, apud *Euſebium* lib 3. προπ. cap. 3. μοῦνοι χαλδαῖοι ϲοφίαν λάχον, ἠδ' ἀρ' ἑβραῖοι: qui primas partes Ægyptiis, inde Phœnicibus, tum Aſſyriis tandem, ſed maximam Ebræis tribuit, apud *Euſeb.* l. 9. προπ. cap. 3. Qui præterquam quod cæteris omnibus gentibus ea in re præſtantiores fuerint, tum imprimis in Aſtrologiæ ſtudio ſibi pares non habuerunt. Nam, ut ex *Simplicio* Comment. 46. in Ariſtotelem l. 2. de cœlo conſtat, Calliſthenes, Ariſtotelis rogatu, in Græciam miſit obſervationes Chaldæorum, ab annis cIↃ IↃ CCCCIII ante Alexandri tempora, id eſt, ducentis circiter ante natum Abrahamum annis. Has obſervationes ſe vidiſſe *Porphyrius* teſtatur. *Annius* etiam Viterbienſis, homo cætera fere mendax, commentario in Beroſum ſcribit, Chaldæos aſſerere, ſe Aſtronomiam & literas habuiſſe, ante Alexandri Monarchiam, ter mille, ſexcentis triginta quatuor annis: & apud Ciceronem Chaldæi ſe puerorum geneſes obſervaſſe gloriantur 43000. ante Alexandrum annis. Sed, ut recte à *Diodoro* lib. 1. notatum eſt, cum de ſuis diſciplinis agunt, annum lunarem intelligunt, id eſt, menſem. Annos igitur illos ſi à tempore Alexandri retro numeres, in Creationem mundi incident. *Plinius* vero lib. 7. cap. 56. meminit ex Epigene obſervationes aſtrorum 720. annorum Babylone inſculptas ex Beroſo &

Cri-

Critodemo 480. Illud, ſi cæteris deſtitueremur, ſufficientis teſtimonii loco eſſet, quanta apud eos Aſtrologiæ antiquitas fuerit, quod CHALDÆI appellentur, non tam illæ gentes, quam omnes qui Aſtrologiæ operam dant. *Agell.* lib. 1. cap. 9. *Vulgus, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit.* lib. 3. cap. 10. *quæ climacteras Chaldæi appellant.* lib. 14. cap. 1. *qui ſeſe Chaldæos ſeu genethliacos appellant.* Fit enim interdum ut gentilitia vocabula, non patriam tantum & gentem, ſed & ſectam ſignificent. *Valla* lib. 2. eleg. cap. 3. *Voſſius* l. 4. de Anal. cap. 2. *Lucanus* lib. 6.

—— *Aſſyria ſcrutetur Sydera cura.*

Claudianus de 6. Conſ. Honor.

Namque velut ſtellas Babylonia cura ſalubres
Optima tunc ſpondet mortalibus edere fata.

& *Propert.* lib. 2. el. 27.

Quæritis & cœlo Phœnicum inventa ſereno,
Quæ ſit ſtella homini commoda, quæve mala.

Sic *Horatius* lib. 1. Carm. 11.

———— *nec Babylonios*
tentaris numeros ————

Vetus ejus Interpres: *Babylonii Aſtrologiam inveniſſe dicuntur, per quam geneſis colligitur.* Geneſin autem vocat quam alii genituram, aut, ut vulgo, nativitatem vocant. *Iuven.* Sat. 14.

Nota Mathematicis geneſis tua.

Quod proprium Chaldæorum. *Apulejus* Florid. 15. *Chaldæi ſideralem ſcientiam, luminum vagantium ſtatos ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominum oſtendere: nec non medendi remedia mortalibus.* Et *Cicero* 1. de Divin. *In Syria Chaldæi in hac cognitione aſtrorum ſolertiaque ingeniorum antecellunt.* Ubi Syria idem quod Aſſyria. Huic præ cæteris diſciplinæ incumbebant, & propter

illam,

illam, quam obſervabant, Theologiam, quæ inter ſummos Deos retulerat, Solem, Lunam, cæteraque cœli ſidera, & propter late-patentem ejus uſum. Nam; ut taceam, quod multum conferat πρὸς τὴν γεωργικὴν, in arte nautica, quæ antiquiſſimis illis temporibus ſedulo exculta eſt, tantum uſum habet, ut ſine ea prorſus exerceri non poſſit. Unde Ariſtoteles: *Aſtrologia nominatur & ipſa de rebus cœleſtibus diſciplina, & nautarum de iis rebus peritia.* Quæ exinde inventa ab ipſis Tyriis dicitur. *Tibull.* lib. 1. el. 7.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Maro 1. Georg. de inventione rerum agens:

Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

Nam de Noachi navigatione res nota eſt. Inde ab initio ſtatim, certa ſtellis nomina indita ſunt, quorum celebriora, antiquiſſimus Arabs Philoſophus *Iob*, cap. 38. memorat: עיש מזרות כסיל כימה. De quibus quam diſcrepantes Interpretum ſententiæ ſint, nunc non eſt locus commemorandi. Communiter exponunt de Pleiadum, Orionis, Planetarum, Arcturi, ſtellis. Latini vero eam Philoſophiæ partem pro tota θεωρητικῇ poſuerunt. Quod enim Græci γενικώτερως θεωρεῖν, ipſi *Conſiderare* dicunt, voce, ut etiam Feſtus monet, à contemplatione ſiderum, more Aſtronomorum, deducta. Philoſophi eorum celeberrimo nomine MAGI appellantur. De qua voce & ejus vera ſignificatione etiam olim dubitatum & vulgus in pejorem partem ſumſit, teſte *Apulejo* in Apologia. Perſicæ originis eſſe dicitur. Unde & ab Elymaide, Perſidis parte, ipſi Magi dicti nonnullis populis ſunt Elymæ. *Act.* 13. verſ. 8. ἐλύμας ὁ μάγος. Ad quem locum quæ Beza & alii notent, vide. Nam Elymæi Perſidis populi, apud quos Ma-

K gi

gi floruerunt. *Juſtinus* lib. 36. *Cum & Perſarum & Elymæorum Bactrianorumque auxiliis juvaretur.* Et lib. 42. *Bellum cum Elymæorum Rege geſſit.* Quod ſi Perſica vox Magus eſt, fruſtra ſunt, qui vel à מגש vel à מגנים deducunt. *Salmaſius* Magos dictos vult à Zoroaſtre, cui cognomen *Mog* fuerit, unde Magus factum. Ex eodem *Mog* Græci fecerunt *μῶχον* quendam Sophum Iliacis temporibus antiquiorem. Neque ſectæ modo, verum etiam nationis nomen fuit. Maggianorum meminit *Juſtinus* 41. *Solitudines inter Hyrcaniam & Dahas & Areos & Spartanos & Maggianos furtim occupavere.* Hi Maggiani hodieque apud Jezd & Isfahan ſuperſunt ac recentiori voce *Kebber* dicuntur. *Bardeſanes* Syrus apud *Euſebium* 6. *προπ.* c. 8. Maguſſeos vocat, cujus locus admodum memorabilis eſt. Tradit ille nomen Maguſſeorum illis per abominationem impoſitum ab exteris nationibus, qui legem de promiſcuis filiarum, ſororum, ac matrum conjugiis obſervabant. Hanc ſectam Maguſſeorum non intra Perſidem ſe continuiſſe, ſed ad vicinas gentes, imo uſque in Ægyptum, Phrygiam, & Galatiam una cum nomine propagatam fuiſſe. Ac tradunt neminem potuiſſe eſſe Magum niſi ex ejuſmodi inceſtu genitum. Erant humani & divini Juris interpretes, ac tantæ apud Perſas exiſtimationis, ut *Cicero* lib. 3. de Nat. Deorum ſcribat, neminem eſſe potuiſſe Perſarum Regem, qui non antea Magorum ſcientiam & diſciplinam percepiſſet. Docebant enim *τὰ βασιλικὰ*, & imperandi modum Regibus ſuis tradebant. Unde & *Plato* in Alcibiade priore tradit Magos fuiſſe Perſarum Sapientiſſimos, & Magiam vocat *τὴν θεῶν θεραπείαν.* Quem locum, quia inſignis eſt, & ab *Apulejo* quoque in celebri illa Apologia citatur, huc adſcribemus. Ita igitur ille: *δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν. εἰσὶ δὲ*

ἐξει-

ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες. ὅ, τε σοφώτατος καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος καὶ ὁ ἀνδρειότατος, ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία, διδάσκει δὲ τὰ βασιλικά. Ad quem locum videndus eſt *Apulejus*, qui prolixe & erudite in hoc argumento verſatur. Unde cum gnari Secretorum eſſent, & amici Regum, non mirum & ad ipſum regnum eos poſt obitum Cambyſis aſpiraſſe. *Tertullianus* l. 3. adverſus Marcionem: *Magos ferè Reges habuit Oriens*, id eſt, in Magorum diſciplinis inſtitutos, non quod ipſi, ut *Genebrardus* vult, ex collegio Magorum in regnum adſciti ſint. *Apulejus* pro dignitate illorum magnifice in Apolog. *Magia inter prima regalia docetur. Nec ulli temere inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe, haud magis quam regnare.* Alii, ut *Suidas* & *Porphyrius*, eos vocant φιλοσόφους καὶ φιλοθέους παρὰ πέρσαις: τοὺς περὶ τῶν θεῶν σοφοὺς καὶ θεράποντας. *Apulejus* in Apologia: *Si, quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua Magus eſt qui noſtra Sacerdos; quod tandem eſt crimen ſacerdotem eſſe? & ritè noſſe atque ſcire atque callere leges ceremoniarum, fas ſacrorum, jus Religionum, &c.* Diogenes *Laërtius* lib. 1. *Perſis Magi Philoſophiæ authores erant, vacabant Deorum cultui, &c.* *Claudianus* de 4. Conſ. Honor.

Te Perſæ cecinere Magi.

Apollonius *Tyanæus*, epiſtola ad Euphratem, propius ad vocis originem accedere videtur, ſi modo, quæ affert, proba ſunt. Ita enim inquit: Μάγους ὀνομάζουσι τοὺς θεοὺς οἱ πέρσαι. Μάγος οὖν ὁ θεραπευτὴς τῶν θεῶν, ἢ ὁ τὴν φύσιν θεῖος. Qui tamen locus, niſi fallor, corruptus eſt. Quis enim unquam legit, Perſarum lingua Magus idem fuiſſe atque Deus? Scribendum igitur videtur; Μάγους ὀνομάζουσι τοὺς θείους: divinos inquam, ſive, ut mox ſe explicat, τῶν θεῶν θε-

ἐράποντας. Ita enim & Latini Magos vocarunt. Petron. *Divinam ego putabam.* Martialis:

Non ſum divinus, ſed ſcio quid facias.

Vide Sen. de vita beata cap. 27. Sed & in altero vitium: ἢ ὁ τὴν φύσιν θεῖος, de quo alii judicent. Porphyrius clare de iis ſcribit, quod ſint περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ καὶ τούτου θεράποντες. Sed omnino vitrum lambimus, pultem non attingimus, ut apud Æſopum vulpecula: ita peregrinarum linguarum apud nos abſtruſa ratio eſt. In quibus tamen interpretandis pluſquam ſibi interdum indulgent eruditi. Veluti ille, qui vocem hanc à Scythis ductam opinatur. Magus, inquit, eſt vox Perſarum, qui aliquando à Scythis Germanica vocabula habent. Mögen Germanis eſt poſſe: Magus potens intellectu. Quæ nimis frigida & jejuna ſunt. *Heſychius* quoque falſus eſt, qui Chaldæos ad Magos refert: χαλδαῖοι, τὸ γένος τῶν μάγων: Cum tamen multum diſtincti ab iis fuerint. Illi ſecretiſſima Religionis & regni Perſici tractabant: Hi vero dediti ſpeculationibus & prædictionibus Aſtrologicis, vulgo in circulis ſe proſtituebant, & fere contemnebantur. *Plutarchus* lib. de Iſid. & Oſirid. tradit Zoroaſtrem apud Chaldæos Magos inſtituiſſe, quorum imitatione etiam Perſæ ſuos habuerint. Addo & Ægyptios, quod *Lucanus* lib. 6. docet:

Tunc Babylon Perſea licet, ſecretaque Memphis
Omne vetuſtorum ſolvat penetrale Magorum.

& lib. 3.

Nondum flumineos Memphis contexere biblos
Noverat, in ſaxis tantum volucreſque feraſque
Sculptaque ſervabant Magicas animalia linguas.

Mirum vero eſt, Danielem, qui toties Sapientum Perſiæ mentionem facit, nunquam Magorum meminiſſe. Niſi tamen illi ipſi ſunt quos cap. 2. verſ. 2. מכשפים nominat, quanquam aliud velint Interpretes. Euangelium Hebræum

bræum Matthæi pro Magis habet מכשפים : ad quem locum Munſterus, *Ex Daniele*, inquit, *colligimus Sapientes Orientalium non hinc vocatos* מכשפים *quod Magiam exercuerint, de quo Ex. 22. Sed tenebant eam ut confutare poſſent.* Idem tradunt Hebræi de Sanhedrin, de quo infra lib. 3. cap. 22. Nimirum quia vox כשף communiter ita accipitur, pro iis, qui hominum oculos incantationibus ſuis faſcinant. Quod tamen nil obeſt, quominus inde duci poſſit Magus, quippe & hæc vox, ut volunt, propter abuſum artis & nebulonum quorundam fraudes in pejorem partem ſumi cœpit. Unde & *Iuſtinus* l. 1. Hiſt. hariolos vocat. Certe melius à מכשפים deduces Magos quam vel à מעשי vel ab הגה aut Scythico ſermone. De quo tamen, ut re non adea clara, nolim cum quoquam contentionis ſerram ducere. Illud addo, *Magus* Latinis authoribus adjectivum eſſe. *Ovidius* lib. 1. Amor. eleg. 8.

Illa Magas artes Aeaaque carmina novit.

Magæ artes, id eſt Magicæ. Sic author Carm. de Medicam. faciei:

Sic potius nos tanget amor quam fortibus herbis
Quas Maga terribili ſubſecat arte manus.

Claud. de 6. Honor. Conſ.

—— *Chaldæa Mago ſeu carmina ritu,*
Armavere Deos.

Et Seneca Hercul. Oeteo.

CAP. VI.

Authores Magiæ quinam? Zoroaſter. Scripſit de Magia. Ejus λόγια *ſunt* ψευδεπιγραφα. *Agonaces. Bileam. Idem qui Zoroaſter. Pethora. Lamiæ unde?*

DE voce hactenus. Nunc de ipſorum Origine diſſerendum eſt. Eos Ægyptiis antiquiores eſſe Ariſtoteles tradidit lib. 1. de Philoſ. teſte *Laërt.* lib. 1. Magos à Zoroa-

ſtre, Oromazi filio, Bactrianorum Rege, Chami, ut volunt, nepote ortos, communis antiquorum opinio eſt. Ita enim in Alcibiade priore *Plato*: *ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου*. & ibid. apud *Apul.* Apol. *Magia jam inde à Zoroaſtre & Oromazo autoribus ſuis nobilis. Iuſtinus* lib. I. de Nino Aſſyrio agens: *Poſtremum*, inquit, *illi bellum cum Zoroaſtre Rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes Magicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderumque motus, diligentiſſimè ſpectaſſe. Apulejus* in Apologia: *Ego ille ſum Carinondas, vel Damigeron, vel is Moſes, vel Iannes, vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicunque alius, poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem, inter Magos celebratus eſt.* Zarduſt vel Zaraduſt Perſis dictus fuit primus Magiæ inventor. Idem dictus eſt *Mog.* Græci exinde fecerunt Zoroaſtrem & Zapatum: ex Mog Mochum & Magum. *Cl. Salm.* de Helleniſt. Zoroaſter igitur Magiæ primus in Perſide Doctor celeberrimus extitit, neque artem hanc viva tantum voce, verum & ampliſſimis Scriptis excoluit, *Plinio* & *Ariſtotele* teſtibus. De ea enim centum millia verſuum ſcripſit, quos Hermippus commentariis illuſtraſſe dicitur. Hodie adhuc extant Poëmata quædam Græca, quæ Zoroaſtris *λόγια* Chaldaica inſcribuntur, à *Michaële* Pſello Græco, commentariis illuſtrata. Phocylidis aut Theognidis ſententiis non abſimilia ſunt, in multis vel ex ipſis Sacris hauſta & petita eſſe videntur. Unde non probabile tantum ſed & veriſſimum eſt, quod *Beza* in cap. 2. *Matth.* ſuſpicatur, falſo Zoroaſtris nomine editos illos verſiculos. Sunt enim recens Græculi cujuſdam Semi-Chriſtiani commentum, cui nationi receptum quaſi fuit, imponere cæteris, *ὑποβολιμαίοις* antiquiſſimorum ſcriptis. Ita cum Hermete, ita cum Sibyllis & aliis actum ſcimus: ut non injuria, Nonnus in Dionyſiacis, Græciam *μυθολόγον* appellarit.

larit. Niſi tamen alius Zoroaſtris ſunt. Plures fuiſſe indicinam præbet *Apulejus* Florid. 15. qui dicit: *Zoroaſtrem omnis divini arcani antiſtitem Pythagoræ præceptorem fuiſſe.* Qui plane alius eſt ab illo qui temporibus vel Abrahami vel Moſis vixit aliquot ante Pythagoram ſeculis. Niſi tamen ibi intelligas, Pythagoram dogmata Zoroaſtris amplexum, quod Seldenus facit. Neque vero primus ἀλφηστὴς Magiæ & author Zoroaſter credendus eſt. Nam & ipſe vanitatem hanc ab Agonace quodam, cujus inſtitutione uſus eſt, hauſiſſe dicitur: qui, Plinio teſte, aliquot annorum millibus, ante Trojanum bellum, floruit. Quin idem inter antiquiſſimos & primos Magos recenſet Apuſcorum & Zaratum Medos, Babylonium Marmaridum, Hippocum Arabem, & Aſſyrium Zarmocenidam, quorum omnium nulla penitus monumenta extant, digni qui & ipſi è rerum memoria tollantur. *Minucius* F. in Octavio: *Magorum & eloquio & negotio primus Hoſthanes.* Ita etiam *Tertull.* Apol. de Pallio: *Tatian. Plut.* de defectu Oraculorum, *Apul.* Apol. *Lactant.* in lib. Thebaidos, & alii vocant. Ut nulla ratione nitantur qui ejus nomen in Soſthenes mutant, quod recte monet Wouwer ad Minucium. Celebris quoque Maga fuit illa quæ Diana, Ceres, Minerva, Hecate, Trivia & aliis nominibus dicta eſt. Illa enim Magiæ præſes habita. *Tatian.* πρὸς ἑλλ. μάγος ἐστὶν ἄρτεμις: eaque Magis invocata miris quibuſdam ſacris. Vide *Euſeb.* lib. 3. πρωπ. ex Porphyrio. In Sacris Scripturis mentio fit antiquiſſimi cujuſdam MAGI, qui BILEAM vocatur, filius Beor. Quem cur ipſum illum, quem Græci poſtea Zoroaſtrem vocarunt, fuiſſe putem, cauſæ non prorſus contemnendæ ſunt. Uterque enim antiquiſſimis temporibus in Oriente floruit: ille Bactrianorum Rex, hic Pethoræ, quæ eſt juxta fluvium, habitaſſe dicitur. *Onkelos* doctiſſimus ſane

&

& diligentiſſimus Interpres, nomen fluvii exprimens, habitaſſe juxta Euphratem ſcribit. Quod conſonat iis quæ cap. 23. *Num.* verſ. 11. ipſe de ſe Bileam teſtatur: *E Syria juſſit me adduci Balak Rex Moabitarum, è montibus Orientalibus:* quem locum tam inepta gloſſa Munſterus maculat, referens eum ad Iſraëlem, cui Deus in Syria apud Labanem benedixerit, ut tantas ineptias tanto viro placuiſſe mirer. Uterque, propter Magiæ inſignem peritiam, celebratiſſimum, ſuper omnes alios, in Oriente nomen adeptus eſt. Unde tanta Bileami elogia. cap. 24: 3. 4. 16. 15. vocatur *vir cujus aperti oculi ſunt, auditor eloquiorum DEI, qui viſionem omnipotentis videt, qui cadit apertis oculis.* Tanta ejus exiſtimatio erat, ut vel ſolo nutu & carminibus aliorum fortunam pro lubitu moderari poſſe putaretur, unde & pluſquam homo cultus eſt, à Regibus Orientis. Erat augur, Magus & incantator. *Ioſua* cap. 13. קסם vocatur, quod interdum, ut *Prov.* 16: 10. in bonam, frequentiſſime verò in malam partem, pro eo qui reſponſa Diabolicis artibus dat, ſumitur. Unde & Patria ejus *Pethora* dicebatur, de quo lib. 1. cap. 5. actum eſt. Denique, ut Zoroaſter occiſus dicitur à Nino, ita & hunc occiderunt filii Iſraël gladio, *Ioſua* 13: 22. Quæ omnia Sententiam noſtram confirmant. Memoratur avariſſimus fuiſſe, unde eum conſulentes afferebant קסמים, quæ Junius *Num.* 22: verſ. 7. divinationum honoraria, Munſterus divinationis pretium, vertunt. Alii interpretantur כלי מקסמים: fingunt enim Hebræi, illum fuiſſe artificem ſine inſtumentis. Quod quam ineptum ſit, nemo non videt. Prior autem interpretatio etiam ex verſ. 18. confirmatur & cap. 24: verſ. 13. Unde accepto διδάκτρῳ multos Diabolicam illam Philoſophiam docuiſſe probabile eſt. Quos parum abeſt, quin à Magiſtro ſuo, Lamias, ſive Bileamias dictos putem.

Ita

Digitized by Google

Ita enim poſtmodum ſpectra Diabolica & Sagæ, quæ Diabolico congreſſu gaudebant, dictæ ſunt. Adducunt varias alii etymologias: unam à Lamia illa crudeli, de qua Diodorus & alii: alteram à ſuccubis Dæmonibus, de quibus Philoſtratus; vel à feris Libycis, de quibus Dion Sophiſta. Cæterum, hic ſive fabula ſive vera hiſtoria de Oanne repetenda eſt. Quæ ſic ex Beroſo, Apollodoro, & Polyhiſtore refertur: Oannes, biceps animal, cætera piſcis, è cujus cauda adnaſcebantur pedes humanis ſimiles: Vox ei humana. Ex mari autem Erythræo emerſum Babyloniam perveniſſe ajunt, occidente verò Sole in mare rediiſſe, moremque hunc quotidie velut ἀμφίβιον repetiiſſe. Ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium ſacrationes, architecturam, & leges Politicas didiciſſe, nec non quicquid ad vitam civilem pertinet, hiſtoriamque portentoſiſſimam de Belo & Omorca, quæ eſt apud *Euſebium*. *Helladius* in Chreſtomathia Ὠην vocat, & literas ac aſtrorum ſcientiam oſtendiſſe. Unde depravatum Oannis in Ὠην nomen ſentit Scaliger. Hæc ex *Seldeno* Syntagm. 2. de D.S. cap. 3. Si vera eſt hiſtoria, putarem Diabolum in forma piſcis apparuiſſe hominibus, &, ut divinitatis famam ſibi conciliaret, magnam eruditionem & ſapientiam præ ſe tuliſſe, unde tandem ſub nomine Dagonis cultus & Adardag dictus, id eſt, magnificus Dag.

CAP. V.

Ægyptiorum & Æthiopum Philoſophia. Serapis etiam SARAPIS *ſcribitur. Dictus à* [illegible]. *Oſiris unde dictus. An ab* אשב *&* איש. *Apis ab* אפס.

PRoximi ab Aſſyriis Ægyptii ſunt priſca doctrina pollentes, *Apulejo* teſte 11. Mileſ. quibus comites damus Æthiopes, qui naſcentis Solis inchoantibus radiis illu-

L ſtrantur.

ſtrantur. *ibid.* Quos ad ineffabilem Sapientiæ opinionem provexit, affectata originis antiquitas. Omnium enim populorum ſe antiquiſſimos faciebant, à quibus non modo genus humanum, ſed & ipſæ literæ atque artes initium ſumſiſſent. Unde incredibilem annorum antiquitatem fingebant, ut eſt apud *Herodotum* lib. 2. ubi, à Dionyſio ad Amaſin, 15. millia annorum numerantur. *P. Mela* lib. 1. cap. 9. ſuper tredecim millia annorum certis Annalibus referre dicit. *Plinius* lib. 35. cap. 13. refert Ægyptios gloriari ſolitos artem pingendi millibus annorum floruiſſe in Ægypto, priuſquam tranſiret in Græciam. *Auguſtinus* l. 12. C.D. c. 10. Epiſtolam Alexandri M. recenſet, qua contineri ſcribit, ex traditis Ægyptiorum, Imperium Aſſyriorum quinque millia annorum exceſſiſſe, Perſarum vero per 8. millia continuatum fuiſſe. Vide plura apud *L. Vivem* ad d. l. Auguſtini. *Euſebius*, omnium antiquitatum peritiſſimus vir, ita de iis lib. 1. προπ. cap. 6. ſcribit: *Ægyptios ferunt primos omnium cum oculos in cælum ſuſtuliſſent, modum, ordinem & quantitatem corporum cæleſtium admiratos, Solem & Lunam Deos putaſſe.* Hæc nimirum illa admiratio fuit, quam inter Philoſophiæ cauſſas Antiqui retulerunt. A qua cum ſe expedire non poſſent, rebus ipſis divinitatem adſcripſerunt. Clare *Lactantius* lib. 2. Inſt. cap. 14. *Omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, cæleſtia ſuſpicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aëris qualitatem, curſus ſiderum & defectus notaverunt, dum ea ſæpe venerantes curioſius atque liberius tuerentur.* Hæc ille. Quales Dii apud Ægyptios erant *Serapis, Iſis, Oſiris, Apis, &c.* Invenitur tamen etiam SARAPIS ſcriptum. Ita in Inſcriptione veteri, à Th. Segetho in agro Vorburgenſi Hollandiæ erutâ:

J. O. M.

J. O. M. SARAPI
ISIDI FRUGIFERO
COELESTI FORTUNÆ.

Ubi, quod quidam annotat, Frugifero referendum ad Sarapin, Cœleſti ad Iſidem, ἀπροσδιόνυσον eſt, & pervertit ordinem atque ſenſum lapidis. Cœleſti enim referendum omnino ad Fortunam. *Iuvenal.* Sat. 10.

——————————— *te*

Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

Præterea, Deorum genera non ſemper ab Antiquis diſtincta fuiſſe, novit is, qui ab Hermete & Platone Deum ἀῤῥενόθηλον dictum, Fortunamque & Venerem maſculum, ut de Luna nihil dicam, quem & Lunum dicebant, cultum fuiſſe non ignorat. SERAPIS igitur eſt à שרף, unde & preſteres atque igniti ſerpentes ita dicuntur, *Num.* 21: 6. 8. &, quod magis ad rem, Angelorum nomen שרפים eſt, qui à claritate & ſplendore quaſi מלאכי אש dicti ſunt, *Ieſ.* 6: 2. Ita & Sol, propter καυσμὸν, SARAPIS dictus eſt, ut idem ſit quod ἐμπρηστὴς ἢ θερμαίνων. Unde eundem cum Plutone eſſe volebant. *Euſeb.* lib. 4. πρεπ. cap. 12. Unde & ipſa Proſerpina à Saraph ſatis manifeſte ducitur, & nomen illud in Ægypto diu duravit. *Cæſar* l. 3. de B. C. meminit Serapionis Ægyptii, qui, cum Dioſcoride ad Achillam miſſus, ab eo interfectus eſt. Apud *Quintil.* quoque lib. 6. cap. 4. tribuitur hoc nomen Serapionis Scipioni. Ubi etiam alia exemplaria (ut ad libri oram notatur) Sorapionem legunt. Alio nomine Sol אש *Iſis* dicitur, non, ut volunt, ab ישע. Oſiris autem unde dictus ſit, non ſatis convenit. *Plut. Diod.* Sicul. *Euſebius*, compoſitam vocem ex Ægyptio Os & Iris, & idem quod πολυόφθαλμον eſſe volunt. *Ioh. Seld.* Synt. 1. cap. 4. *Faceſſant qui πολυόφθαλμον, ἀγαθοποιὸν, aut ſimile quid Oſirin ſignificaſſe obtrudunt.* Ipſe deducit à Nilo, qui dictus שיחר Græcis Σεῖρις, *Plinio*

 lib. 5.

lib. 5. cap. 9. Siris. O autem pútat eſſe Græcorum articulum. Verum ejus opinionem non probo. Nam cum refutat id, quod non modo Oſiris Sol fuerit; quid autem ei cum Nilo? ſed & quod Σείριος, quem itidem à שחר deducit, ab *Heſychio* & *Suida* manifeſte ἥλιος explicatur. Ergo à חרס: & exinde Oſiris quoque. Neque admitto, quod idem ait, Oſiris eſſe vocem compoſitam, Siris ſimplicem. Nam Buſiris, Petoſiris, Calaſiris, hominum, non Deorum nomina: quæ non compoſita ſunt antiquis temporibus. Denique, ſi, ut ipſe recte ex Antiquis probat, in Oſiride Sol cultus, quomodo Nilus? an ſimul Nilus & Sol? Denique Nilus Alexandriæ maxime cultus. *Ampelius.* Potius ergo à חרס, propter caufas ſupra lib. 1. cap. 1. poſitas, deduxerim. Hæc enim vox, non adeò difficulter, præſertim ab Ægyptiis, in Oſiris mutari potuit. Quod & illud valide ſuadet, quia Oſiris ipſe Sol eſt, ſive idem cum Serapi, ut *Lactant.* lib. 1. Inſt. cap. 21. teſtatur. Eundem cum Cerere, quæ ipſa à חרס, fuiſſe patet, quod utrique adſcribunt frugum inventionem. De Oſiride vide *Tib.* l. 1. el. 7. Illud tamen etiam addendum, Oſirim quoſdam dictum putare ab אשר & איש, quod beatus vir fuerit. Hoc ſi verum, ita dictus videretur, ab illa beatitudine, quæ ex Contemplationibus & Sapientiæ ſtudio oritur. Idem igitur Oſiris atque *μάκαρ* ſive איש מחקר eſſet. Sed omnino ſcita magis quam vera Etymologia eſt, cum non tantum Ebræa lingua, ſed & priſcus Deos appellandi mos, compoſitas voces reſpuat. Ita non minus incertum eſt, quod *Ezech.* 18: 14. per Thammuz Oſiridem intelligendum putant. Illud ex Antiquis liquido conſtat; principes Deos ſaltem in Ægypto habitos Oſirin & Iſidem: Iſis Lunam, Oſiris Solem notabat. Quem *Apulejus*, lib. 11. deformationis, magnum Deum, Deûmque ſummum parentem vocat, & cujus ſacris poſt Iſidis initiatus eſt. Ipſe autem Serapis à Ni-

à Nicocreonte Cypriorum Rege conſultus, quis qualiſve eſſet, reſpondit: *Deorum maximus ſum, cujus caput eſt cælum, venter maria, pedes terra, aures in ipſo æthere locata, oculi præfulgentes ipſe Sol.* *Macrob.* lib. 1. *Saturn.* cap. Idem ergo ille, qui Ægyptiis Serapis, Græcis Pan dictus eſt. Ejus membra cæteri Dii fuerunt. Oſiris ſive Sol oculi, Iſis æther, Apis anima. Sed de Api res non adeo clara eſt. *Heſychius:* Ἆπις βασιλεὺς, ὡς Αἰγύπτιοι. Conjecturæ tamen hujus, quod per Apin vel ipſam animam ejuſque μετεμσωματώσιν, vel totum generationis negotium intellexerint, non omnino rejicula fundamenta ſunt. Nam *Euſebius* tradit Anno Iſaaci 180. apud Ægyptios primum inter Deos Apin relatum eſſe, quod, ut alibi notat, putarent animam Oſiridis poſt mortem in Apin migraſſe. Satis clare tradit cauſam ἀποθεώσεως aliam non fuiſſe, quam perſuaſionem de μετεμψυχώσει. Quod ipſum clarius fit ex Magorum Theologia, quæ fons erat Ægyptiorum. Illa enim tria principia poſuit, Oromaſem, Mitrim, & Ariminim; Deum, Mentem, & Animam. Mitrim puto non modò Mentem ſed & Solem denotare. Ita enim in Oriente apud Perſas dictus Sol. *Heſychius:* Μίθρας ἥλιος παρὰ Πέρσαις. De Mente ſive Deo *Claud.* lib. 1. de Stilic.

Et vaga teſtatur volventem ſidera Mitram.

Illa autem tria principia etiam exinde Plato mutuatus eſt, qui & ipſe hæc tria agnovit, Deum, Mentem ſive Ideas, & Animam, ut *Apulejus* lib. 1. de dogm. Platonis teſtatur. Idem Deum animam mundi vocat. Illud certum eſt, jam tempore Iſraëlitarum & Moſis eum in Ægypto cultum. Inde enim vitulum ſuum aureum mutuati ſunt Judæi in deſerto: de quo ex Patribus differentem vide *Seld.* Synt. 1. cap. 4. Cæterum *Euſebius* l. 2. πρωπ. c. 1. ex Diodoro Siculo tradit: Oſiridi Muſicam adeo dilectam fuiſſe, ut ſemper ſecum non parum muſicorum duceret, inter quos

novem virgines, quarum Apollo dux erat, & aliis doctrinis & canendi arte non mediocriter excelluiſſe. Quæ verba digito quaſi monſtrant unde dictus Oſiris: nimirum à שירה canticum & שר canere. Quippe Deus Muſicæ erat. *Nymphodorus* Amphipolitanus apud *Euſeb.* lib. 10. προπ. cap. 3. ridiculam ejus originem tradit. Apin regem mortuum ἐν ζορῷ, in arca poſitum, Soroapin, inde Serapim apellatum fuiſſe. Idem recenſet *Ruffinus* lib 11. Hiſt. Eccl. *Euſeb.* cap. 23. Celebres etiam ob Philoſophiam Phœnices, qui Aſtrologiam, adeoque omnes literas, ſive, ut *Pomp.* Mela lib. 1. cap. 12. loquitur, *literarum operas* invenerunt: quod *And.* Schottus Spicilegio in Melam ſic explicat: ut per id intelligi velit ſiderum, numerorumque diſciplinam, adeoque rei navalis & militaris artem, quæ poſt etiam literis tradebantur. De quo Dionyſius Alexandrinus:

Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο
Καὶ βαθὺν οὐρανίων ἄστρων ἐφράσαντο.

P. Mela lib. 1. cap. 12. *Phœnices ſollers hominum genus & ad belli paciſque munia eximium. Litteras & literarum operas, aliaſque etiam artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum prœliumque commenti.*

CAP. VI.

Mercurius Ægyptiis Theuth. Deus ne ſummus, an homo divinus is fuerit? Hermes Triſmegiſtus quis? Ejus nomen libris præſcriptum. Interdum ſub eo fraus facta; ut in Schedis quæ hodieque ſub Mercurii nomine leguntur.

SEd, præter hoſce Deos, unus adhuc, ὑπέροχος ἄλλων, ab iis cultus eſt, omnis Sapientiæ literarumque author, quem *Cicero* Mercurium Quintum Ægyptium vocat. Ut ex eo recenſet *Lactant.* lib. 1. Inſt. cap. 6. *Quintus fuit is*

à quo

à quo Argus occiſus eſt, ob eamque cauſam in Ægyptum profugit, atque Ægyptiis leges ac literas tradidit. & paulo poſt: *Saitæ ſervant & colunt eum religioſe. Lactant.* lib. de Ira Dei, cap. 11. Idem teſtatur Hermes, quem *Cicero* ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, eum ſcilicet, qui ob virtutem, multarumque artium ſcientiam, Triſmegiſtus nominatur, & erat non modo Platone, verum & Pythagora, Septemque illis Sapientibus longe antiquior. De quo quia Antiqui & varia & intricata ſcripſerunt, rem paulo altius, quantum ad præſentem rem, repetemus. Quænam origo Deorum apud Antiquiſſimos fuerit, ſupra lib. 1. c. 8. ex *Cicerone* oſtenſum: omnibus nimirum rebus excellentioribus divinitatis nomen tributum eſſe. Ita Sapientiæ varia nomina indita ſunt, ſub quorum involucris culta eſt: Palladis, Athenæ, Muſarum, Mercurii, Jupitris, & ſimilia: quorum ex parte ratio nobis reddita eſt. MERCURIUS autem Ægyptiis proprie THEUTH, ſive (variant enim exemplaria) THOYTH, THOUTH, THOT dictus eſt, Literarum & omnis Sapientiæ repertor. Quæ vox, id quod primo loco notandum eſt, non proprium, ſed appellativum, ut Grammatici loquuntur, nomen eſt, quo Priſci & Ægyptii & Germani ſapientiſſimum quemque appellarunt. *Scal.* Epitaphio eorum qui ad Viennam ceciderunt: *Teuthus, unde Teutones dicti, tanta fuit ſapientia, ut hoc ipſum nomen mutuati ſint ii penes quos ſumma divinitatis opinio extitiſſet. Ægyptii namque ſapientiſſimum quemque Theuth vocarunt, quemadmodum & Mercurium illum* De qua voce cum prolixe *Ph. Cluverius* l. 1. Germ. Ant. cap. 26. egerit, non eſt cur actum agamus. Quid tamen in ejus explicatione merito deſiderari queat, ſubinde indicandum erit. Hujus THEUTH cum alii multi, tum imprimis *Euſebius* lib. 1. πρϛπ. cap. 6. *Plato* in Phædro & Philebo mentionem faciunt. Nam in Phædro Socrates

crates narrat, apud Ægyptios coli Deum quendam nomine THEUTH, qui omnes artes & literas invenerit & Ægyptios docuerit, quo tempore THAMUS univerſæ Ægypti imperium tenuit. *Euſeb.* lib. I. πρ͂ογπ. cap. 6. & c.7. ex Philone Byblio: *Sanchoniates, diligentius quàm cæteri, ea inquiſivit, quæ Taautus excogitavit. Non enim latebat ipſum quod primus omnium mortalium Taautus literas adinvenit, & res memorabiles auſus eſt æternitati commendare, Ægyptii Thoyth, Alexandrini Thot, Græci* Ἑρμῆν *appellarunt.* Idem cap. 7. meminit librorum Taauti ex Sanchoniate. *Hæc in libris Taauti de origine mundi conſcripta reperimus.* Idem Ægypti regem fuiſſe vult, lib. I. cap. 7. Ita igitur, quis ille THEUTH fuerit, Deuſne ſummus, an homo propter inventionem artium Deus factus, de eo diſcrepantes authorum Sententiæ ſunt. *Lactant.* lib. I. Inſt. cap. 6. Theuth hunc hominem tantum fuiſſe cenſet, antiquiſſimum & inſtructiſſimum omni genere doctrinæ, adeo ut ei, ob multarum artium ſcientiam, Triſmegiſti cognomen impoſitum ſit, qui ſcripſerit libros multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes. Quem *Phil.* Cluver. d. l. aliquot argumentis fruſtra ſe confutaſſe putat, de quo tamen infra diſtinctius. Nunc id ſolum expediemus, idemne ſit cum eo qui Mercurius ſive Hermes Triſmegiſtus appellatur? De quo ut certiora reſponſionis fundamenta haberi poſſint, quid Antiqui de Hermete, quid de Theutho ſtatuerint, audiemus. Hermes igitur ſive Mercurius Ter Maximus, auditor Noachi, primo Pædagogus, deinde Scriba Chuſi, idemque Præceptor Oſiridis & Jovis liberorum Chuſi fuiſſe perhibetur. *Euſebius*, lib. I. cap. 7. πρ͂ογπ. ex Sanchoniate, refert Mercurium Ter Maximum Saturni Scribam fuiſſe. *Jamblichus*, Ægyptiæ Theologiæ peritiſſimus, ita de eo ſcribit lib. de Myſteriis Ægypt. cap. I. *Ægyptii MERCURIUM & Sa-*

& Sapientiæ & Eloquentiæ arbitrum ac Deum prædicabant, ab eodem, non modo literas repertas, & in ordinem redactas, ſed etiam omnium doctrinarum principia collecta, & multis librorum millibus prodita narrabant. Nam, eodem authore cap. 39, 36525. volumina, id eſt, papyri folia ſcripſit. Citat ejus librum de origine Mundi ex Sanchoniato *Euſeb.* l. 1. c. 7. πεϱπ. Hic igitur Taautus, ſapientia Phœnicum præſtans, primus religionem Deorum ab ignorantia vulgari in dignitatem Doctrinæ reduxit, quem poſt multa tempora demum Surmobulus ac Thurro, quę dicta eſt Chryſatris, ſecutus, abditam Thaauti Theologiam & allegoriis abſtruſam in lucem protraxit. *Euſeb.* ibid. De ſcriptis Hermetis erudite differentem vide *Caſaubonum* Ex. 1. Sect. 11. Quod ne Græci quidem & Latini negant. Qui, quamvis multos fingant Mercurios, tamen de uno eorum eadem ſcribunt. *Horat.* lib. 1. Carm. 10.

Mercuri facunde, Nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus & decoræ
More palæſtræ.

& pleni ſunt de eo Poëtarum libri. Huic & antiqui, propter ſummam Eloquentiæ & Sapientiæ vim, ἑϱμαϊκὴν ζειϱὰν tribuebant, quod eloquentia ſua, velut catenis quibuſdam, auditores traheret. *Eunapius* in vita Porphyrii. Ideoque & lingua, tanquam Facundiæ inſtrumentum, ei ſacrabatur. *Athenæus* lib. 2. Dipnoſoph. & Lyræ, id eſt, omnis compoſitionis, ornatus, & delectationis inventor, ab eodem Horatio dicitur. *Lactant.* lib. 4. cap 9. *Triſmegiſtus, qui veritatem hanc univerſam neſcio quomodo inveſtigavit.* Idem confirmat Jamblichus. *Majores, inquit, noſtri Mercurio ſua Sapientiæ inventa dedicabant, Mercurii titulo omnia Commentaria inſcribentes.* Ex quo etiam loco, quanta orbi fraus à Græculo quodam facta

ſit, nemo non videt. Extant Chartæ quædam, Mercurii Triſmegiſti ſplendido nomine inſcriptæ, de quibus diverſa, eruditiſſimorum quoque, & ſæpe alucinantia judicia fuere. Sed alii, ſagaciori ingenio, fraudem ſubeſſe non tantum ſuſpicati ſunt, ſed & deprehenderunt, verum diverſa via. Quidam enim, ut *Ph. Cluverius*, omnino negarunt quicquam ſcripſiſſe Mercurium: ſed, quæ THAMI, quem Adamum eſſe volunt, erant, falſo adſcripta eſſe Mercurio ſive Theuth Deo. Quam ſententiam falſam eſſe infra probabimus. Alii vero, ſcripſiſſe de Sapientia Mercurium illum, quiſquis fuit, non negant, ſed hæc, quæ hodieque circumferuntur σχεδιάσματα, Mercurii eſſe, id vero pernegant. Quæ ſententia, ut veriſſima eſt, ita merito eam amplectimur. Olim enim librarii, ut quæſtum uberiorem ex ſuis nugis corraderent, ψευδεπιγράφους libros lectoribus obtrudebant. Ita & *Fabius* docet ſub Hermagoræ nomine, præſtantiſſimi Oratoris, circumlatos eſſe ψευδεπιγράφους libros de Arte Rhetorica, lib. 3. cap. 4. Nimirum Græculus quiſpiam, ex antiquis Philoſophorum monumentis, placita quædam conſarcinans, more Ægyptiorum, Mercurii celeberrimo nomine ea inſcripſit, ut ſub tanti viri authoritate, facilius credulis, antiquitati ſumma omnia adſcribentibus, imponeret, &, hac velut ſuſpenſa hedera, mercem ſuam vendibiliorem redderet. Hæc ſententia, non recens nata, ſed ab ipſa antiquitate petita, quæ hujuſmodi ſcriptorum Mercurii nunquam meminit, & ab ipſo *Galeno*, inſigni viro, confirmata eſt. Is lib. 6. de Simpl: Medicam. Facult. eos qui jam tum circumferebantur Mercurii libros, λῆρον καὶ πλάσματα τοῦ συνθέντος vocat. *Quo ex loco diſcimus*, inquit *Caſaubonus*, Ex. 1. contra Baronium, *planos & circumforaneos nugivendulos, ut pretium nugis ſuis conciliarent, de Mercurii Ægyptii nomine illas ſolitos eſſe inſcribere.* Ibid.

Librum

Librum integrum, qui ſub nomine Mercurii Triſmegiſti circumferri ab aliquot ſeculis cæpit, non veremur pronunciare & omni aſſeveratione confirmare, eſſe ψευδεπίγραφον, *utpote qui ſit Chriſtiani alicujus, vel, ut dicam melius, ſemi Chriſtiani, merum figmentum.* Phil. *Cluverius* lib. 1. Germ. Ant. cap. 26. *Nomen Mercurii ſive Theuth, falſo libris iſtis, ſi qui tales fuere, præſcriptum fuiſſe opinor, uti fucus imperitis hominibus imponeretur, quaſi ſummus ille atque maximus Deus ea ipſe tradidiſſet.* Quem ſatis refutat vel ſolus *Iamblichus.* Illud quoque ex Antiquis conſtat, eum doctrinam ſuam, ne inundatione Nili periret, columnis inſculpſiſſe, quas ſuo tempore extitiſſe *Proclus* teſtatur in Plat. Præſtantiſſimos quoque Philoſophos, à quibus Pythagoras, Solon, Plato, Eudoxus, & alii omnia ſua hauſerant, Patanit, Sonchedes, Oclapis, Etymon, Sechanuphis, Conuphis inde prodierunt. *Iamblichus* vero aſſerit ipſum Pythagoram & Platonem dogmata ſua ex columnis Triſmegiſti exſcripſiſſe. Cæterum, mirum eſt quod *Artapanus* apud *Euſebium* lib. 9. προπ. cap. 4. tradit Moſen inventorem literarum apud Ægyptios fuiſſe: ideoque ab iis divino honore cultum & Mercurium appellatum eſſe. THAMUS autem, quo regnante Mercurius Ægyptius floruit, quis fuerit, non adeo conſtat. Ipſum Adamum eo nomine deſignari, nulla, ne probabili ratione, aſſeritur. Antiquiſſimum fuiſſe ex Platone conſtat: Unde vel ipſum CHAMUM, unius literulæ mutatione, qui Ægypto univerſæ dominatus eſt. *Pſal.* 105. vel ipſum Noachum fuiſſe ſuſpicarer, qui *Gen.* 6. תמים appellatur, quod cognomen ab improbis, quibus pœnitentiam prædicabat, 1. *Pet.* 3. 20. ei fortaſſe inditum eſt. *Homerus* Ὀδυσ. δ. Thoni Ægyptii meminit:

Ἐσθλὰ τὰ οἱ πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη.

Nomen Thamus Ægyptiis non inuſitatum fuiſſe oſtendit Thammus ille in hiſtoria Panis demortui apud *Plutarchum*. in περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Macedonibus forte ex orientalibus hiſce ſacris Thaumus pro Marte innoteſcebat: hoc nomine enim Martem eos vocaſſe ſcribit *Heſychius*. Seldenus etiam dubitat num ejus nomen ad Thammuz ſpectet. *Philaſtrius* Thamuz vocat illum Regem qui tempore Moſis in Ægypto vixit. Autor *Chronici* Alexandrini: Θαμοὺζ ὅπερ ἑρμηνεύεται Ἄδωνις. Et certum eſt, Thammuz, Adonim, & Oſiridem unum & eundem omnes fuiſſe: de quo vide *Seld.* Synt. 2. cap. 11. Unde fortaſſe Thamus idem quod Dominus.

CAP. VII.

Philoſophi Ægyptii Prophetæ & Sacerdotes dicti. In ſacris כהנים *vocantur. Vox* כהן *quid ſignificet? Cur Sacerdotes dicti? Ægyptii Philoſophi Medici quoque erant. Anatomiam exercuerunt. Inſignes Mathematici.*

CRebra apud Antiquos mentio Sacerdotum Ægypti extat. Per quos quinam intelligendi ſint, docet *Laërtius* lib. 1. de vitis: *Ægyptii Philoſophi Sacerdotes ac Prophetæ appellabantur.* Et *Apulejus* 2. Met. *Zachlas adeſt Ægyptius, propheta primarius.* Eundem mox Sacerdotem vocat. Cujus appellationis etiam in Scripturis veſtigia extant, imprimis vero *Gen.* 41: 45. *Exod.* 2: 16. cap. 3: 1. Sed, ad locum *Gen.* 41. quid notarit *Fr. Iunius*, operæ pretium eſt ut audiamus: *Hebræam vocem* כהן, inquit, *fatemur ſæpè ſignificare Sacerdotem. Propria tamen ſignificatione ſua latius adhuc patet. Significat enim miniſtrum in miniſterio honorabili*, ut *Iob.* 12: 19. *Ideo Davidis quoque filiis tribuitur*, 2. *Sam.* 9: 9. *Sacerdotibus autem deinde attributum eſt, quatenus, Levitarum reſpectu, fuerunt primarii miniſtri Dei. Quare nos latam vocis ſignificationem retinuimus, adducti Paraphraſtis Chaldai authoritate, Ioſephi ab idololatria communione.*

munione alieniſſimi pietate, & ejuſdem exemplo, cum ipſe, ut miniſter regis, familiaque paterna fuerit regiis ſumtibus educata, &c. Non videtur opus eo uſque deſcendere. Notum quippe eſt, apud Antiquos præcipuo in honore habitos eſſe illos potiſſimum, qui Deorum & Religionis, vel etiam Sapientiæ antiſtites erant. Philoſophi enim rerum divinarum & humanarum curam gerebant. *Apul.* lib. de Mundo. Quod *Platoni* præcipuum in Politica viſum eſt, qui negat Rempublicam poſſe conſiſtere, niſi is, qui imperitet, habeat Sapientiæ ſtudium: aut is ad Imperandum deligatur, quem eſſe inter omnes Sapientiſſimum conſtet. *Apulejus* l. 2. de Philoſ. Morali. Unde ex his potiſſimum delecti magnates & principes. *Virg.* l. 3. Æn.

Rex Anius; Rex idem hominum Phœbique ſacerdos.

Ovidius lib. 13. Met.

— Anius, quo rege homines antiſtite Phœbus
Rite colebatur.

Quin & ipſum Möſen non tantum populi Iſraëlitici Ducem, ſed & Sacerdotem fuiſſe ex *Pſ.* 99: 6. & *Lev.* 8: 13. patet, & pluribus probat *Druſius* in *Lev.* cap. 23. Idem igitur apud Ægyptios receptum eſſe potuit, qui ſua fere omnia ab Aſſyriis hauſerunt: imo fuiſſe receptum, ex cap. 41. Originum verſ. 39. 40. patet: Ubi, ex eo quod Joſeph omnium ſapientiſſimus eſſet, Rex colligit, æquum eſſe, ut ſupra omnes dignitate extollatur. Ergo dici poteſt, illum Oniorum כהן & Sacerdotem, ſive Magum atque θεῶν θεράποντα, & illius Provinciæ Præſidem ac Magiſtratum fuiſſe. Ita ille כהן Midianites, quem ſane imperio illis populis præfuiſſe conſtat, à *R. Kimchio* Idolorum ſacerdos vocatur. Igitur vox כהן, non tam primarium miniſtrum, quem Hebræi סגן, Onkelos רבא, Græci & Perſæ Satrapam, vocant, verum & עבד אלהים ſive תלמיד חכמים notat. Sebaſtianus *Munſter.* ad cap. 2. *Exodi* & lib. 2. *Sam.*

Digitized by Google

cap. 8. *Capitur* כהן *nonnunquam pro* שר *principe & magno viro, aliquando pro miniſtro ſacrorum, aliquando vero* תלמיד חכמים *diſcipulo Sapientum.* Quo nomine, humanitatis & modeſtiæ cauſa, poſteri Judæorum Rabbini uſi ſint. *Conſtant.* L'Empereur Notis ad Benjamini מסעות. Sacerdotes autem dicebantur ex antiquæ Philoſophiæ ratione: quæ cum ϑεολογία conjuncta erat. Differebant enim de Diis eorumque natura & cultu, rebuſque naturalibus, quas & ipſas divinas, ſicut Deum naturam, arbitrabantur. Unde & Poëtæ eum titulum ſibi vendicarunt, qui de ſe ſatis magnifice proclamant:

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Ovid. lib. 3. Am. el. 8.

At ſacri vates & Divûm cura vocamur,
Sunt etiam qui nos Numen habere putant.

Et lib. 3. Triſt. eleg. 2.

Nec vos Pierides, nec ſtirps Latonia veſtro
Docta ſacerdoti turba tuliſtis opem.

Et lib. 3. Am. el. 7.

Ille ego Muſarum purus Phœbique ſacerdos.

Virgil. lib. 6.

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos.

Et lib. 7.

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.

Vulgarius nomen erat חכמים *Gen.* 41:8. *Exod.* 7: 14. Nam, ut recte *Lactantius* lib. 4. Inſt. Divin. cap. 1. inquit: *Poſtquam Sapientia ſublata eſt, tum demum ſibi homines Sapientum nomen vendicare cœperunt. Tum autem nemo Sapiens vocabatur, cum omnes eſſent.* Diſtincti autem fuerunt Sacerdotes & Prophetæ. Illi enim præcipue ſacra cura-

curabant, hi verò oraculis præerant & futura prædicebant, & diſſerebant quoque res divinas, quod nunc Doctores Academiarum facere ſolent. Quæ omnia lucem capiunt ex *Exod.* 7: 1. ubi Deus inquit ad Moſen: *Ecce dedi te Deum Pharaonis: eritque Aharon frater tuus, Propheta tuus.* At cap. 4. *Exod.* Aharon vocatur Os Moſis, Moſes Aharonis אלהים. Nemo non videt נביא idem eſſe quod מתרגם. Aliud genus deorum in ſacris חרטומים vocantur & alio nomine אובים. *Apulejus* de dogm. Platon. *Plato Ægyptum adiit, ut inde Prophetarum etiam ritus addiſceret.* & lib. de Mundo. *Velut Prophetæ quidam Deorum Majeſtate completi teſtantur cæteris qui divino beneficio ſoli vident.* Philoſophia autem antiquorum Ægyptiorum complectebatur, ut dictum, ipſam Theologiam, quam qui præ cæteris excolebant, diſtinctionis ergo כהנים dicti ſunt. Naturalem quoque Philoſophiam maximo ſectabantur ſtudio, cujus quantam ſcientiam ſibi compararint, ex ipſa Medicina, quam ſtrenuè exercuerunt, apparet. Nam *Diodorus* ipſius Medicinæ inventores Ægyptios facit. Tunc ergo latius Philoſophiæ pomœria ſe extendebant. Sub Phyſica enim Medicinam complectebantur, cujus cum Phyſica tanta cognatio eſt, ut ſine mutilatione disjungi & ſeparari nequeant; quod eleganter Philoſophorum Rex lib. de *Reſpiratione* cap. 21. & lib. de *Senſu & Senſili* cap. 1. docet. *Hippocrates* vero, ſapientiſſimus vir, in Lege ſua, non verè minus quam eleganter, Medicinam vocat *μάθησιν ἐμφυτιωθεῖσαν*: & ipſi Philoſophi, *Ariſtoteles, Plato, Theophraſtus*, alii, ingenioſe ac perite de morbis ſcripſerunt: *ut iſti deſinant mirari*, inquit *Apulejus* in Apologia, *ſi Philoſophi ſuapte Doctrina cauſas morborum & remedia noverunt.* Sed de hac re piaculum eſſet, ſi antiquiſſimi Poëtarum, Orientalis antiquitatis, unde ſua ferè omnia hauſit, ſtudioſiſſimi, *λόγια* præterirem. Is, quantum

quantum Medicinæ ſtudio gens hæc impenderit, ita dulciſſime Odyſſ. δ. deſcribit:

> Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος, ἐπιστάμενος περὶ πάντων
> Ἀνθρώπων, ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.

Moſes quoque, c. 50. Originum, mentionem facit Medicorum Ægypti, ſed illi non tam medici erant quam pollinctores, unde & ſervi vocantur, cum cæteri ſapientes ampliſſimis honoribus fruerentur. Unde & primitus illi Anatomiam exercuerunt. *Gellius* lib. 10. Noct. Att. c. 10. *Appion in libris Ægyptiacis dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, repertum eſt, nervum quendam tenuiſſimum, ab eo uno digito, ad cor hominis pergere.* Quod & ex ritu condendi corpora antiquiſſimo patet. Ut iniqui rerum cenſores ſint qui hanc laudem iis adimere conantur, & Græci falſo ejus inventionem ſibi adſcribant. Vide *Galen.* lib. 2. de Anat. adminiſt. *Apulejus* in Apolog. *Veteres quidem Medici, etiam carmina, remedia vulnerum, norant; ut omnis vetuſtatis certiſſimus autor Homerus docet, qui facit Ulyſſi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti Cantamine.* Mathematicas vero diſciplinas ita tractarunt, ut, ſi cum reliquis gentibus comparentur, non perfeciſſe eas ſolum, ſed & adinveniſſe dici poſſint. Quod ipſi, laudis ſtudio perculſi, fecerunt. Imprimis celebres erant apud eos *Petoſiris* & *Necepſon*, quorum prudentia (Julii Firmici verba ſunt) ad ipſa ſecreta divinitatis acceſſit. lib. 3. *Matheſ.* Vendicabant enim ſibi Geometriæ, Aſtrologiæ, & Aſtronomiæ inventionem. *Laërt.* lib. 1. Cum enim Nilus, ſubinde exundans, agrorum limites confunderet, quidam ſagaci ingenio Geometriæ rationes invenerunt, quarum indicio, ſua cuique portio, bona fide reſtitueretur. Inde res in immenſum excrevit. *Martianus* Capella in lib. de

Geogra-

Digitized by Google

Geographia. *Plinius* quoque lib. 6. Aſtrologiæ inventionem iis adſcribit. *Claudianus* in Mallii conſul.

> *Invenit ætherios ſignantem in pulvere curſus,*
> *Quos pia ſollicito deprendit pollice Memphis.*

& *Apulejus* 6. Florid. peculiari epitheto Ægyptios *eruditos* vocat. & per חכמים, quorum *Exod.* 7. mentio eſt, Ebræi חכמי תולדות ſive Aſtrologos intelligunt. Verum autem omnino eſt quod *Gellius* de iis retulit, *id genus hominum & in artibus reperiendis ſolertes extitiſſe & in cognitione rerum indaganda ſagaces*, lib. 11. cap. 8. Cæterum diverſa apud eos genera Philoſophorum erant. *Exod.* 7. mentio fit חכמים חרט ומים, מכשפים, inter quos magna differentia erat. Celebrantur præcipue duo Moſis coætanei, *Iannes* & *Iambres* : quorum etiam *Paulus* 2. *Tim.* 2. meminit, & *Apulejus*. *Numenius* quoque apud *Euſeb.* lib. 9. προπ. cap. 3. *Iamnes & Iambres* (legendum *Iambres*) *Ægyptii erant, viri Magicis artibus adeo præpotentes, ut Muſæo, Iudæorum duci, ſoli reſiſtere poſſe à cunctis Ægyptiis judicati ſint. Multas enim calamitates, quas Muſæus Ægypto intulit, ſolvere viſi ſunt.* & lib. 9. προπ. cap. 4. ex Artapano, qui eos Magos Memphiticos Sacerdotes vocat. Hæ igitur diſciplinæ, conjunctim ſumtæ, vocantur à Stephano *Act.* 7. verſ. 22. Σοφία Ἀιγυπτίων. Ita enim inquit: Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Ἀιγυπτίων.

Cap. VIII.

Æthiopes φιλαρχαῖοι. *A Moſe aliquid Sapientiæ hauſerunt. Quando corrumpi cœperit Philoſophia.* Chamus *ejus corruptor. Magus fuit. Magiæ quænam Origo. Eam non rectè in licitam & illicitam dividi. Vocem, Magia, ſemper in malam partem ſumtam. Philoſophia antiqua cum Magia plerumque juncta.*

De Æthiopibus aliquid ex ordine dicendum eſſet. Sed pauca de eorum Philoſophia ab antiquis tradita ſunt, &, ſi quæ tradita fuerunt, ea iniquitate temporum ferè

amiſſa ſunt. Quales erant libri omnes *Diodori* Siculi, qui à v. ad xi. interjecti ſunt, quorum jacturam (ut *Ioſephus* Scal. in epiſtola quadam ad Laur. Rhodomannum conqueritur) non ſatis deplorare poſſumus. Nam illi libri complectebantur omnem vetuſtatis memoriam, Aſſyriorum, Chaldæorum, Phœnicum, Æthiopum, & aliarum nationum, quarum rerum cognitio multum conferret ad eorum Sapientiam plenius & penitius cognoſcendam. Illud tamen certum eſt, omnia ſua divina & humana eos ab Ægyptiis accepiſſe. Unde & nomina confuſa. Nam Æthiopas Romani, eo quod ex Ægypto adveherentur, primum vocarunt Ægyptinos, Feſto teſte: vel quod *αἰγύπτιος* notat tinctum colore noctis. Et inter Ægyptios ac Æthiopes magna affinitas eſt: quia quidam Æthiopes ab Ægyptiis deſcenderunt, illi nimirum, quos Priſci *Automolas* vocarunt. *Mela* lib. 3. cap. 10. Quanquam ipſi, *φιλαρχαιότητος* thyrſo percuſſi, in antiquitatis certamen cum Ægyptiis deſcenderunt, ſive, ut *Herodotus* lib. 2. refert, cum Phrygibus. Et nulli ſane, ſi antiquorum de origine mundi ſententiis ſtes, meliori fundamento niſi ſunt. Quorum & Regem cum Ægyptiorum Rege de Sapientiæ ſtudio contendiſſe, infra memorandum erit. Sane, Religionibus deditos, neque à Sapientia alienos fuiſſe, ex *Homero* conſtat, qui Jovem, cum univerſis Diis, eorum conviviis intereſſe ſcribit: Ιλ. α.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Præterea dubium non eſt, eos à Moſe aliquid ſanioris Sapientiæ hauſiſſe, quem Æthiopes, in Ægyptum infeſtis copiis irruentes, feliciter profligaſſe, cæcidiſſe, urbem eorum munitiſſimam proditione filiæ Regis, quam ideo in uxorem duxerit, cepiſſe, *Ioſephus* lib. 2. cap. 5. & ex Artapano *Euſebius* lib. 9. *πρ. ευ.* cap. 4. memorant. Cujus viri admi-

admiratione adeo capti ſunt Æthiopes, ut non humanis ſed divinis honoribus eum, poſtquam ipſis Præſes ſive כהן ab Ægypti Rege datus eſſet, coluerint, accepta etiam ab eo circumciſione. *Euſebius* l. 9. c. 4. προπ. Nunc, quam brevi tempore, illa Orientis Philoſophia, quæ apud Aſſyrios & Ægyptios imprimis florebat, corrupta fuerit, dicendum reſtat. Cum vix arcâ egreſſæ octo illæ animæ, 1. *Pet.* 3: 20. terram ſub uno tecto & familia colere cœpiſſent, Satanas, reſarciendam omni modo cladem ſibi exiſtimans, impium CHAMUM, Noachi filium, ad dandas turbas excitavit. Hic cum poſteritate ſua, imprimis tamen Chenaane filio, undis deletam ſectam KAINITICAM, in lucem & æſtimium revocare cœpit. Unde *Sethiani* hæretici, quos Tertullianus *Sethoitas* vocat, ſtatuebant: *Supernam virtutem, diluvio immiſſo, perdidiſſe omnes ſeditioſos & impuros, ut ſolum ſemen Sethi, quod eſſet purum, cuſtodiretur & in mundo maneret. Sed Angelos ſeditioſos ipſam fefelliſſe, & CHAM, de genere ſuo, clam in arcam impoſuiſſe, ut creatum ab ipſis genus malitiæ non deleretur. Hinc oblivionem, errorem, peccata multiplicia nata, mundumque ſic rurſum ad priſcam confuſionem reflexiſſe.* Ita tradunt *Tertullianus* lib. de præſcript. adverſus hæreticos. *Epiphanius* contra Sethianos, hæreſi 39. Unde & à Diluvio, genus humanum, in illas duas ſectas, quas diſtinctionis gratia SETHIANOS & KAINITAS vocamus, diviſum eſt. Quarum prior in ſola Noachi familia, neque tamen inter omnes, neque diu permanſit: Poſterior autem, à Chamo & CHENAANE excitata, longe lateque propagata eſt; de quo vide *Lactant.* lib. 2. cap. 14. in cujus ſocietatem Japhetii quoque & Semitæ mox conceſſerunt. Præcipuè tamen, rerum potiente Nimrodo, adeo invaluit, ut præter Noachum & Semum, qui in Syria contiguas ſedes incoluere, nulli ſanioris Sapientiæ ſtudioſi memorentur. Fuit enim Kainitico-Chamea

ſecta plane Epicurea, conſiſtens in abnegatione divinæ providentiæ, & mortalitatis animorum perſuaſione. Quod divinum Poëtam Salluſtium Bartaſium non latuit, qui Hebd. parte 2. lib. 1. Chamum introducit contra patrem ita diſſerentem: Deum non gerere curam hominum, non eſſe affectibus obnoxium, ſive eſſe immobilem, non iraſci, non placari. Quæ omnia Stoicorum emblemata ſunt, ut ex *Lactantio* 5. Inſt. 10. & 21. & lib. de Ira Dei patet. Tunc & artes illicitæ, quarum author Satanas, (*Euſebius* lib. 5. προπ. cap. 7.) exortæ ſunt, iiſque ita contaminata eſt Philoſophia, ut mox in illicitam & Diabolicam Magiam tota degenerarit. Quam exercuiſſe Chamum non negant Rabbini. Qui dicunt quod patrem ſuum, in tabernaculo denudatum, Eunuchum fecerit. *Hieron.* de ſancta fide lib. 2. Ebræomaſtigis cap. 3. Id quod per ἐπαοιδὴν Magicam fieri poterat, de quo præter *Ovidium* 3. Am. el. 6. impuri Satyrici ſcriptor, & exempla apud *Strozzium* Cigogna lib. 4. Theatri Nat. cap. 1. parte. 1. *Sprengerum* in malleo maleficarum, *Hondorff.* exemplis ſecundi præcepti. Imprimis in Magia excelluit filius ejus Chus, cujus etiam *Sanchoniato* in Phœnicum Theologia meminit, ut eſt apud *Euſeb.* 1. προπ. cap. 7. *Chuſoram cantibus Magicis & ejuſmodi verbis plurimum valuiſſe.* Unde eruditi ſuſpicantur, Chamum Ethnicis eſſe qui Græcis Zoroaſtres. Chaldæi enim dicunt Zoroaſtrem patrem ſuum incantationum vi ſterilem reddere conatum, & Græci Jovem Hammonem patrem caſtraſſe finxerunt. Quem Hammonem non alium fuiſſe quam Chamum & ex nomine clarum eſt, & eruditi omnes conſentiunt. *Bartaſius* Hebd. 2. lib. de Chamo:

——— ——— divina pellere ſummum
Sede parans numen cultuſque capeſſere ſacros,
Et Dæmon Libycis optans inſanus arenis
Sub Iovis eximium ſtatui ſibi nomine templum.

In

In qua Magia orbi obtrudenda, quantis fallaciis *μυριοτέχνης* uſus ſit, nemo ignorat. Primitus enim, cum homines admiratione naturæ captos totos ab ejus contemplatione pendere videret, ſub naturæ honeſto ſchemate, præſtigias ſuas & fraudes ſparſit. Inde ſuſpicio primum, mox perſuaſio hominibus orta, miranda quæque editurum, qui naturæ vires planè ac plenè perſpectas haberet. Quo factum eſt, ut, neglectis ferè cæteris Philoſophiæ partibus, ſoli ſiderum contemplationi, quam cum Phyſica & *ἰατρικῇ* conjungebant, incumberent. Ex hac enim radice, ut dictum, Magia enata eſt. Quæ prædictionem futurorum ex inſpectione cœli, miraculoſa opera ex naturæ cognitione, quævis ex incantationis peritia, ſibi pollicebatur. Unde mirandum non eſt, tanta mox incrementa eam ſumſiſſe, ut totum habitabilem orbem lue ſua & peſte mox inficeret. Nihil enim tanto deſiderio homines perſequuntur quam talium rerum cognitionem. Vide *Plin.* lib. 30. *Apul.* in Apologo Met. *Lucan.* lib. 6. Dubitari autem merito poteſt, rectène Magia in licitam & illicitam dividatur? Primo enim ipſa vox reclamat, quæ, utut molliſſimè accipias, nil licitum notare poteſt. Supra cap. 4. dictum, Magiam antiquis fuiſſe *θεῶν θεραπείαν*, quæ alio nomine *θεολογία* dicitur. Quæ cum, ut notum ex *Euſebio*, tota circa Dæmonum cultus verſaretur (hi enim gentilium Dii erant) quis Magiam hanc licitam fuiſſe dicat? aliam ſane apud antiquos Magiam non invenimus, quæ in *θεουργίᾳ* Dæmonum conſiſtit, quos ideò colebant, ut propitios in mirandis effectibus adjutores haberent. Sed quomodo, qui in contraria Sententia ſunt, Magiam licitam deſcribant, audiamus. *Keck.* l. 1. *Phyſ.* cap. 8. *Occultarum qualitatum notitia vocatur Magia naturalis.* Sic *Langius* lib. 1. ep. Med. 33. *Quicunque rerum naturalium Antipathiam & Sympathiam novit, is miranda, Magiæ opera, producere poterit.* Nec diſſentit *Verulamius*

lib. 3. de augm. ſcient. cap. 5. *Eſt ſcientia, quæ, cognitionem formarum abditarum, ad opera admiranda deducit, atque magnalia naturæ manifeſtat.* Unde & alio nomine θαυματουργικὴν vocant, quod ex arcanorum naturæ cognitione profecta, tam mirifica moliatur opera, ut cauſarum ignaris, vel prodigia, Dæmonum artificio, vel miracula, divina ope confecta, videantur. Quæ omnia nil aliud probant, quam dari ſcientiam quandam occultorum naturæ θαυματουργικήν. Sed hæc non niſi ἀκύρως καὶ ἀλόγως Magia appellatur, cujus, ut oſtenſum, longe diverſa ratio eſt. Neque enim, quod perpetuo obtendunt, olim Magiæ vox, alio ſignificatu, bono nimirum & laudato, uſurpata eſt. Primitus enim, ex origine ipſius Perſicæ linguæ, nil aliud quam Dæmonum cultum notavit, quo nil horribilius, nil magis illicitum eſt. Nam, quod *Scaliger* Ex. 327. inquit, *Magus apud Perſas nil aliud quam Sapientem ſonat*, id vel falſum eſt; notat enim θεῶν θεράποντα, ſive כהן: vel totum, de inſipienti Sapientia (*Rom.* 1. verſ. 23. 1 *Cor.* 1: 20.) intellectum, à qua ut nobis tanquam illicita caveamus, Apoſtoli præceptum eſt *Col.* 2: 8. nihil ad rem facit. Eos quoque naturæ neſcio quæ ſecreta jactitaſſe, & ita perſuaſos fuiſſe à Satana, quaſi illa miranda ex naturæ abditis cauſis proficiſcerentur, nemo negat. Sed illud μέγα λίαν αἴτημα eſt, quod primam Magiam ex indubitatis atque arcanis naturæ principiis revera & non κατὰ δόξαν extructam, poſtea vero negligentia hominum amiſſam, & malitia corruptam fuiſſe contendunt. Talem enim, niſi fortaſſe in Paradiſo, naturæ cognitionem, nunquam inter homines fuiſſe affirmarim; & antiquiſſimi illi, qui Magiæ inventores dicuntur, aliam orbi, quam illicitam, non exhibuerunt. Quod autem vox Magiæ ab Antiquis, &, qui eos ſecuti ſunt, Neotericis, ad naturaliũ abſtruſam cognitionem accommodata eſt: id vel ex ignorantia vocis profectum, vel pravo more paulatim rece-

ptum eſt. Facile enim crediderim, illos, qui ſtupenda eruditione in rebus naturalibus erant, à rudi popello Magos, ſeu honoris, ſeu convitii cauſa, vocatos. De quo conqueritur in Apologia Madaurenſis. Ita, circa nonum à Chriſto nato ſeculum tam indocta fuiſſe tempora, ut, qui Philoſophiæ operam navabat, vulgo Magus putaretur, *Bellarminus* 4. de Pont. R. cap. 12. ſcribit. Has veluti vindicias damus Cl. Viro, Th. *Eraſto*, qui tractatu de Lamiis eandem diſtinctionem Magiæ in licitam & illicitam rejicit, quem dum *Godelmannus* lib. 1. de Magia cap. 2. & alii ſe refutare putant, ἀπὸ θύρας ἁμαρτάνουσι. Præſupponunt enim id quod nunquam, ſi negetur, probare poſſunt, ut ex *Langio* lib. 1. Epiſt. Med. 33. & *Verulam.* lib. 3. cap. 5. facile colligi poteſt, quorum uterque Magiam, quam vocant, naturalem & licitam, inter deſideratas artes refert. Quam dum quidam hodie-Chymici rurſum in lucem proferre nituntur, vereor ut ne pro naturali θαυματουργικῇ, Magiam, id eſt illicitas artes, Chriſtianis obtrudant. De quo infra. Nunc illud ex antedictis ſatis exiſtimo clarum eſſe, Philoſophiam gentilem, in Oriente, antiquiſſimis & primis jam temporibus, cum Magia, ſive Diabolicis artibus & impoſturis, conjunctam fuiſſe; & ab iis ita corruptam, ut parum ſani reliquum habuerit. Sane, quod apud eos iidem fuerint חכמים & qui vocantur חרטמים, ex Originum libris & Daniele patet. Quam vocem cum *Aben-Ezra* putet Ægyptiam eſſe, quia quatuor radicalibus conſtat, multis explicanda non erit, utpote peregrina & nobis ignota. Communiter per eam intelligunt Magos & חמי בתולדות ſive genethliacos, quorum plena Ægyptus, plena Aſſyria, ut ex ſacra hiſtoria notum. Sed nullum certius, pro hac re, argumentum afferri poteſt, quam ex Arabica Pentateuchi Interpretatione, cujus author *R. Saadias* habetur, de quo tamen nonnulli dubitant. Is enim non tantum *Gen.* 41.

verſ. 8.

verſ. 8. *Exod.* 8: 19. ſed & cæteris locis pro voce חרטמים habet עלימא à verbo Arabico עלימא cognoſcere, quaſi *σοφὸς*, *συνετὸς*, vel חרטמים appelles, quales habiti fuerunt Magi, adeo quidem ut Divini quoque Latine ſint vocati. Hujus loci meminit *Th. Beza* in Notis ad cap. 13. *Act.* verſ. 8. Sane, quanquam ipſi Philoſophi omnibus modis liberare ſe à Dæmoniacæ artis ſuſpicione conati ſunt, tamen ſemper Magiæ accuſati & ſuſpecti fuerunt. Vide *Apul.* Apol. Unde & *Sagæ* nominantur aniculæ incantatrices præſtigiis deditæ: quæ vox natura ſua adjectiva eſt: unde *Apulejus* Sagas mulieres vocat lib. 2. Met. & proprie notat Sagus ſive Sagax eum qui multa animo comprehendit & capit. *Scal.* Ex. 252. lib. 2.

CAP. IX.

Indorum Philoſophi Brachmanes. Vnde vox illa ducatur. Alio nomine Gymnoſophiſtæ. אברך *ſummis Philoſophis in Oriente tributum. Quid ſignificet.* JARCHA *Brachmanum ſummus Doctor. Eorum plures ſectæ. Buddas Gymnoſophiſtarum Magiſter.* CALANI *qui? fuerintne peculiaris ſecta? Vnde dicti? Bacchus ſapiens Indus. Dictus Baſſareus à* פשר *Chald. Sabaſius à Suſes. Sabis, Sabus. Græcis & Romanis peregrinus Deus erat. Bacchus an à* בכה*? Illa vox proprie quid ſignificet? Potius eſt à* בקש.

VEriſſimè *Lactant.* lib. 1. Inſt. Div. cap. 1. *Magno*, inquit, *& excellenti ingenio viri, cum ſe doctrinæ penitus dedidiſſent, quicquid laboris poterat impendi, contemtis omnibus & publicis & privatis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerunt: exiſtimantes multo eſſe præclarius, humanarum divinarumque rerum ſcire atque inveſtigare rationem, quam aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere.* Hinc & illi, quos oriens Sol primos videt, INDI, nil antiquius habuerunt, quam Sapientiæ, neglectis cæteris rebus, operam dare. Sed notandum Indos & Æthiopas promiſ-

promiſcue uſurpari ab *Ariſtotele* in Elenchis Sophiſticis, & *Virgilius* Nilum ab Indis fluere ſcribit:

Vſque coloratis amnis devexus ab Indis.

Illorum ergo Philoſophi BRACHMANES dicti ſunt. *Apulejus* Florid. 15. *Brachmanes, ſapientes viri ſunt, Indiæ gens eſt. Bardiſanes* Syrus apud *Euſebium* lib. 6. *προπ.* cap. 8. *apud Indos & Bactros multa millia hominum ſunt qui Brachmanes appellantur. Ii tam traditione patrum quam legibus nec ſimulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt: vinum aut cereviſiam nunquam bibunt: ab omni malignitate abſunt, ſoli Deo attendentes.* Ab ortu Solis ad occaſum perſtabant, intuentes immobilibus oculis orbem candentiſſimi ſideris, in globo igneo rimantes ſecreta quædam: alternis pedibus inſiſtentes arenæ ferventi, citra ullum doloris ſenſum. *Solinus* cap. 60. Quod etiam Socratem ex parte feciſſe Phavorinus apud *Gellium* lib. 2. cap. 1. teſtatur. Quæ tamen neſcio quas fabulas redolent, & Græculorum vanitatem, qui, ut auditorem admiratione percellant, confugere ſolent ad ficta prodigia, ac res omnem fidem excedentes, uti docet *Voſſius* lib. de arte hiſtorica cap. 9. *Gellius* lib. 9. Noct. cap. 4. Quis enim credat, immobilibus oculis orbem candentiſſimi ſideris eos contueri? Sed & à ברך, quod eſt laudavit; genua flexit, Brachmanas derivare poſſumus. Ita enim non apud Indos tantum, ſed & alibi in Oriente, vocati videntur ſummi & admirandi Philoſophi, quorum juſſa, tanquam divina oracula, cæteri ſuſpiciebant, eos magnificis & divinis honoribus proſecuti. Quem morem Ægyptiis quoque receptum fuiſſe, libri Originum, claram indicinam præbent. Nam Joſepho, ſummam rerum omnium, propter ſtupendam Sapientiam, moderante, cui ſimilis non erat (*Gen.* 41. verſ. 39.) in toto Oriente, publica authoritate, princeps Ægypti Pharo, ante ejus currum, per præconem procla-

mári juſſit אברך Abrech, cum quo ſi ultimam terminationem jungas, plane erit Brachmann. De qua tamen voce Interpretes diſſentiunt. Quidam putant eſſe compoſitam vocem, quaſi אב רך, Pater teneri Regis, ut *Onkelos* habet. Cum quo Rabbi Judas ſentit, qui nomen hoc Joſepho inditum putat, quod pater & ſenex Sapientia, tener annis eſſet. *Santes* Pagninus: *clamabant ante eum* אברך, *id eſt, Pater tener.* Kimchi vero putat ſcriptum eſſe אברך pro הברך, ut ſit Imperativus Hiphil à verbo ברך genua flexit. Munſterus: *Genu flectite.* Junius: *ingeniculandum.* Quæ ſententia propius ad rem accedit, & magni nominis aſſenſores habet, in quorum authoritate & nos merito acquieſcimus. Ut Brachmanes, ex origine ſpectati, fuerint ברוחי מינים, vel, quod malim, ברוכי: מין enim Ebræis eſt, quem Græci *αἱρετικὸν*, Latini ſectarium appellant. Neque inuſitatum fuiſſe Indis, Ebræa vel Chaldæa voce Doctores ſuos appellare, manifeſtum eſt. Nam iidem, Brachmanum Principem, Jarcha vocabant, Chaldæa voce ירחא; quod Ebræis ירח eſt. Quo vel ſumma gentis & Philoſophiæ antiquitas, vel inſignis præſtantia innuitur. Unde & Sapor Perſarum Rex, *Marcellino* teſte, Solis & Lunæ fratrem ſe nominavit: Arcades vero & Romani potiſſimum à Luna antiquitatis ſuæ argumentum deduxerunt. Supra cap. 2. Alio tamen nomine quoque appellatos apud *Hieronymum* contra Jovinianum legimus. Ut probabile ſit, plures eorum, ſive ſectas, ſive ſodalitia & familias, fuiſſe. Memorantur enim ab antiquis, Brachmanes, Gymnoſophiſtæ, Samanæi, Calani. *Clearchus* Peripateticus & *Megaſthenes* magno errore Brachmanos & Calanos Indorum eoſdem eſſe cum Judæis putarunt. Ita enim *Clearchus* apud *Euſebium* lib. 9. προπ. cap. 3. *Judæus erat qui ſunt Calani ex India; Judæi à loco quem habitant appellati ſunt.* & Ibidem *Megaſthenes: Brachmani* apud *Indos, qui & Judæi vocantur, multo prius philo-*

philoſophati ſunt. Brachmanum & Samanæorum Princeps apud *Philoſtratum* lib. 3. de vita Apollonii Tyanenſis, ut & ab *Euſebio* lib. adverſus Hieroclem, JARCHA vocatur. Gymnoſophiſtarum autem BUDDAS dicebatur. *Hieronym.* contra Jovinianum. Gymnoſophiſtæ unde dicantur, notum eſt, & ex *Laërtio* lib. 1. conſtat. Sed hæc appellatio recentior eſt, & à Græcis profecta, qui, quod nudi eſſent, ita vocarunt. Sicut & ipſos Indos ita vocant. *Seneca* in Oedipode:

——— flamma propiore nudos
Inficit Indos.

Vetus eorum nomen, ex ipſa India vel Oriente profectum, non habemus. Niſi tamen iidem cum Samanæis fuerunt. Unde, ut dictum, apud Latinos, Semonum appellatio fluxit. Græcis οὐράνιοι dicerentur: unde & una Muſarum, Aſtrologiæ author, Uranie dicta; Saturni pater Uranus ſive Semon aut Samanæus. Quæ appellatio quantum honoris & dignitatis habuerit, nemo ignorat. Antiquiſſimi enim Dii, Saturnus, Ops ſive Rhea, cœlo perhibentur geniti. *Apulejus* Flor. 6. Indorum Sapientes uno Gymnoſophiſtarum nomine comprehendit: *Gymnoſophiſtæ vocantur, Sapientiam percolunt, tam magiſtri ſenes, quam diſcipuli minores.* Sed Flor. 15. Brachmanas vocat & diſtinguit à Gymnoſophiſtis. De Pythagora: *eorum ergo Brachmanum Gymnoſophiſtas adiſſe.* Sed de CALANIS res obſcurior: fuerintne peculiaris quædam Indorum ſecta, an CALANUS nomen cujuſdam Gymnoſophiſtæ proprium? Quorum poſterius ex *Cicerone* l. 4. Tuſcul. Grammatici volunt, quibus adſtipulatur *Ioh. Brodæus* l. 1. Miſcell. c. 11. poſterius autem *Ioſephus*, *Euſebius*, *Suidas* & alii, quorum apud nos authoritas merito præponderat. Calani, qui ſeipſum combuſſit, *Curtius* lib. 10. & *Diod.* lib. 17. aliique rerum Alexandri ſcriptores meminerunt: cui ſimilis ille peregrinus Philoſophus,

Digitized by Google

cujus etiam *Gellius* ut familiaris ſui meminit lib. 12. cap. 11. & *Euſeb.* ad A. Ch. 67. Dicti autem ſunt Calani, non, ut quidam voluerunt, Calami, ut etiam *Ioh. Ninivita* l. 3. Verſificat. monuit. Sed de origine vocis nemo facile ſatisfaciet. Nos, donec melius edocti fuerimus, ita. Chalne civitas à Nimrodo ædificata memoratur Originum cap. 10. Quam Seniores *Χαλάννην*, Euſtathius alicubi *Χαλάνην*, vocant, cujus & in Sacris mentio. Unde hi Calani appellari potuerunt, ſicut à loco Babylonii & Academici dicti ſunt. Imo ipſos Gymnoſophiſtas à Magis fluxiſſe *Clearchus* in libro de diſciplina tradebat. *Laërt.* lib. 1. De quo tamen, ut re obſcura, haud facile quicquam affirmarim. Illud ad id, quod de Samanæis diximus, addendum eſt, multas familias à Diis veterum originem traxiſſe. Ita ab Apolline Ἀπολλωνίδαι καὶ Ἀπολλώνιοι, à Neptuno Ποσειδώνιοι, à Jove Διογενεῖς, Διόσκουροι, Διόνυσοι manarunt. Sic à Cœlo, Cœleſtes vel Cœlites, ab Urano Uranii, à Samen Samanæi dicti ſunt. *Apollonius* Tyanæus apud *Euſeb.* contra Hieroclem confutat. lib. 5. inquit: *Indi Philoſophiam ad utilitatem ipſam contrahentes, in divina ac ſublimi natura complectuntur. Hos ſane ſum admiratus eoſque beatos & ſapientes exiſtimo.* Erat autem celeberrimi apud Indos nominis Bacchus, quem & Indos expugnaſſe Poëtæ fingunt. A quo, ut viro Sapientiſſimo, quippe inter Deorum Principes, Sapientiam ſuam acceperunt. Quod & Bacchi nomina probant. Dictus enim eſt Bassareus, non tam, ut volunt, à בשר, quam à פשר Chaldaica voce, quæ idem atque τὸ פתר notat; σκολευὰ nimirum & ἀμφισμάζειν interpretari. Unde פשרא *Dan.* 4. interpretatio & פשר, interpretari, proprium eorum opus, qui Sapientes vocabantur, ut ex Daniele patet aliquammultis locis. Igitur Baſſareus & Jupiter plane idem notant: uterque ſic dictus, quod hominibus obſcura interpretaretur. Quo etiam ſpectat quod Bac-

Bacchus dictus eſt Briſæus: de quo apud *Steph.* in Urbibus; non certe à Bryſa, Leſbi promontorio, ubi colebatur, ſed à פרש, interpretatus eſt. *Perſius* Sat. 1. verſ. 75.

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Alti.

Sabazius autem dictus eſt, neque à σέβομαι, ut Græci præpoſtere volunt, neque etiam à סבא, quod eſt οἰνοφλογεῖν: quippe hoc non ſolius Bacchi cognomentum, ſed & aliorum, qui non erant ebrioſorum præſides: Verum à Sufes, quæ vox indubie Orientis eſt, à Syrophœnicibus ad Lybiophœnices ſive Pœnos traducta. Inde, ut dictum, Σοφὸς: inde Sabazius, alio nomine Sabis vel Sabus. Arabes etiam Deum quendam, cui decimas thuris offerebant, *Sabin* dicebant. Sabini vero *Sabum* religioſe coluerunt. *Silius* Italicus:

——— ——— Pars laudes ore canebant

Sabe tuas.

& *Apulejus* lib. 8. Mileſ. Diis Syris accenſet, apud quem ſacerdos Deæ Syriæ ita: *At te omnipotens & omniparens Dea Syria & Sanctus Sabazius & Bellona & mater Idea, cum ſuo Adone Venus Domina cœlo reddant.* Illud extra controverſiam, Sabazium hunc Romanis & Græcis peregrinum Deum fuiſſe. *Cicero* lib. 2. de Legg. *Apud Ariſtophanem*, inquit, *SABAZIVS & alii Dii, de peregrinis judicati, è civitate ejiciuntur.* Quæ tamen comœdia hodie non extat. Eum Sabazium Romani quoque civitate ejecerunt. *Valerius* Maxim. *Idem, qui Sabazii IOVIS cultu mores Romanos inficere conati ſunt, &c.* Ex quo Sabazii appellationem non ſolius Bacchi, ſed & cæterorum Divûm fuiſſe conſtat. *Seldenus* tamen nomen Sabazius à Sabaoth, Jehovæ cognomine, ducit. Quod vel exinde probari videtur, quia apud antiquos etiam Sabadius & Sebadius legitur, ut *Dempſterus* ad Roſinum probat. Sane Bacchus Arabum princeps cum Urania numen, quanquam eum alio nomine vel Duſarem vo-

O 3 carunt,

carunt, vel, ut *Herodotus* lib. 3. annotat, Urotalt. Ab hoc igitur Baccho Sapientiam ſuam acceperunt Indi, quem tamen alii, ut *Hugo* Sanford lib. 1. de deſcenſ. Chriſti ad Inferos, Noachum fuiſſe putant; quod ſine dubio falſum eſt. בכה etiam ſignificat limfato furore agi & horrendum ululare, quod Græci Bacchabus tribuunt, & ipſi Baccho. *Ovidius* lib. 6. Met. de Progne:

——— Furiiſque agitata doloris
Bacche tuas ſimulat ———
Exululatque Evoëque ſonat ———

& lib. 3.

Liber adeſt, feſtiſque fremunt ululatibus agri.

& paulo poſt de Bacchico hoc furore inquit:

——— mota inſania vino.

Juſtinus lib. 23. *parvuli flebili ululatu amplexi parentem tenebant.* Et *Apul.* 4. Met. *ululabili cum plangore.* Mox addit: *fletibus ejus exciti.* Potius tamen Bacchum à בקש, quod idem eſt atque ζητέω vel μαίομαι, duxerim. Ab inquirendi nimirum res abſtruſas ſtudio, Bacchus dictus; à quo & ipſum μακάρων, &, ut dictum, Mercurii nomen deſcendit. Accedit & hoc, quod Cadmi nepotem Bacchum faciunt, quem conſtat Philoſophiam primum in Græciam intuliſſe. Et quod ipſi Baccho Parnaſſum Muſarum montem adſcribunt. *Catull.* epig. 65.

Sæpe vagus Liber Parnaſſi è vertice ſummo
Thyadas effuſis errantes crinibus egit.

Tibull. 1. el. 4.

——— æterna eſt Phœbo Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis uterque Deum.

Quinimo Muſas Baccho comites & Silenum præceptorem adjungunt. *Euſeb.* 2. πρæπ. 2. Quod luculentius *Maro* probat, qui Silenum Bacchi alumnum Ecloga 6. ex mente Epicuri diſputantem introducit:

--- uti

———————— uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Ac apud *Lactantium* lib. 3. cap. 19. legimus hanc Sententiam, *Primum bonum eſſe non naſci, ſecundum cito mori*, ut majoris authoritatis eſſet, Sileno attributam. Cæterum, Bacchus Indis idem cum Hercule, quem, ut *Curtius* lib. 8. docet, colebant ut belli Deum. Florentiæ vetus inſcriptio tibiis ſtatuæ ejus affixa: HERCULES.... DOR.... FOR. quod recte ſuppletur ita: INDOR. FORTITUDO: Sed ut ad ſuperiora redeat oratio, Brachmanum Philoſophia in quo præcipue conſtiterit, explicat *Apulejus* Florid. 15. *Brachmanæ pleraque Philoſophiæ ejus contulerunt: quæ mentium documenta, quæ corporum exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitæ, quæ Diis manibus pro merito ſuo cuique tormenta vel præmia.*

CAP. X.

Abrahamus initio Magus. Inde Ebræus Philoſophus. Sapientiam in Ægypto & Chananæa docuit. Ejus liberi colonias duxerunt. מתנות *quid? Abram unde dictus? Iſaac Philoſophus.* שוח *quid? Iacob, Ioſeph. Zophnath Paaneach dictus. Cephanet, Pother. Ægyptii multa ab Ebræis Philoſophis hauſerunt.* לאסר *quid? Ioſephi doctrina an in Ægypto publice approbata?*

IN mediis his pravæ Philoſophiæ tenebris, veluti ſidus quoddam ad bene ſperandum, clariſſimi ingenii vir ABRAHAMUS illuxit, æqualis Nino, Semiramidi atque Zoroaſtri, teſte *Euſebio* lib. 10. πρæπ. cap. 3. De quo quicquid dixero, minus erit. Vir, non ſacris tantum ſed & profanis ſcriptoribus celeberrimus, utpote de quo *Hecatæus* integrum librum conſcripſit, *Euſeb.* lib. 8. πρæπ. cap. 4. & cujus Beroſus, Nic. Damaſcenus, Alexander, Eupolemus,

mus, Melo, aliique multi citati ab *Euſeb.* lib.9. προπ. cap. 4. mentionem faciunt. Hic initio Magorum ſive Chaldæorum apud Aſſyrios placitis innutritus, *Ioſ.* 24: 2. corruptam à parentibus Philoſophiam hauſit, in qua tamen cæteris omnibus melior evaſit. Ipſe enim, cum vir ſapiens juxtà atque eloquens eſſet, & in conjectando ſagax, ex naturalibus rebus Deum eſſe, eumque nobis colendum, obſervabat. *Ioſephus* lib. 1. Ant. cap. 8. Idem de eo *Philo* tradit. Sed mens ejus, nulla adhuc divina luce illuminata, multorum errorum tenebris obvoluta erat. Quas, ſimul atque à Deo exire Chaldæa juſſus eſt, cum clara luce mutavit, factus ex Mago Ebræus, Chriſtianus Philoſophus, ſacræ Sapientiæ ſtudioſus. De qua paucis, quantum ad præſentem rem, nunc agendum eſt. Sapientia, ut notum, in ipſo primitus Paradiſo exorta, poſtmodum à ſanctis Patribus exculta, & ad poſteros propagata eſt. Deus enim ſemper aliquos ſuſcitavit, qui, relictis profanorum erroribus, inſtaurationem imaginis Dei, etiam Sapientiæ ſtudio, molirentur. Quales poſt Noachum Ebræi dicti ſunt, quorum poſtea appellatio uſque ad natum Chriſtum obtinuit. Igitur ex Semi poſteris Abrahamus erat, vir divino ingenio & admiranda rerum peritia inſignis. In cujus familia clariſſimum Philoſophiæ domicilium ac ſedes fuit. Abrahamus enim non inter ſuos modo, ſed & in toto Oriente, clariſſimi propter Sapientiam nominis habitus eſt. Nam *Ioſephus* ex Beroſo teſtatur lib. 1. cap. 8. & 9. eum Ægyptiis numerorum ſcientiam & ſiderum communicaſſe, quarum hactenus rudes Ægyptii fuerant. Ac tradit *Alexander* apud *Euſebium* 9. προπ. cap. 4. & 10: cap. 2. Sacerdotes Heliopolitanos alioſque ejus in Aſtrologia, Arithmetica, Geometria, aliiſque Sapientiæ partibus inſtitutione uſos. Ac Aſtrologiæ peritum fuiſſe Abrahamum quis dubitet, cum ex Chaldæa originem traxerit? Unde, quod Orpheus

pheus cecinit Deum ſeſe olim uni Chaldæo pateſeciſſe, de Abrahamo dictum putant. Quanquam apud *Euſebium* 9. προπ. cap. 4. Abrahamus teſtetur ſe Aſtrologiam non inveniſſe, ſed ab Enocho accepiſſe. Quomodo autem in Chananæam expulſus ſit, *Rambam* in More Nevochim lib. 3. cap. 30. ex Chaldæorum libris in Arabicam linguam tranſlatis narrat. Cauſam nimirum fuiſſe quod Solem adorare nollet, alium dicens rerum opificem ac rectorem eſſe. Unde diſputatione cum Magis habita in vincula conjectus tandemque regione pulſus fuerit. Eandem fabulam Rabbini non modo repetunt, verum inſuper aliis commentis augent, quæ huc afferre non eſt operæ pretium. Cum itaque in Chananæam perveniſſet, dubitari non debet quin etiam Phœnices purioris ab eo Sapientiæ rudimenta hauſerint, quippe gratus terræ Principibus Regibuſque erat venerabilis. Ita cum liberi ejus, quorum multi erant, in diverſas regiones colonias ducerent, ſimul eò purior Philoſophia migravit, quæ mox tamen erroribus Chamitarum ſive Kainitarum contaminata eſt. Abrahamus enim author iis fuit, ut colonias ducerent, qui & occuparunt Troglodyticam regionem, & Arabiæ felicis quicquid ad mare rubrum pertinet. *Ioſephus* lib. 1. cap. 16. Idem refert, Afrum, filium ejus, Africam urbem regionemque condidiſſe: Aſſurem Aſſyriam. apud *Euſeb.* 9. προπ. 4. Ubi inſignis malitia & ſtupor pluſquam brutus Judæorum prætereundus non eſt. Nam cum *Gen.* 15. legatur, Abrahamum liberis ſuis, è concubina natis, dediſſe מתנות, ipſi exponunt fuiſſe nomina immunditiæ, &, ſecundum *R. Salomonis* gloſſam, vocationes Diabolorum: ut recenſet Ebræomaſtix *Hieronymi* de ſancta fide lib. 2. cap. 3. Nihil magis à natura & innocentia Sanctiſſimi & Doctiſſimi Viri abeſſe potuit, quam talia munera Diabolica ſuis diſtribuere. Dictus autem eſt, dum adhuc in Chaldæa verſabatur, Abram:

P quaſi

quaſi dicas, inventor & author doctrinæ excelſæ, qualis apud antiquos Aſtrologia imprimis habebatur. *Euſeb.* l. 9. προπ. cap. 4. *Quid de Abraham dicam, qui cum cæleſtium corporum ſcientia maxime præſtaret, Abraham, id eſt, pater ſuperiorum corporum vocabatur.* Unde & מרום in ſacris, pro cœlo, ſumitur. Quam & ab erroribus & ſuperſtitione Chaldæorum & Ægyptiorum perpurgatam docuit. Eamque ſapientiam, à patre, velut hæreditario jure, acceptam, ISAACUS conſtanter retinuit, & exemplo patris in Cananæa & Ægypto propagavit. Nam dubium non eſt, quin, quas artes peregrinis tradebat, earum filium ſuum ignarum eſſe noluerit. *Gen.* 24. dicitur quod Iſaacus egreſſus fuerit לשוח בשדה לפני ערב. Ubi, quid שוח ſignificet, Interpretes quærunt. Communiter pro *Orare* accipiunt. Aben-*Eſra* exponit: ללכת בין השיחים, ambulare inter fruteta. Proprie tamen ſignificat, *ſubmiſſa voce loqui, labietenus murmurare*, ut orantes vel meditantes, aut apud nos de re aliqua mirantes facimus. Poteſt autem triplex hæc ſignificatio obtinere: egreſſum Iſaacum, ut ambularet inter fruteta, ut oraret (omnia quippe à precibus auſpicabantur) ut meditaretur in Philoſophia, ſive ex operum naturæ contemplatione Sapientiam ſibi acquireret. De JACOBO eadem dicenda ſunt: cujus viri quanta in rebus naturalibus ſolertia & ἐμπειρία fuerit, non aliunde melius intelligimus, quam ex *Originum* cap. 30. ubi miro artificio utitur in conceptu ovium gubernando. In ejus hiſtoria etiam mentio fit Aſtrologiæ Syrorum. Lea enim Syra, *Gen.* 30. dum dicit בגד, ſimul, quid illo tempore ſtatuerint Aſtrologiæ ſtudioſi de Gad ſeu fortuna & ſtellis eam gubernantibus, oſtendit. Et tales errores jam illo tempore Syrorum aſtrologiam invaſiſſe putat Seldenus. Ex cujus filiis, quorum duodecim, viri prudentia & virtute præſtantes fuerunt, teſte *Ioſepho* lib. 2. Ant. cap. 2. Clariſſimi nominis fuit

fuit Joſeph. Qui cum tenerâ adhuc ætate, fratrum invidia, venditus Ægyptiis eſſet, variâ uſus fortunâ, tandem, cum Regi ſomnium feliciter interpretatus eſſet, omnium Ægyptiorum ſapientiſſimus, publico Regis & populi ſuffragio, cum reipſa eſſet, habitus eſt, ſplendido titulo decoratus צפנת פענח. Quidam Ægyptiam vocem, cum ab Ægyptio profecta fuerit, eſſe volunt, & ita dictum Joſephum, quod eſſet ſalvator mundi, & orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit. *Iſidor*. lib. 7. Orig. cap. 7. *Hieronym*. ad d. l. *Geneſ.* Quidam *Onkelum* imitati vertunt מגלה ſive הצפנות מגליא. Hebræorum ſapientes non inelegans *τηρησείδιον* nobis ſuppeditant. Qui per notationem primarum literarum explicarunt: פודה נביא פותר ערום נבון חוזה צופה. Ubi ex eo, quod inter nomina ejus פותר referunt, lucem fœnerantur illa, quæ ſupra lib. 1. cap. 5. de Jupitre diximus. Neque ullo modo dubitari poteſt, quin, quæcunque vera & Scripturæ conſentientia, cum apud alios, tum imprimis Ægyptios Philoſophos inveniuntur, ea omnia ab Ebræis, quibuſcum jam à temporibus Abrahæ frequenter & diu converſati ſunt, acceperint. Imprimis à Joſepho plurima, cui, cum proximus à Rege eſſet, contradicere nemo auſus fuit. Unde & non deſunt qui Sapientiæ & virtutum Scholas ab eo in Ægypto excitatas ſcribunt. Et tales inibi fuiſſe patet ex hiſtoria Moſis, quem in omni Ægyptiorum ſapientia eruditum fuiſſe S. literæ tradunt. Quo illud facit quod *David* Pſ. 105. annotat: Joſepho mandatum à Pharaone, *ut doceret Principes ejus pro beneplacito & Senes ejus in Sapientia inſtitueret*. Ita enim vocem לאסר vulgata vertit, à qua, cum omnia plana ſint, recedendum non videtur. Tam enim à יסר, quam ab אסר deduci poteſt: & uterque ſenſus integer manet. יסר enim tam pro *Erudire* quam pro *Caſtigare* ſumitur: quod hæc duo plerumque conjuncta ſunt. Unde miror quid in mentem vene-

rit iis, qui, Joſephi doctrinam publice approbatam non fuiſſe, contendunt. Nam cum publice in Scholis eorum & Academiis tradita ſit, quis approbatam publicè, authoritate Regis & procerum regni, neget? Tantum abfuit, ut quis ejus placitis refragaretur, ut ne contra quidem mutire auſi fuerint. *Gen.* 41. Neque tamen defuiſſe nego, qui, inventis frugibus, glande veſci mallent. Sed affectus privatus, publicæ cauſæ nihil nocebat. Malè eventum allegant. Ægyptii enim, Joſepho & Rege, qui Joſephum noverat, ſublato, ad vomitum redierunt, veramque Philoſophiam diu privato, tandem publico affectu abrogarunt & antiquarunt. Idque recte obſervavit Philippus in Chronico, lib. 2. *Non longo tempore poſt mortem Ioſeph, Reges Ægyptii, abjecta doctrina Ioſeph, rurſum Idola coluerunt, & Magicas artes amplexi ſunt.* Neque tamen omnem: manſerunt enim rudera quædam & veritatis ἀποσπασμάτια. Nam, quod vetuſtiſſimi Ægyptii mundum habere principium ſtatuunt, quodque iidem annum à libra, quem & mundi natalem putabant, auſpicabantur, non aliunde quam à Joſepho hauſerunt, ut illuſtris memoriæ vir *Ioſeph.* Scaliger ad lib. 1. Manilii monet. Ab eodem immortalitatem animorum didicerunt, quæ tamen mox in peſtiferum μετεμψυχώσεως monſtrum, à monſtroſis ingeniis, mutata eſt, ut in Hiſtoria Pſychologica monſtramus. Sicut igitur non minimam Sapientiæ particulam Hebræis Ægyptii debent: ita & multa cum iis vocabula participarunt, quæ in Divorum nominibus crebro adhuc ſe produnt, ut hactenus ſæpe demonſtratum dedimus. Sed de Joſepho mirum quantum fabulati ſint οἱ ἔξω τῆς θείας αὐλῆς. Videatur omnium inſtar *Iuſtinus* lib. 36. Ex Abrahami poſteris Siculi Panormitani ſe derivant. Nam inventa eſt Panormi inſcriptio Chaldaica, in qua dicitur: *Sephu filium Elgath filium Eſau: qui Eſau fuerit frater Iacobi & Iacob, Iſaci filius, Iſaac Abrahami; ei turri*

præfe-

præfectum fuiſſe cui nomen fuerit Baych. Et in alia inſcriptione dicitur: *Tempore Iſaaci Abrahami filii coloniam Chaldæorum, in qua multi Damaſceni & Phœnices fuerint, in triquetram Inſulam veniſſe & in eo loco ubi Panormus habitaſſe.*

Cap. XI.

Germanis injuriam faciunt Hiſtorici. Orti ſunt ab Aſcenaz. Theuth. Non eſt vera ſcriptio, ſed Thohuth vel Thohu. Fraus Diaboli in adulteranda ſana hiſtoria. Thohuth ſive Theuth à תוהו *dictus eſt. Non ſignificat principium. Veterum opinio de Thohu ſive Chao. Χάος, ἔρεβος, ἅδης, orcus unde? Thohuth ignotus & primus Deus. Bau eſt ex Bohu. Colpia ventus.*

INgens hiſtoricorum turba eſt, qui, quod fatendum, ſæpius veritati prævaricantur. *Iuven.* Sat. 10.

——— *& quicquid Græcia mendax*
Audet in hiſtoria.

Quintil. lib. 2. cap. 4. *Græcis hiſtoricis plerumque poëticæ ſimilis eſt licentia.* Teſtis vel unus Herodotus, cui tamen cæteri non adeo longo intervallo proximi ſunt. Ita enim *Tacitus* de Germanis refert: *Literarum ſecreta viri pariter & fœmina ignorant.* Eos Græci ſtolidis & barbaris populis accenſent, omnes hoc agunt, ut Philoſophiæ non modo contemtores & corruptores, verum & ignaros atque imperitos, apud poſteritatem faciunt. *Cæſar* vero lib. 6. de B. G. eos ne Druydes quidem habere; qui rebus divinis præſint. Quod qua temeritate fecerunt, eadem tamen felicitate non perfecerunt. Satis enim eorum φλυαρίας & imprudentiam redarguunt illa, quæ, de antiquiſſimis Germanorum Philoſophis, alii tradunt. Germanos ab Aschkenaz ortos eſſe communis Ebræorum opinio eſt. Eo nomine ab ipſis hodieque appellamur. Qui cum nepos Japheti, & ex Noachi familia fuerit, dubio procul, priſcæ illius Philoſophiæ non ignarus extitit. *Phil.* Melanchthon ait,

ait, Etymologiam nominis oſtendere, eum antecelluiſſe authoritate, propter DOCTRINAM & VIRTUTEM. Dictum enim Aſchkenaz, quaſi אש כהן, ſacerdotem aut cuſtodem ignis. Cui divinus in Oriente cultus jam antiquiſſimis temporibus exhibitus fuit. Quam etymologiam quanquam *Bodinus* cap. 9. *Meth.* hiſtoriæ non probet, cum ex linguæ Ebrææ genio radicales binæ ſimul elidi non poſſint, tamen propter ſummam viri hujus authoritatem penitus non rejicimus. Illud firmius eſt, quod de THEUTH Mercurio tradunt, quem à Germanis divino honore cultum eſſe conſtat. De quo & ſupra cap. 6. egimus, & nunc agendum eſt. Nomen hoc unde ſit, aut quid ex origine ſua ſpectatum ſignificet, quærunt eruditi. Phil. *Cluverius* lib. 1. Ant. Germ. cap. 26. ſcribendum putat THEUTH, inde dictos THEUTISCOS. De ſcriptione non adeo laboramus: quanquam merito dubitari poſſit. Caruerunt enim orientales Diphthongo Eu. Pro quo vel Holem vel Schurek, ſive quid ex utroque mixtum, Kibbuz uſurpant. 2. *Sam.* 8. mentio fit Reguli cujuſdam Syriæ, cujus nomen THOI erat: à quo non longe abeſt illa ſcriptio, quę THOITH approbat. Et hanc vocem ex Oriente petitam eſſe omnes fatentur. Unde THOITH potius probarim quam Theuth: neque tamen ſcriptio illa totum, ut oſtendemus, nomen exhaurit. Primæva enim ſcriptio THOHU vel THOHUTH fuiſſe videtur. Quod, ſi, quis fuerit, demonſtraverimus, clarius fiet. Semper à condito mundo id egit Diabolus, ut & Dei gloriam & S. hiſtoriæ veritatem obſcuraret. Unde tot Deos & tot Deorum nomina antiquis obtruſit, non aliunde quam ex Sacris petita. Imprimis tamen creationis hiſtoria peſſimè abuſus eſt. Cum in principio cœlum & terram conditam ſciret, antiquiſſimos & primos Deorum fuiſſe cœlum & terram finxit. De quo *Lactantius* & *Euſebius* paſſim. Unde & ipſa nomina Deorum. A Schamaim

maim enim Bel Samen & Semones denominabat. Inde in nequitia progreſſus, cætera quoque corrumpere cœpit. Cum enim S. hiſtoriæ ſcriptor addat, terram fuiſſe תהו ובהו: utrumque hoc, ad neſcio quos Deorum, traduxit. A Thohu fecit Theuth ſive Thohuth, à Bohu, ut dicemus, Bau. Rationes pro hoc non contemnendæ ſunt. Vocem Theuth ex Oriente deducendam eſſe & clarum eſt & ſæpius jam dictum. Unde autem potius quam à Thohu? Nam neque vox reſpuit: neque, quem Diabolus & gentiles in fingendis Diis ſervavit, modus repugnat. Ita & initium ſtatim S. Scripturæ ad Deos ſuos detorſit, ut legentes Gentiles nihil aliud quam rerum & Deorum origines referri putarent. Primo quidem cœli & terræ: à quibus nati Thohu & Bohu. Deinde lux ſive ignis, tenebræ ſive nox. Tandem Sol, Luna, & reliquæ ſtellæ. Quæ omnia antiquis illis Deorum numerum complebant. Unde & Triſmegiſtus apud *Lactantium* lib. 1. Inſt. cap. 11. Uranum, Saturnum, Mercurium cognatos ſuos nominat. Quin imo totam Hiſtoriam creationis peſſime corrupit per Phœnicum Theologiam ex Moſe expreſſam: de quo vide quid ex Sanchoniato referat *Euſeb*. lib. 1. *προπ*. cap. 7. Nam quod Cluverius d. l. vocem Theuth ſignificaſſe principium conjicit; ex eo quod primo apud Ægyptios menſi hoc nomen inditum eſt, ut *Lactant*. lib. 1. Inſt. cap. 6. docet: id facile redarguitur, cum nil niſi, ut ipſe fatetur, ſuſpicio ſit, & ex data ratione tam male concludatur, quam ſi Niſan aut Januarium principium notare dicas. Nam & hi menſes annum aperiunt. Principum virorum nomina menſibus indita, ſive primo, ſive medio, ſive ultimo, prout ratio aut tempora ferebant. Ita & à Theuth Ægyptiis September denominatus eſt. Accedit & altera, petita ab ipſa opinione, quam de mundi & rerum omnium origine habebant antiquiſſimi. Diabolus, ex eorum animis omni de creatione mundi hiſtoria.

ſtoria penitus deleta, ex materia quadam æterna & confuſa, tandem emerſiſſe Solem, cujus calore cætera ad maturitatem perducta ſint, iis inſpiraverat. Hanc materiam, quam Moſes Thohu vocavit, ipſi æternam & increatam fingebant. Inde antiquiſſimi Græciæ Philoſophi, qui ſua omnia ex Oriente hauſerunt, tam multa de Chao, Erebo, nocte ſive ᾅδῃ & orco blaterant. *Ovidius* lib. 14. Met.

Et noctem noctiſque Deos Erebonque Chaonque
Convocat.

4. Æn.

Tercentum tonat ore Deos, Erebonque Chaonque.

lib. 6. Æn.

Dii quibus imperium eſt animarum umbræque ſilentes
Et Chaos & Phlegeton, loca nocte ſilentia late.

Quarum rerum & ipſa nomina ex Oriente ſunt. Χάος enim quod antiquis, Feſto teſte, cohum dicebatur, ſive à thohu, ſive à bohu, unius literulæ facili mutatione, deducitur. Inde & inchoo ſive incoho (utrumque enim recte ſic ſcribitur) manavit, & Heſiodus omnium rerum initium à Chao ſtatuit. Ἔρεβος autem à ערב. ἄδην, quæ vox propriè notat ἀόρατον ſive ἀφανὲς, non aliunde quam ab אטמה ducendum eſſe probat *Hugo* Sanford lib. 1. de deſc. Chriſti ad inferos. Orcus plane eſt à Chaldaica voce ארקא terra. Unde quos mortuos putabant, ſi redirent, ex orco eos rediiſſe dicebant. Mythici autem antiquiſſimam & obſcuriſſimam rerum omnium originem ad noctem referebant, etiam in bonam partem. *Heſiodus* l. 1. Ἡμερ. dicit: contentionem laudabilem genuit νὺξ ἐρεβεννή. Ex quibus tenebris cum ſeipſos extricare non poſſent Ægyptii, THOHUTH vocarunt primum & antiquiſſimum Deum, à quo omnia eſſent. *Ovidius* in illuſtri opere lib. 1. de hoc Chao agens:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Paulo poſt:

—quiſ-

——— *quiſquis fuit ille Deorum,*
Congeriêm ſecuit.

Sed nullus clarior locus pro hac quidem ſententia quàm ex 6. Comm. *Cæſ.* de B. G. *Galli ſe omnes ab Dite Patre prognatos dicunt. Idque ab Druydibus proditum dicunt, ob eam cauſſam ſpacia omnis temporis, non numero dierum, ſed noctium finiunt, & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſervant ut noctem dies ſubſequatur.* Satis clare innuit Ditem iis nil aliud, quam quod Hebræum תהו eſt, fuiſſe, unde & Theuth deſcendere probavimus. Unde patet Thohuthum hunc iis notaſſe non verum Deum cœli & terræ creatorem, ſed antiquiſſimum, ignotum tamen numen, à quo omnia, &, ſine dubio, ipſæ quoque artes originem ſumſerint. Neque dubito quin & exinde Titan deſcendat, de quo nomine notum eſt quid *Irenæus* lib. 5. tradat, divinum id à multis putari, ideoque ipſi Soli tributum. Facile vero, à Theut, Titan fieri nemo non videt. Quod vero etiam à Bohu Deum quendam fecerit Satanas, nunc exponendum reſtat. *Euſeb.* lib. 1. προπ. ex Sanchoniato refert, Phœnices tradere ex vento Colpia nuncupato & muliere Bau, quod noctem ſignificet, natos fuiſſe ſeculum & primogenitum. Quod ex Sacris non tam petitum quam detortum nemo non videt. Ventus Colpia eſt, quem Moſes vocat רוח מרחפת. Quem cur vocarint Colpia, nondum mihi conſtat. Sed de Bau res manifeſta eſt, quod non aliunde quam ex בהו deſcendat. *I. Seldenus* Thoth & Bau in Phœnicum ſanctuariis ex Thohu & Bohu in Geneſeos initio petere doctos fatetur. Patet igitur, quod, ſupra demonſtrandum cum eſſet, in hunc locum rejecimus, originem & Dei & vocis Thohuth non aliunde deſcendere quam à תהו. De quo quid ſenſerint Germani, jam nunc dicendum eſt.

Digitized by Google

CAP. XII.

Theuth Germanorum eſt Teutates vel Teuto. Inde dicti Tuiſcones. Teutſchen *interpretari. Teuto Iupiter. Belgium, Belga à Pelego. Galli Philoſophi. Bardi & Druydæ. Vnde dicti?* Trutten. *Incolere pro valdè colere apud Lucanum. Druydum Philoſophia. Hercules Gallicus.*

SUpra lib. 1. cap. 8. quænam πολυθεΐας origo fuerit, expoſitum eſt. Vocabant igitur ignotum illum Deum plurimis nominibus, ex quibus poſtea, errore vulgi, πολυθεΐα invecta eſt, quam *Plato*, *Socrates*, *Cicero*, & alii non ignorarunt. Ita qui primitus erat THEUTH, poſtea, Mercurius, Hermes, Hercules, Apollo, Kadmus, dictus eſt. Et Hercules alius erat Græcorum, Gallorum, Africanorum. *Salluſt.* in Jugurtha: *oppidum nomine Capſa: cujus conditor Hercules Libys memoratur.* Multi putant Hermetis nomen ipſis quoque Germanis notum fuiſſe. unde *Irmenſulas*, idola ſua, Mercurio ſacrata, vocarint. Seul enim Germanis ſtatuam notat, quæ Ebræis propriiſſime מצבה à ſtando: & ipſum Arminii S. Hermanni nomen indicinam ejus præbet. Irmenſula autem Saxonibus erat Belli Deus. Hunc Mercurium à Gallis & Germanis maxime cultum eſſe *Cæſar* & *Tacitus* tradunt, non tam propter mercaturæ ſtudium, cui non adeo dediti erant Martis pulli, quam quod Sapientiæ & artium author & inventor eſſe crederetur. Sed hic non idem ille fuit atque Ægyptiorum Theuth, quod tamen inveterato errore putant. Verum cum circa Moſis tempora; ut Aventinus vult, in Germania regnaret Teutates, Teutanes vel Teuto, vir ſapiens & diſciplinarum apud Germanos author, factum, ut, propter tam utilium rerum inventiones, poſt obitum divinos honores meruerit. Idem enim cum illo eſt quem Lucanus Teutatem vocat lib. 1. A quo & hodie vox Deuten pro פתר deſcendit, ut Teuto & Jupiter ſignificatione plane idem ſint. Ut

&,

&,à Tuſcone, vox Teutſchen manavit, quem Tuiſconem circa Pelegi tempora regnaſſe, & Germanis pręcepta bene vivendi, carminibus, ne memoria exciderent, tradidiſſe, idem *Aventinus* lib. 1. memorat. *Tacitus* quoque ejus meminit, ubi de Germanis inquit: *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Thuiſtonem Deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.* Satis igitur, antiquiſſimis jam temporibus apud Germanos Philoſophiam floruiſſe, contra eos qui hoc negant, demonſtratum puto, quibus ſis adde quæ de Ingevone tradunt, & eum ſtudia mitiora apud Germanos inſtituiſſe. Sed, quia Pelegi mentio facta, pauca de origine Belgarum addenda ſunt. Qui aliunde dicti non ſunt quam à Pelego. Hujus ex familia, dubio procul, aliqui in eas regiones, quæ hodieque Belgium appellantur, delati, in gratam præceptoris ſui Pelegi, à quo Aſtrologiam perceperant, memoriam, regionem Belgium, ſe Belgas appellarunt. Annales Belgici à Belo Deo dictum memorant amplum in Belgio oppidum, quod, cum late rerum potiretur, toti regioni nomen dederit. *Cæterum*, inquit *Abr.* Ortelius in Itinerario Gallo-brabant. *de Belo non conſtat, unde ea Religio ad Gallos manarit: videtur quidem ab Aſſyriis ſumta, apud quos Bel ſol erat. Quod, cum Aſſyrii latiſſimè imperarint, abſurdum non eſt. Herodianus ſane facit mentionem Belis, qui tunc Gallica gens erant, patrium numen fuiſſe & Solis loco habitum refert.* Hæc *Ortelius.* Quibus multo probabiliora ſunt, quæ de Pelego diximus, à quo & Philoſophiam eos accepiſſe conſequitur. Cujus nomen quoque apud poſteros manſit. *Iuſtinus* lib. 24. *Galli, duce Belgio, legatos ad Ptolomæum mittunt.* GALLI autem, ſua lingua CELTÆ dicti, antiquiſſimis temporibus clarum à Philoſophiæ ſtudio, cui imprimis dediti erant, nomen acceperunt. Quorum Philoſophi duûm generum recenſentur.

Digitized by Google

Quidam dicti ſunt BARDI, ſive vates & Eubages, minorum gentium Philoſophi & ferme è vulgo Poëtæ. *Lucan.* l. 1.

Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi!

Qui tamen & ipſi, ut Poëtarum mos eſt, non levem Sapientiæ exiſtimationem ſibi arrogarunt. Digniores ac divini penè habiti ſunt illi qui DRUYDÆ dicebantur, maximæ authoritatis & ex arte Philoſophi. Quos à δρῦς *Plinius* lib. 16. cap. 45. & lib. 24. cap. 11. dictos putat, quod viſco & in qua ille naſcitur arbore nihil iis ſacratius fuerit. Quæ origo, ut eruditi monſtrarunt, plane falſa & inepta eſt. Alii ex Germanico Drou vel Dru, quod iis à vulgo tanquam ſapientibus fides maxime haberetur; vel etiam à Druthin/ quod antiquis Germanis Dominus, ſive Drychten / quod epitheton Servatoris proprium erat, dictos putant. Nos ita ſtatuimus. Druydum Philoſophiam ab Aſſyriis Magis fluxiſſe, qui Germanica lingua hodieque dicuntur Trutten vel Truttner. Unde & iis Druydum nomen inditum, quod rebus divinis intereſſent, ſacrificia publica ac privata procurarent, religiones interpretarentur. *Cæſar* lib. 6. de Bello Gallico. Idem tradit Germanorum matresfamilias ſortibus & vaticinationibus deditas eſſe. Unde & apud Romanos & Apulejum Sagæ, ſive ejuſmodi ſacræ mulieres, *Veratrices* dicuntur, nobis Wahrſagerinnen/ quod divinandi ſcientiam profiterentur. Unde & *Ennius*: *Satin' vates verant ætate in agundâ?* Quæ omnia, ut notum, Magorum in Oriente propria erant. Sicut igitur vox Magus, quam olim boni ſignificatus fuiſſe contendunt, nunc in malam partem accipitur: ita & Druydæ nunc dicuntur, qui, Diabolicis artibus dediti, præſtigias & maleficia edunt. De his Gallorum Philoſophis ita *Lucanus* lib. 1.

Solis noſſe Deos & cæli numina vobis
Aut ſolis neſcire datum, nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Ubi

Ubi *incolere*, raro ſignificatu, pro valide & ſumme colere accipitur. Nam IN, ut *Chariſius* Soſipater lib. 2. tradit, non modo derogativa, ſed & adjectiva eſt. Veteres enim præcipua religione lucos & prægrandes arbores proſecuti ſunt. Neque alibi legimus, eos inhabitaſſe lucos, qui religionibus dicati erant. Quin contrarium ex *Lucano* lib. 3. apparet, ubi deſcribit lucum Gallicum:

Non illum cultu populi propiore frequentant.
————————— pavet ipſe ſacerdos
Acceſſus Dominumque timet deprendere luci.

De eorum Philoſophia ita *Cæſar* lib. 6. *Multa de ſideribus atque eorum motu, de mundi atque terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant & juventuti tradunt.* *Mela* lib. 3. cap. 2. *Galli habent facundiæ ſuæ magiſtroſque ſapientiæ Druidas. Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cœli & ſiderum, ac quid Dii velint, ſcire profitentur: docent multos nobiliſſimos gentis clam & diu vicenis annis in ſpecu aut in abditis ſaltibus. Unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet æternas eſſe animas.* Sic apud priſcos quoque Friſios Druydæ erant ſive Druyſæ, quorum inde ab antiquo Friſonis ævo ad Radbodum II. atque ultimum Friſiorum Regum, decem ſed interrupta ſerie extant: Haio, Vitho, Serapio, Harco, Synna, Harco II. Vitho II. Poppo, Sivardus, Occo. Omnes vel ſcriptis olim vel ſapientia conſpicui, teſtibus *Suffrido* de Friſ. Scriptoribus & Origene aliiſque Friſiorum hiſtoricis. Ab his hodieque Friſii dæmonem Druß vocant: quia nimirum illi dæmonum antiſtites & malarum artium periti fuerant. Sed *Siffridus* Petri non majorem fidem meretur quam Annius Viterbienſis, ut *Ubbo* Emmius oſtendit. Ab his ille, qui Hercules Gallicus appellatur, inſignis & Philoſophus & Orator cultus eſt. Quem ita ſingebant: Clava & leonis exuviis armatus: Lingua ex ore

prolata, cujus è mucrone innumerabiles aureæ catenulæ prodeuntes, innumerabiles homines ponè ſequentes trahebat. *Lucianus* in Hercule Gallico. Ipſe idem erat cum Mercurio ſive Hermete Ægyptio: qui, ut dictum, variis nominibus, inter quæ & Hercules, appellabatur. Unde &, cujus ſupra mentionem fecimus, ἑρμαϊκὴ ζωή, &, quod infra memorandum eſt, Hermeracla, imago Mercurium ſimul & Herculem referens. Druydas autem Claudius Imp. ſuſtulit. *Suet.* Trajan. cap. 25. & *Aur.* Victor. Hæc, de Barbara quam vocant Græci Philoſophia, paucis dicta ſunto. Nam de Pœnis, Scythis, & aliis populis, quanquam quæ dicamus non deerant, alibi tamen de iis agendi locus dabitur. Nunc ad Græcorum Philoſophiam accedamus.

Cap. XIII.

Judæorum Philoſophia. Moſes. Celeberrimus etiam apud profanos. Muſæus. Magis falsò adſcriptus. Impedita lingua. Chymicus. LXX. *Seniores. Simſon. Joſcheb-Baſchebeth. Achitophel.* Salomo. *Suron. Regina Sebæ. Scripta Salomonis. Samaria celebris Schola. Judæi parum olim exteris noti.*

Sequuntur Judæi, qui ſoli primævam ſolidæ Sapientiæ famam inter ſuos diutiſſimè conſervarunt, & primi habuerunt. De quo antiqui Patres prolixe, imprimis tamen *Euſebius* in doctiſſimo Præparationum Euangel. opere: in ejus libro 11. de morali, rationali, naturali & intellectuali Philoſophia Ebræorum late agit. Cujus initia ab egreſſu ex Ægypto arceſſimus, & ab ipſo Moſe, qui Trojanum bellum nongentos fere annos anteceſſit. *Lactant.* l. 4. c. 5. Circa ejus enim tempora revocati in viam Judæi, qui tam diutina Ægyptiorum converſatione depravati adeo fuerant, ut nihil ab Ægyptiis differre viderentur. *Euſeb.* l. 7. πρ9π. c. 3. & lib. 1. Demonſtr. cap. 6. Cui imprimis non pœnitendam Philo-

Philoſophiæ cognitionem tribuimus ex eo quod à S. Stephano *Actor.* 7. dicitur eruditus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum. De qua cap. 5. 6. 7. & 10. antecedentibus actum eſt. Moſis capaciſſimum ad omnia ingenium fuit. Qui cum à pueritia inter Ægypti ſacerdotes educatus ſit, à filia Regis *Chenephris*, quam *Artapanus* apud *Euſebium* lib. 9. πϱϛπ. cap. 4. *Merin* vocat, hauſit ab iis omnem eorum ſapientiam, etiam abſtruſiſſima quæque myſteria. Quæ cauſa eſt cur à Græcis inter Magos referatur. *Plinius* lib. 30. cap. 1. *Eſt & alia Magices factio à Moſe & Iamne & Iotape Iudæis pendens.* Quædam exemplaria habent: *à Moſe Iochabela & Iamne.* Ubi Jochabela expreſſum eſt ex Jochebed, quæ fuit mater Moſis, vel potius à *Cabbala*, quam Judæi ab ipſo Moſe per manus traditam volebant. De Janne & Jambre res etiam ex Paulo nota eſt, fuiſſe Magos in Ægypto famoſos, Moſi coætaneos, quorum proculdubio notitiam Plinius ab Ægyptiis hauſit. Quare, quæ Moſes ediderat miracula divinis virtutibus, ea Ægyptii malitioſè Magica arbitrabantur, decepti etiam præſtigiis incantatorum ſuorum. *Apulejus* in Apologia catalogum Magorum texens: *Ego ille ſum Carinondas, vel Damigeron, vel is Moſes vel Iannes vel Apollonius vel ipſe Dardanus vel quicunque alius poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter Magos celebratur.* Quibus ſubſcribit *Iuſtinus* lib. 36. Hiſt. Et *Strabo* lib. 10. Geogr. ait Moſen fuiſſe talem divinatorem, *quales fuere Tireſias, Amphiaraus, Trophonius, Orpheus, Muſæus, & apud Getas olim Zamolxis Pythagoreus, Decireus qui Byrebiſtæ vaticinatus eſt, & apud Boſphoranos Achaicarus, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Perſas Magi, & qui Necromantici & Lecanomantici & Hydromantici appellantur, apud Aſſyrios Chaldæi, apud Romanos Etruſci Haruſpices.* Fortaſſe in Commentarios Ægyptiorum relatum eſt Moſen tot portentis vexaſſe Ægyptum.

Digitized by Google

Ægyptum. Quem ipſi Magum arbitrabantur, ut ex Sacris patet: vel ipſi Ethnici lectis illis putarunt non niſi inſigni Magici peritia potuiſſe patrari. Moſes autem celeberrimi nominis etiam apud profanos ſcriptores eſt. *Eupolemus* ait ſapientiſſimum hominem Moſen fuiſſe & literas Judæis primò tradidiſſe, & à Judæis Phœnices accepiſſe, Græcos à Phœnicibus. *Artapanus* Moſen Græcis Muſæum appellatū, & ab eo multa Orpheum didiciſſe tradit: propter literarum inventionem, Ægyptiis Mercurium appellatum & pro Deo cultum. Illud vero obſervandum, in Moſe & Aarone perfectiſſimam Philoſophiæ ideam nobis proponi. Nam, Moſen ad ſummum Philoſophiæ perveniſſe & Dei reſponſis ſecreta didiciſſe naturæ, *Philo* affirmat apud *Euſeb.* lib. 8. προγ. cap. 5. Nimirum Moſes vir ſapiens erat, contemplationis potius quam πράξεως ſtudioſus: hinc & in Eremo XL. annos philoſophatum eſſe in Chronico *Euſebius* ſcribit. Unde cap. 4. *Exod.* verſ. 10. ingenuè fatetur ſe non eſſe איש דברים quod Junius vertit: *non ſum facundus.* Munſterus: *non ſum vir ſermonum.* Judæi annotarunt eum blæſum ac balbum fuiſſe. Cujus rei hanc cauſam proferunt. Rex Ægypti Moſen ob calcatum Diadema necare volebat. Filia Regis, cui puer in deliciis erat, ſimplicitate ejus ad defenſionem utebatur. Quam exploraturus rex, jubet puero ſimul ferrum candens & aureum pomum proponi. Puerum accepto ferro linguam aduſſiſſe & ita blæſum factum eſſe. Sunt λῆροι καὶ φλυαρίαι. Sed movere cui ſcrupulum poſſit, quod ſi Moſes minus facundus fuerit, quomodo *Act.* 7. verſ. 22. Stephanus de eo dixerit? ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις. Quod tamen facile conciliatur. δυνατὸς enim ἐν λόγοις erat, quia ipſe Aarone utebatur veluti Oratore ſuo, qui ex præſcripto ipſius omnia expediebat. Aharon vero erat & ipſe optimis artibus innutritus, ſed infra Moſen: prævalebat autem δυνάμει ἑρμηνευτικῇ: cujus ab ipſo ore ampliſſimum teſti-

teſtimonium ſupra omnes Tullios nactus eſt cap. 4. *Exod.* verſ. 14. 15. 16. Neuter ſine altero quid efficiebat: conjunguntur ergo à Deo ut mutuas operas præſtent; de quo Jehova, cap. 4. verſ. 16. ad Moſen: *alloquetur ipſe* (Aaron) *pro te populum, fietque ut ipſe ſit tibi vice oris, tu vero ſis ei vice Dei.* ubi פה capitur pro מליץ interprete, quem Græci ἑρμηνῆ vocant: אלהים autem notat שר, ſive, quod propius ad rem accedit, רב: uno verbo, פה notat Oratorem: אלהים ſapientem ſive Philoſophum. Probant autem *Origenes* & *Auguſt.* lib. 1. quæſt. in Geneſin, Moſen, cum edoctus fuerit in omni ſapientia Ægyptiorum, Geometriæ expertem non fuiſſe. Nonnulli etiam Chymicum fuiſſe volunt, quæ ars, quia antiquiſſima in Ægypto fuit, & ab ipſo Chamo, qui Ægyptum condidit, orta, procul dubio inter ſecretiores habebatur. Nam alias *quomodo*, inquiunt, *potuiſſet vitulum aureum in pulverem redigere, quod abſque Chymicis, iiſque exquiſitiſſimis artibus fieri non poteſt?* Niſi tamen cum quibuſdam ſtatuere velimus, vitulum ligneum fuiſſe, ſed totum deauratum. De quo adeas commenta Ebræorum & *Ioſ.* Seld. Synt. de Diis Syris. Cumque Moſes tot cum Deo ipſo colloquia habuerit, tot leges condiderit, rerum ipſam naturam primigeniam deſcripſerit, dubium non eſt quin profundiſſima ſapientia præditus fuerit. Qua etiam apud gentiles vehementer inclaruit. Qui, ut de aliis antiquis Patribus pauca, ita de Moſe plurima cognoverunt. Poſt ejus egreſſum floruerunt, præter celeberrimos ſapientia manuque duces, etiam LXX. ſeniores, quos poſterior ætas *Sanhedrin* dixit. Quibus per occultas quaſdam & tacitas traditiones innumerabiles Sapientiæ theſauros relictos eſſe ſcribunt Rabbini. Quos, uti erant proximi à Moſe, ita ex ejus converſatione plura hauſiſſe, quæ in vulgus haut ita emanarint, facile crediderim. Si quis tamen ea fuiſſe putat aut ſuperſtitioſa aut Magica, multum meo judicio errat. Secuti ſunt duces & judices popu-

li, Joſua & alii. Quos inter Moſaicæ Philoſophiæ hæreditas magnam partem permanſit. Exercebantur ſubinde ſolutione difficilium problematum, qualia *Simſon* in nuptiis ſuis propoſuit. Vocatur חידה, quod vel ænigma, vel, ut *Munſterus* ibidem fecit, *problema* vertere potes. *Iud.* 14. Inde ſucceſſit *Eli*, ex cujus ſchola profectus eſt fatalis Reipublicæ & Sapientiæ inſtaurator *Samuel.* Qui priſtinam Sapientiæ famam ſuis reſtituit. Erectæ etiam tunc Prophetarum Scholæ, in quas Judæi liberos ſuos inſtitutionis cauſa mittebant, qui mos inde diu duravit. Præerat iis Prophetarum aliquis ſapientia & pietate conſpicuus. Eo nomine Ramatha in Gilead imprimis celebratur. Ubi fuiſſe ביתאלפנא ſive Academiam *Chaldæus* innuit. Inde, eminentiſſima ingenia *David* & *Salomon* orbi data ſunt; de quibus tacere ſatius eſſet quam pauca dicere. Uterque divinæ & humanæ ſapientiæ egregius myſta: uterque Moſaicæ ſapientiæ doctor eximius fuit. Circa cujus tempora Scriptura etiam aliorum meminit ſapientiæ nomine celebratiſſimorum. Qualis erat *Abigail* ſequioris ſexus, quæ אשה טובת שכל 1.*Sam.*25. hoc eſt, ut Ebræi explicant, חכימת מדע fuiſſe dicitur. Non eſt ergo quod nobis Pythagoricas objiciant. Dum 2. *Sam.* 3. Heroës Davidis recenſentur, mentio fit cujuſdam, qui primus omnium ponitur, יושב בשבת תחכמני, qui quis fuerit nondum ſatis deliberarunt Interpretes. Chaldæus verba prout jacent exponenda cenſuit. Quem ſecutus *Munſterus* ita vertit: *ſedens in ſolio ſapientiæ.* Junius autem putat iis nomen Herois imponi. Vertit igitur: *Ioſcheb Baſchebeth Tach-Kemonita.* Plerique Ebræi ipſum Davidem fuiſſe putant: ſed rationem nullam afferre poſſunt, cur is, cujus nomen ſemper exertim ponitur, nunc obſcuriſſimo nomine proponatur. Ergo alius quidam fuerit neceſſe eſt ſapientiâ celebratus. 1.*Chr.* 27:32. mentio fit Jehielis filii Hachmoni, qui ibidem dicitur fuiſſe cum filiis Regis (erudiens eos) ut *Munſterus* in-

verſio-

verſione ſua recte ſupplet. Ergo fuit præceptor filiorum Davidis,&,ut apparet,filius illius Joſcheb Baſchebeth.Pene oblitus fueram cautiſſimi & ingenioſiſſimi Ahithophelis:cujus conſilia Davidis ævo conſulentibus erant דבר אלהים oraculum Dei: non alia de cauſſa quam quod ſagaciſſime in futurum conſuleret: quod ſine maximarum rerum cognitione & experientia fieri non poterat. Superavit omnium mortalium ingenia Salomon. In quo Deus, quid in maximo Rege ſumma ſapientia poſſet,oſtendit.De cujus capaciſſima ſapientia ita Scriptura S. 1. *Reg.* 4: 29. 30. 31. 32. 33. 34. & cap. 10. *Indidit Deus ſapientiam Salomoni, & intelligentiæ multum admodum: & amplitudinem animi, ſecundum amplitudinem arenæ quæ eſt in littore maris. Erat etiam ſapientia Salomonis major, quam ſapientia omnium orientalium, & quam omnis ſapientia Ægyptiorum. Sapientior etiam fuit omnibus hominibus, Ethane Ezrachæo, & Hemane, & Calcole, & Dardaho filiis Macholis: pervaſitque nomen ejus in omnes gentes circumquaque. Et eloquutus eſt ter mille ſententias; fueruntque cantica ejus quinque ſupra mille. Eloquutus etiam eſt de plantis, à cedro quæ eſt in Libano uſque ad hyſſopum quæ prodit è pariete: denique eloquutus eſt de jumentis, & de volucribus, & de reptilibus, & de piſcibus. Quam ob rem homines veniebant ex omnibus populis ad audiendam ſapientiam Salomonis; ab omnibus Regibus terræ, qui audierant de ſapientia ejus.* Et in libro *Sapientiæ* cap 7: 17. 18. 19. 20. 21. egregie exponitur amplitudo ſapientiæ Salomonis. Erat enim contemplator maximus præſertim rerum Phyſicarum & admirabilium, diſputator acutiſſimarum Quæſtionum cum Tyriis & Regina Æthiopiæ. Nam cum magna ipſi cum Tyriorum Rege, quem *Euſebius* lib. 9. προπ. cap. 4. ex Eupolemo *Suron* Regem Tyri, Sydonis & Phœniciæ vocat, neceſſitudo intercederet, factum eſt ut audita alter alterius Sapientia (nam & Tyrii ea ætate celebres

 erant,

erant, apud quos Phœnicum Theologia reſidebat) ſæpe de rebus ſubtiliſſimis conferrent. *Ioſephus* meminit Tyriorum Regem & Salomonem maximis muneribus Sapientiæ exercitia provocaſſe. Ea occaſione Salomonem aliquot urbes è regno Tyrio ſuis adjunxiſſe. Vide *Ioſephum.* Tandem etiam Regina Schebæ, maximo itinere ſuſcepto, audivit Salomonem. Cujus hiſtoria, memorabilis lectu, 1. *Reg.* 10. extat. *Cedrenus* in hiſtoria Eccl. & *Sabellicus* lib. 1. cap. 5. eam *Nicannam*, Æthiopiæ autem Annales *Makedam* vocant. Sabæam verò ſive Sabam ejus metropolim in extremo Arabiæ felicis littore, non procul ab ipſis ſinus Arabici faucibus, ſitam eſſe tradunt. In quo regno maxima quoque Sapientiæ incrementa fuiſſe inde conſtat, quod Regina ideo adſcenderit Ieroſolymam, ut cum Salomone de quæſtionibus abſtruſiſſimis diſputaret. Eas, ut dictum, Scriptura חידות appellat. Nihil invenit quod non obvium Salomoni & perſpectum eſſet. Quæ res tandem illas voces immortalitate digniſſimas expreſſit, quas nunquam ſine gaudio, ſine magna exultatione, legere poſſum. Referunt quidam, Æthiopes ſive Sabæos habere libros Moſis ab uſque Salomonis ætate allatos à Regina Schebæ. Sane *Ioſephus* meminit, eam aſſentiente Salomone duodecim millium Judæorum coloniam in ſua regna abduxiſſe. Quod admittere videntur verba illa 1. *Reg.* 10:13. *Rex vero Schelomo dedit reginæ Schebæ pro toto deſiderio ejus quicquid petivit.* Quid autem magis eam petiiſſe putemus, quam, cujus cauſa tantum iter ſuſceperat, partem Sapientiæ Salomonis? cujus etiam ſapientiæ dono aucta cum in regnum rediiſſet, dubio procul ad poſteros omni ſtudio eam propagari curavit. Scripta autem Salomonis Philoſophica Judæi dicunt perdita eſſe in captivitatibus. Sunt qui dicant ex iis utiliora juſſu Spiritus S. excerpta eſſe, quæ extent ſub titulo משלי שלמה, quæ continent Ethicam Salomonis, ut oſtendit *Euſebius*

lib. 11.

lib. 11. de præpar. Euang. c. 2. Verum autem eſt quod *Vellejus* lib. 1. Hiſt. ſcripſit: *Difficilis in perfecto mora eſt, naturaliterque quod procedere non procedit.* Nam & vivo Salomone & ſublato, immane dictu, quantum ſapientia illa decoxerit. Ipſe Salomon, nimia ſapientia inflatus, deflexit ad argutias & ſophiſmata: & dum præſentem ſapientiam faſtidit, omni fere excidit. De quo ipſus, ad ſaniorem mentem reverſus, acerbas querelas edidit in Eccleſiaſte ſuo. Eo verò ſublato major labes venit. Nam *Rehabeam* initio ſtatim Imperii ſtoliditatis ſuæ triſte experimentum dedit. Cæteri omnes fere deteriores erant. Samaria tamen, antiqua literarum ſedes, utcunque famam ſapientiæ ſuſtinebat, ubi etiam Scholæ celeberrimæ *Eliſæi* & *Eliæ* florebant aliorumque prophetarum. Erant alibi etiam Levitarum contubernia optimis artibus ſacrata. Ipſum etiam *Vrim* & *Thummim* ſapientiæ ſtudium adumbraſſe videtur. Denotabat enim, ut *Philo* interpretatur, ζαφηνείαν καὶ ἀλήθειαν. Diutius tamen ignota fere & obſcura apud Ethnicos eorum ſapientia fuit: cujus cauſam præcipuam in eo ſitam putarim, quod & ipſis peregrinationibus interdictũ, ut alibi commemorabimus. Quo *Trogus* lib. 36. reſpicit: *Caverunt Iudæi ne cum peregrinis conviverent.* Quod tamen ipſi Iudæi commode explicarunt, ut apud *Euſebium* Joſephus: *Quicunque noſtris legibus vivere deſiderant, omnes humaniter Deus ſuſcipiendos juſſit: cum non genere ſed diſciplina vivendi conjunctionem hominum diſtinguere videatur. Si qui autem non integri ſed ſimulatione accedant, hos repellendos imperat, ne conſervatione eorum corrumpamur. Euſeb.* lib. 8. πϱοπ. cap. 2. Pauci peregrini, præſertim antiquioribus temporibus, ad eos commeabant: non tamen prorſus nulli: neque etiam omnis eorum Sapientia priſcis ignota. Unde *Eleazarus* Pontifex ad Ptol. 11. Philadelphum apud *Euſeb.* lib. 8. cap. 3. *A nonnullis Ægyptiorum ſacerdotibus, qui diſciplinam noſtram altius conſiderarunt,*

runt, DEI homines gens noſtra eſt appellata. & lib. 9. προπ. cap. 1. *Illuſtriſſimi Græcorum, non imperiti omninò Iudaicæ Philoſophiæ, alii vitam eorum ſcriptis ſuis approbaſſe videntur, alii Theologiam quantum potuere ſecuti ſunt.* Illud notandum eſt, Judæos non adeo ignotos fuiſſe Græcis. Nam & Xerxi & Alexandro militarunt: ut *Hecatæus* & *Chorylus* apud *Euſeb.* lib. 9. προπ. cap. 2. & 3. teſtantur.

Digitized by Google

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

Liber Tertius.

Cap. I.

Philoſophia Græca. Græci primos ſe Philoſophos jactant. Antiquitatem affectant. Attici unde dicti? Philoſophia ex Oriente in Græciam pervenit. Hinc profectiones in Ægyptum. Ex Moſe multa hauſerunt.

PLura quidem dici poterant de origine & incremento Philoſophiæ Barbaricæ: ſed viſum eſt prævertere ad cultam illam Græciam: quæ una, poſtquam ſemel exorta eſt & fulgorem ſuæ famæ ſparſit, cæteris omnibus orbis partibus palmam præripuit, adeo ut ſola Græcia jure meritoque mater Philoſophiæ dici poſſit. Quamvis enim in Oriente & celeberrimi viri floruerint & Philoſophia ipſa in ſummo honore ſemper habita fuerit: tamen intra illos terminos hæſit, quod eſſet ſpinoſior & obſcurior, multiſque myſteriis, ut ipſi vocabant, intricata. Contra vero Græcia, ut ut primitus non multum diverſa methodo uteretur, paulatim tamen quaſi manſuetior facta, cultores ſui undique invitavit & Sapien-

tiam.

Digitized by Google

tiam ita propagavit, ut ea hodieque, prout apud Græcos erat, nobis in uſu ſit, & duratura ad mundi finem videatur. Magnifice de Græcis Philo apud *Euſebium* 8. *προπ.* cap. 5. *Græcia ſola homines generat verè cæleſtes atque divinos, natura ad omnem ſcientiam natos: cujus cauſa eſt ſubtilitas aëris.* Priuſquam autem ad rem ipſam deveniatur, larva Græcis detrahenda eſt, qua tecti non ſuis tantum ſed & toti orbi ferme perſuaſerunt, ſe primos Philoſophiæ authores & propagatores fuiſſe. Sane ita Romanis impoſuerunt, qui Sapientiam in Græcia natam & educatam omnes arbitrabantur. *Lactantius* lib. 3: 16. ex Ciceronis Hortenſio: *Quando*, inquit, *Philoſophi eſſe cœperunt? Thales opinor primus: recens hæc quidem ætas. Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iſte inveſtigandæ veritatis?* Lucretius:

Denique natura hæc rerum ratioque reperta eſt
Nuper & hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum in patrias qui poſſim vertere voces.

Seneca: *Nondum mille anni ex quo initia Sapientiæ nota ſunt.* Nimirum videbant glorioſi homines quantum ad commendationem gentis faceret Sapientiæ inventio: nihilque iniquius ferebant quam ſi Barbari, quos vocabant, tam præclaræ rei authores conſtituerentur. Unde *Diogenes Laërtius* ex profeſſo vitas Philoſophorum ſcripturus illud primo ſibi negotii dari putavit, ut quocunque tandem modo Philoſophiam non à barbaris ſed Græcis originem ſumſiſſe evinceret. Qua de controverſia magnæ poſtea contentiones primis Chriſtianis cum gentilibus Græcis extiterunt, ut ex Euſebio, Juſtino, Tertulliano, & aliis abunde liquet. Fraus autem omnis in duobus potiſſimum conſiſtit. Nam & genus humanum à ſe ortum, & antiquiſſimos in Græcia ſcriptores fuiſſe contendebant. Utrumque *Laërtius* clare aſſerit. Et nota Athenienſium gloriatio contra Scythas apud *Juſtinum* lib. 2. & 3. ut alia nunc non producam vani-

tatis

tatis manifeſtæ argumenta. Sane ipſum hoc Atticorum nomen confirmat, quod ab Hebræo עתיקים trahunt; ut obſervavit *D. Heinſius Exercit.* ad Nonnum cap. I. Quæ cum manifeſte falſa ſint, non eſt opus diutius iis immorari. Sed illud, quod de ſcriptorum antiquitate dicunt, majoris momenti cenſetur. Nam cum barbari ante nihil aut perparum literis mandarent: Græci vero jam inde ab antiquiſſimis temporibus omnia voluminibus ſuis implerent: factum inde ut errori non parva acceſſio fieret. Qua in re tamen ſtupor Græcorum incuſandus eſt. Qui utut peregrinarentur diſcendi cauſſa, alienæ tamen eruditionis contemtores erant. Quis enim unquam legit eos peregrinas linguas diſcendi ſtudio flagraſſe? certe ex iis ipſis, qui Orientem ſalutarunt, eos nihil in iis linguis tenuiſſe conſtat. Unde factum ut nec in ſcripta peregrina, quæ non intelligebant, inquirerent: ſed, ſuperficiaria traditione contenti, domum rediſſent, ſibi, ut videri volebant, maximæ & reconditæ eruditionis conſcii. De quo argumento vel unus *Ioſephus*, libro contra Apionem, ſufficit. Nunc ea argumenta afferemus, quæ Græci nullo modo poterunt inficiari. Tradunt celeberrimi eorum, Philoſophiam à Barbaris ad Græcos fluxiſſe. *Plato* in Epinom. Cratylo, Philebo. *Iuſtinus* & *Manetho* apud Joſephum contra Apionem. Unde toties & tam honorifice Phœnices, Chaldæos, Ægyptios, qui omnes ab Ebræis edocti fuerunt, nominant. Unde & illud antiquiſſimis Philoſophis Græcis ſolemne fuit, in Orientem proficiſci: de quo alibi pluribus dicendum erit. Nam cum Pſammetichus, unus ex duodecim principibus Ægypti, oppreſſis cæteris, regnum ſolus invaſiſſet, illud Græcorum potiſſimum ſocietate firmavit. Unde mutua utriuſque gentis commercia & ſtudia communia. Sane ſacerdotes Ægyptiorum in ſacris libris ſcriptum inveniunt, Orphea, Muſæum, Melampoda, Dædalum, Homerum, Lycurgum, So-

lonem, Platonem, Pythagoram, Eudoxum, Democritum, Enopidem Chium, Ægyptum petiiſſe. *Euſeb.* lib. 10. προπ. cap. 2. & præfat. in lib. 5. *Græci homines mercatorum inſtar diſciplinas extrinſecus conquiſiverunt.* *Thales* ipſe in epiſtola ad Pherecydem apud Clementem teſtatur, ſe Aſtrologiam ab Ægyptiis edoctum eſſe. Quod & *Laërtius* in ejus vita teſtatur. Jam vero plurimi ab ipſo Thalete Philoſophiam Græcam arceſſunt. *Solon* etiam, cum, uti Græculi ſolent, antiquitatem gentis ſuæ apud Ægyptios jactaret, non tantum riſu exceptus fuit, ſed & Græcis ignorantia & pueritia ex vero objecta eſt. *Plut.* in Solone. Moſis quoque mentionem faciunt primi eorum Philoſophi. *Orpheus*:

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξε.

Nam Moſes inde nominatus, quod aqua extractus eſſet (unde nonnulli à מו Ægyptiaco & שא Chaldæo ejus nomen deducunt: cui ſententiæ & *Aben-Eſra* favet) & quaſi inde genitus. *I. Druſ.* cap. 3. in Exodum. *Iuſtinus* quoque Martyr in Parænesi ad Græcos oſtendit, Orpheum, Pythagoram, Platonem, Homerum, multa à Moſe mutuatos eſſe: qui operosè novitatem Græcæ Philoſophiæ, ex Polemone, Apione, Ptolemæo Mendeſio, Philochare, Hellanico & aliis probat. De quo argumento, præter Euſebium, prolixe agunt priſci Patres, *Cl. Alex.* paſſim, imprimis lib. 1. & 5. Strom. *Theophilus* lib. ad Antolycum, & alii. Non ergo Philoſophia in Græcia primum nata, ſed educata fuit, ut maxima ejus incrementa non aliis, quam Græcis, jure meritoque debeant adſcribi. Illud ſuperioribus addendum eſt, ipſos Græciæ antiquiſſimos ſapientes non aliunde quam ex Oriente in Græciam veniſſe, eoque ſapientiam intuliſſe. *Minucius* in Octavio: *Philoſophi de divinis prædictionibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati ſunt.* Et in Apol. *Tertullianus*: *Quis Sophiſtarum qui non omnium de Prophetarum fonte potarit?* Plura in hanc rem vide apud

Tatian.

Digitized by Google

Tatian. πρὸς Ἑλλην. *Euſeb.* lib. 10. cap. 1. *Clem.* 1. Strom. alioſque.

CAP. II.

Noachi Poſteri in Græciam qui venerint? Iapetionidæ & Semitæ. Iavan Græcorum conditor. Kittim Macedonum & Latinorum. Parnaſſus unde dictus? Prometheus. Muſa à מוסר. Kalmeuſer. *Campi Elyſii ab Eliza.*

QUæ quamvis in confeſſo ſint, pauci tamen norunt à quo potiſſimum Græcæ Philoſophiæ initium ſumendum ſit. Plerique à Cadmo, alii ab Cecrope, nonnulli aliunde acceſſunt. Quibus omnibus relictis, altiora initia rimanda ſunt. Ante diluvium vix putarim homines in Græcia fuiſſe: nondum enim Orientem impleverant. Ergo poſt diluvium, procul dubio, eo demum pervenerunt: quod ut ſtatuamus, Scriptura ſuadet: quæ à Noachidis colonias in univerſum orbem ductas docet c. 10. Originum. Sed hic rurſum tenebræ: factum ne hoc ſit ante confuſionem Linguarum, an poſt? Nam & ante confuſionem illam in immenſam multitudinem jam excreverat genus humanum, & à diluvio ad confuſionem, Ebræi in *Seder olam* annos CCCXI numerant. Quo minus autem in hac ſententia acquieſcamus faciunt illa verba c. 10. Originum, ubi narratur, demum poſt confuſionem, Dominum in ſuperficiem univerſæ terræ diſperſiſſe homines. Ergo poſt illam Linguarum diviſionem, ut in alias orbis regiones, ita in Græciam quoque Noachidæ colonias duxerunt: eoque dubio procul primores ex Semitis & Japetionidis venerunt. Etſi enim communis ſententia ſit; Japetionidas tantum in Græciam veniſſe, tamen eſt non contemnenda ratio cur etiam Semitarum quoſdam iis ſe adjunxiſſe ſtatuamus. Nam ſuperſunt in Græcia nomina quædam quæ non aliunde quam ex Ebræo ducta ſunt. Si dicas manſiſſe reliquias aliquas ſermonis Ebræi in diſperſione linguarum: jam illud tibi probandum erit: & Moſes

explicandus, qui dicit, quod adeo confuderit Dominus labia eorum אשר לא ישמעו איש שפת רעהו. Neque enim putandum eſt linguam primigeniam tantum in varias & diſcrepantes dialectos diviſam: ſed novarum prorſus linguarum notitias Deus in iis creavit: ſubito obliterata communi & recepta lingua; de quo alibi. Cæterum & *Plato* hoc agnovit, qui ita in Cratylo citante *Euſebio* lib. 11. c. 3. ſcribit: *Intelligo plurima Græcos à Barbaris ſumſiſſe: quæ ſi quis, quaſi Græca linguæ eſſent deducta, interpretari velit, nunquam rebus ſuis poterit adaptare.* Ergo illa, quæ in Græcia ſuperſunt nomina Ebræa, non à Japetionidis ſed à Semitis ducta ſunt: quorum familiæ non omnes linguam Ebræam amiſerunt. Quod ſi neque hoc placeat: illud ſtatuendum erit, non à Japetionidis, aut iis qui primitus in Græciam venerunt, illas Ebræas denominationes rerum & perſonarum ortas eſſe, verùm ſubſecutis temporibus, cum ſemper aliqui ex Phœnicia & Chaldæa eo deferrentur, demum impoſitas. Quæ ſententia & mihi probabilis videtur. Et extat expreſſa eorum mentio qui primitus Græciam incoluere. Nam (uti bene monet *Phil.* Mel. in cap. 11. Danielis) ſolent Prophetæ diſcernere regiones & gentes appellationibus ſtirpium ſeu primorum parentum. Ut, cum Græcos intelligunt ſeu gentem Jonicam, nominatur *Ion* ſeu *Iavan* pater gentis Jonicæ. Habuit autem Jon ſeu Javan filios à quibus Græcæ gentes ortæ & nominatæ ſunt. *Eliſa*, à quo apparet nominatos eſſe Æolos. *Dodanim*, à quo ſunt Dodonæi, veteres in Europa Pelaſgi. *Cithim*, à quo gens fuit Dodoneis. Nam Eſaias addit Alexandro exercitum gentium Dodanim & Cithim, id eſt, Græcum & Macedonicum. Ac nomen vetus Μακέτης, quo antiquitas uſa eſt pro vocabulo Macedo, haud dubie à Cithim factum eſt, ut ſit Μακέτης ortus ex Cithim. Et Citeos fuiſſe in locis vicinis Macedoniæ ex Homero manifeſtum eſt, qui ait Citeos paruiſſe

fuiſſe Telepho Regi Myſorum. Fuit autem Myſia in Europa, quæ hodie pars eſt Serviæ, vicina Macedoniæ. Verſus Hom. ὀδυσσ. 11. ſunt. Quare liber *Maccab.* vocat Alexandrum Regem Cithim. A quibus cum orti ſint Latini (nam *Suidas* ſcribit Latinum fuiſſe Telephi filium & duxiſſe Ceteos in Italiam ac Latio nomen dediſſe,) vox Cithim complectitur & Macedonas & Italos. Quare & in *Numeris* c. 24. vaticinatur Balaam, venturas eſſe claſſes ex Cithim quæ Aſſyrios & Ebræos deleturæ ſint. Hic regna in Europa intelligit & complectitur Alexandrum & Romanos. Nam Alexander non delevit Ebræos. Hæc *Philippus* in Dan. Ut non ſatisfaciat *Iuſtinus* qui Emathię nomen antiquius putat fuiſſe quàm Macedonum l. 7. *Macedonia,* inquit, *ante nomine Emathionis regis, cujus prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata eſt.* Superſunt autem illuſtria monimenta eorum adventus. Nam & Parnaſſi & Muſarum denominatio inde orta eſt. Parnaſſi enim etymon fruſtra quærunt Græci in ſua Lingua, cum docti jam oſtenderint dictum primitus *Har-Naſſe*; quod montem fatidicum ſignificat. Ibi enim quidam Semitarum vel Japetionidarum conſederunt & prædixerunt, ſi homines in impietate pergerent, fore ut rurſum aquis abſorberentur: vel, ut mihi videtur, ibi primo religioſæ ſuperſtitionis fundamenta poſuerunt oraculis editis. Utut autem ſe res habeat; de Japeto dubium non eſt, quin vel ipſe vel ejus poſteri in Græciam venerint: utpote à quo ipſum genus humanum deducunt: quod Flaccus, *Audax Iapeti genus*, vocat. Unde illæ fabulæ de Japeto ejuſque filio Prometheo, cui inventionem artium & Philoſophiæ: *Suidas* manifeſte adſcribit: Προμηθεὺς εὗρε πρῶτος τὴν γραμματικὴν φιλοσοφίαν. Ubi monet *Voſſius* l. 1. Gramm. c. 3. legendum eſſe, γραμματικὴν καὶ φιλοσοφίαν. Et apud *Euſeb.* Africanus 4. προπ. cap. 3. *Prometheum finxiſſe homines fabulantur atque formaſſe, quoniam Sa-*

 pientia

pientia eloquentiaque ſua à beſtiarum vita in civilem eos transformavit. Etiam Plato in Philebo maximam inventorum & cœlitus delatorum laudem ei tribuit. Alii quoque eum à ſapientia aſtuta celebrant: quo ſenſu Heſiodo ἀγκυλομήτης dicitur. *Catull.* ep. 65. *ſolerti corde Prometheus*. Qui ſi Japeti filius fuit, uti fuiſſe ipſi Græci fatentur, jam non vixit, puero Moſe, ut *Euſebius* vult: neque Moſe jam adulto, ut *Tatianus* & *Clemens*, ſed diu ante. Igitur, cum prima Sapientiæ ſtudia ad montem Parnaſſum excolerentur, factum ut illi primi Magiſtri Muſarum nomen reportarent. Cujus vocis originem Græci convenientem potius quam veram tradiderunt à μυεῖν, quod honeſta bonaque doctrina inſtituere notat. *Euſeb.* 2. προπ. cap. 2. & *Heinſ.* Exercit. 1. in Nonnum. Dicti autem מוסר, quod reconditæ diſciplinæ Magiſtri eſſent: unde poſtea Græci ſuum Muſeum fecerunt & neſcio unde duxerunt. Apud Ebræos verò ea vox inſignem ſapientiam & doctrinam notat, præcipue tamen illam quæ circa τὰ ἤθη verſatur: quam etiam Judæi *Muſar* peculiariter nuncupaſſe videntur: hodieque libellum habent qui ab ipſis Sopher Muſar dicitur. Neque fruſtra eſt, quod Salomo ſuas gnomas ſe conſcripſiſſe ait לדעת חכמה ומוסר: ubi Kabvenaki per חכמה intelligit עיון ſpeculativam cognitionem: ſicut מוסר accipit pro caſtigatione מדות המגונות turpium morum, *Munſtero* teſte in illum locum. Idem in *Prov.* 10. verſ. 1. Ethicas gnomas vocat משלי מוסריים ſententias diſciplinales. Neque quenquam turbare debet quod illos Magiſtros fuiſſe Muſas ſtatuamus: diſparitas vero in ſexu ſit. Nam non attendebant antiqui in ἀποθεώσει ſexum, ſed eo indifferenter utebantur. Dicebant *Lunus* & *Luna*: & quid ſi eorum exemplo *Muſus* & *Muſa* dici poſſe ſtatuamus? De quo tamen nunc diſſerendi locus non eſt. Illud ad rem facit quod Perſeus apud *Ciceron.* de Natura Deorum eos dicit habitos Deos, à quibus magna

utilitas

Digitized by Google

utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſaſque res utiles Deorum vocabulis nuncupatas: nam eos *endo cælo merita locaverunt*, ut *Cic.* l. 2. de Legg. loquitur. Et inde etiam ratio reddi poteſt cur ſingulis artibus ſingulæ Muſæ additæ ſint. De quarum ἀποθεώσει etiam illud teſtatur: quod unicuique earum ſedem ſuam in cœlo aſſignarint; de quo videndus eſt *Macrob.* l. 2. in Somn. Scipionis, c. 3. & Commentat. ad illud *Horat.* lib. 3. Od. 4. ad Calliopen: *Deſcende cælo.* De quarum inventis inter Epigramm. Virgilii hæc leguntur: *Clio Hiſtorias invenit, Melpomene Tragœdias, Thalia Comœdias, Euterpe tibias, Terpſichore Pſalterium, Erato Geometriam, Calliope literas, Urania Aſtrologiam, Polyhymnia Rhetoricam.* Et in *Ciri* de Polyhymnia:

Nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum.

Ex quo liquet ejus inventum fuiſſe Dialecticam & Rhetoricam, quæ ſunt ejuſdem generis artes. Harum omnium compages erat illa tantopere laudata ἐγκυκλοπαιδεία, quam qui complexus erat, dicebatur in Oriente ſuaviſſima phraſi כל מכסר: qualis apud antiquos habebatur præſes Muſarum Apollo: de quo in Epigr. *Virgil.* de Muſarum inventis.

Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas,
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Hodie vero, ut optima quæque, ita & hæc vox in deſuetudinem adeo abiit, ut homines umbraticæ & miſeræ induſtriæ, ſed infelicis ſucceſſus, dicantur vulgo Kalmeuſer. Ipſas vero Muſas Oſiridis ſive Bacchi comites faciebant priſci Ægyptii & Græci, teſte *Euſeb.* 11. πραπ. cap. 1, & 2. Inter primos illos, qui poſt diluvium in Græciam venerunt, fuiſſe etiam Elizam, à quo Αἰολεῖς ſive Ἕλληνες, tradunt eruditi. Et *Beroaldus* conjicit Græcos ab hoc Eliza accepiſſe campos Elyſios. Quæ ſententia mihi plane probabilis videtur. Nam hoc unicè priſci Magiſtri agebant ut perſuaderent ſuis eſſe

eſſe poſt hanc vitam piis manibus paratas ſedes: ubi præmia bene actæ vitæ acciperent. Quis dubitet quin idem tentarit & fecerit Eliza? cui non poterant ignota eſſe quæ de Paradiſo ſæpe multumque à Patribus acceperat. Talem igitur locum ſuis deſcripſit, eoque omnes pios abituros tradidit. Quin cum poſteri neque ubi eſſet, neque quod ejus nomen, ſcirent, facili negotio, Principis ſui nomine, à quo illa omnia acceperant, eum inſigniverunt. Unde natum illud Poëtis tantopere celebratum *πεδίον ἠλίσαιον*. Nam alia ejus ne probabilis quidem origo afferri hactenus potuit; & viri magni ſibi in hoc aquam hærere profeſſi ſunt. Illud certum eſt, cum res ab Ebræis petita ſit, non aliunde & ipſam dictionem petendam eſſe. Jam autem ab אל אשל aut ab עדן deducere, nimis dilutum & frigidum eſt.

CAP. III.

Tres Periodi Græcæ Philoſophiæ. Heroica. Ad quam antiqui Legumlatores. Lycurgus. Zaleucus. Theſeus. Solon. Cecrops.

POſſunt autem tres velut Periodi Græcæ Philoſophiæ conſtitui: Heroica, Theologica ſeu Mythica, & Philoſophica: prima initium, altera progreſſum, tertia complementum ejus denotat. Prima erat potentiſſima, altera ſuaviſſima, tertia ſubtiliſſima. Aliter quidem ipſi Græci: qui omnia hæc uno Theologiæ nomine complexi ſunt, quam in Mythicam, Hiſtoricam, Phyſicam, & civilem diviſerunt: uti videre potes apud *Euſeb.* præfat. in 4. *προπ.* Initium Græcæ Philoſophiæ ducimus à priſcis & primis Rerumpublicarum fundatoribus & defenſoribus; qui Heroës dicuntur: quales erant *Lycurgus*, *Zaleucus*, *Charondas*, *Cecrops*, *Kadmus*, *Hercules*, & alii. Nam nihil antiquius iis in tota Græcia inveniri poteſt; de quo vel unus *Plut.* abunde teſtatur: *Ultra Theſeum*, inquit, *nihil videas in hiſtoriis præter inexhauſtas arenas & inacceſſa*

inacceſſa brevia & regiones aut rigentes glacie aut æſtu torridas; quales in extremis chartis Geographi pingunt: id eſt, nil niſi vaniſſimas fabulas aut denſiſſimas ignorantiæ tenebras. *Africanus* apud *Euſebium* lib. 10. προπ. cap. 3. *Vſque ad Olympiades nihil exploratum in hiſtoria Græcorum invenitur, ſed omnia confuſis conſcripta temporibus ſunt. Poſt Olympiades vero quoniam quadriennio diligentiſſime omnia notabantur, nulla penitus confuſio temporum fit.* Et *Iuſtinus* lib. 2. de Cecrope agens: *Quem*, inquit, *ut omnis antiquitas fabuloſa eſt, biformem tradidere.* Initio autem Sapientiæ ſtudium maximam partem tantum inter magnos viros, publica authoritate præditos, verſabatur. Unde τοῖς πολιτευομένοις oppoſiti οἱ ἰδιῶται: quia plerique privati indocti fere ſunt. *Lucianus* dial. de luctu: ὁ πολὺς ὅμιλος, οὓς ἰδιώτας οἱ σοφοὶ καλοῦσι. Neque vero ſine ſingulari ſapientia Reſpublicæ fundari potuerunt: opus enim erat legibus, opus inſtitutione: quibus indomita plebes in officio contineretur. Quæ leges quantum authoritatis apud priſcos Philoſophos habuerint, vel inde patet, quod ſummi Philoſophi earum cognoſcendarum deſiderio flagrabant. *Iuſtinus* lib. 20. de Pythagora: *Inde regreſſus Cretam & Lacedæmona ad cognoſcendas Minöis & Lycurgi inclytas ea tempeſtate leges contenderat.* De Lycurgo ita *Vellejus* lib. 1. Hiſt. *Ea ætate clariſſimus Graji nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis Regii, fuit ſeveriſſimarum juſtiſſimarumque legum autor, & diſciplinæ convenientiſſimæ vir; cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excelſiſſime floruit.* *Cicero* pro Flacco ait, *Lacedæmonios ſolos, toto orbe terrarum, ſeptingentos annos amplius, unis moribus & nunquam mutatis legibus vixiſſe.* Imprimis celebrabatur Locrenſium Legiſlator *Zaleucus*: de quo tamen, an unquam fuerit, invenimus antiquam controverſiam fuiſſe. Nam Timæus, acerbiſſimus in omnes convitiator, præſertim in Ariſtotelem, tandem ab illa maledicentia *Epitimæus* di-

ctus: is, inquam, acriter reprehendit Theophraſtum, quod Locrorum Legiſlatorem Zaleucum fuiſſe ſcripſiſſet: quem nullum omnino fuiſſe contendebat. *Cicero* lib. II. de Legg. *Q. V. Quid quod Zaleucum iſtum ullum fuiſſe negat Timæus? M. At Theophraſtus author, haud deterior mea quidem ſententia, meliorem multi nominant: commemorant vero ipſius cives, noſtri clientes, Locri. Sed ſive fuit, ſive non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum eſt.* Idem lib. 6. ad Atticum: *Quis Zaleucum leges Locris conſcripſiſſe non dixit? Num igitur jacet Theophraſtus, ſi id à Timæo tuo familiari reprehenſum eſt?* Charondas autem Thuriis leges tulit: quarum meminit *Valerius* lib. 6. cap. 5. & *Diodorus* Biblioth. lib. 12. ex quo nonnullas leges exſcripſit Stobæus. Athenas *Theſeus* formavit. *Cic.* lib. 2. de Legg. *Theſeus Atticos demigrare ex agris, & in ἄςυ quod appellatur omnes conferre ſe juſſit.* Quod, uti revera eſt, *μέγα καὶ θαυμαςὸν ἔργον* *Plutarchus* in Theſeo appellat: cumque Thucydides μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατὸν appellat, virum prudentem juxta ac potentem. *Paris* epiſt. ad Helen.

——— *qui noverat omnia Theſeus.*

De quo qui plura deſiderat, adeat *Thucydidem* lib. 2. *Strabonem*, *Plutarchum* in Theſeo. Quod bene cœperat Theſeus; ſuccedentibus annis abſolvit *Solon.* Nam paulatim leges illæ Theſei per Tyrannos abrogatæ, præcipue poſt Codri exceſſum: quas Solon velut jure poſtliminii reſtituit. *Iuſtinus* lib. 2. *Civitati nulla tunc leges erant: quia libido Regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon, vir juſtitia inſignis, qui velut novam civitatem legibus conderet.* Par huic fuit *Lycurgus*, qui Spartam ſapientia ſua ornavit. *Iuſtinus* lib. 3. *Ita duo potentiſſimi Græciæ populi, inſtitutis Solonis & Lycurgi legibus pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant.* Neque prætereundus eſt *Cecrops*, his omnibus, ſi antiquis fides, multo

anti-

antiquior. Quippe ante Deucalionis tempora Atticis imperaſſe ſcribunt. *Iuſtinus* lib. 2. Ægyptium fuiſſe volunt: virum inſignis prudentiæ. Cujus fortaſſe Symbolum quod bifrons fuiſſe ab iiſdem traditur: de quo, cum lib. 2. cap. 1. de Jano ageremus, ex occaſione dictum eſt. *Iuſtinus* lib. 2. *Ante Deucalionis tempora Regem habuere Cecropem: quem, ut omnis antiquitas fabuloſa eſt, biformem tradidere; quia prius marem fœminæ matrimonio junxit.* Sunt adhuc multi quos circa illa tempora floruiſſe veteres tradunt; de quibus tamen pauca aut incerta tradunt. Ex ordine de iis dicemus qui bellum Trojanum anteceſſerunt, Kadmo, Jaſone, Hercule, & aliis.

Cap. IV.

Kadmus Phœnix. Unde dictus? Theba à תבה. *Kadmea. Academia.*

De Kadmo dicturis opera danda eſt ut accuratione utantur: nam & varia & diſcrepantia & ſubobſcura non à veteribus tantum ſed & recentioribus de eo traduntur. Imprimis tamen cavendum ne cum Hercule, Hermete, Theutho, Taauto, Caducilo, & aliis confundatur, quod tamen ſecurius fecerunt priſci & recentiores. Illud ex antiquis conſtat: hominem exterum erroribus actum in Græciam veniſſe. Plerique in eo concordant Phœnicem fuiſſe: unde & nomen ipſius deducunt à קדמון. Quæ familia inter celebriores Phœniciæ fuit, cujus jam cap. 15. *Geneſ.* verſ. 19. mentio fit. Certe Phœnicia olim latius patebat & Cananæam, quæ poſtea Judæa, complectebatur. In qua ſententia, de Cadmi origine & nomine, merito acquieſco, cum probabilior nondum à quoquam tradita ſit. Unde & nonnulli Cadmum eundem fuiſſe volunt cum eo quem Græci Prothea dicunt. Cadmon eſt πρῶτος. Inde πρόσδις. In qua ſententia etiam Magnus *Heinſius* eſt. Neque recte *Fr. Iunius* lib. de Acad. cap. 1. hanc ſententiam rejicit: *Ordine*, inquit,

Digitized by Google

multo minus dictus eſt Cadmus: nam αὐθάδεις Græci, homini extero primas nunquam fuiſſent conceſſuri; & in Illyricum pulſus eſt eorum invidia ut Hiſtorici tradunt. Neque enim Græci ſibi conſtant: ut, ex eorum fabulis rationes extruere, res nihili ſit. Ægyptium Protea, Cadmum Phœnicem fuiſſe, conſtans opinio eſt. Niſi quod unus *Diodorus* eum inter Ægyptios referre videatur. Quod vero nonnulli tradunt, Græcorum Hermetem propterea Kadmum habitum eſſe: quod, cum literarum præſidio inſtructus eſſet, ab omnibus ſit princeps habitus: id nimis quam longe petitum eſt. An enim Græcorum Hermes in Græcia Kadmi nomen obtinuit? an in Oriente Græcas literas docuit? Tradiderit hæc *Tzetzes* aut alii, Mercurium & Cadmum Bœotiis plane eundem fuiſſe: probatu opus eſt. Nam plane eorum deſcriptiones diſcrepant. Ille profugus ex Phœnicia, Thebas ædificavit, inde graviter afflictus, in Illyricum ſeceſſit. Nihil hujus de Mercurio verum. Ergo nihil agunt hujus ſententiæ aſſertores. Si tamen iis demus nomen *Kadmili* ὑποκοριστικῶς Mercurio tributum: nondum evicerunt Mercurium eundem fuiſſe cum Cadmo. Hoc nunc reſtat ut ſtatuamus: Cadmum ex Phœnicia in Græciam veniſſe ibique cum ſuis conſediſſe. De regione expedita res eſt: nam illam fuiſſe Bœotiam conſentiunt. Quanquam, ſi quis Aoniam dictam velit ab ONI aut AONI, vereor ne nimium navi abutatur qua Cadmus noſter vectus eſt. Quippe inde etiam ipſas Thebas denominatas volunt. Cur vero non oſtendunt תבה ſignificare naviculam? Nam ex Scriptura patet longe aliud fuiſſe arcam illam quæ תבה vocatur, utcunque Beroſus apud Joſephum navim appellitet, & author libri Sapientiæ, ſive *Philo*, ſive alius, c. 14. 6. ratem. *Munſt.* annotat. in 7. cap. Geneſ. *Vocat*, inquit, *Scriptura ingens illud ædificium, in quo tot converſatæ ſint animalium ſpecies, arcam & non navim*,

quod

quod caruerit remis, & magis ſiguram habuerit arcæ quam navis. Exod. 2. 3. vocatur vaſculum illud, in quo Moſes expoſitus undis, תבת גמא arca ſcirpea. Certe utrobique non abſque riſu navim exponeres. Et in hac tamen conjectura ſibi vehementer placuerunt Critici ſagaciores, vocum ſimilitudine decepti. Quanquam tota hæc ratio ita obſcura & lubrica ſit, ut nihil certi ſtatui poſſit. Tamen, quia tantum tribuitur conjecturis, & hac ego licentia utar. Dico igitur mihi placere Thebas à טוב dictas eſſe, boni ominis & auſpicii cauſſa: inde היטב יטב מיטבה. Utebantur autem his vocibus *εὐφημίας ἕνεκα.* Ita Moſes *Deut.* 6. 24. ad Iſraëlitas: לטוב לנו *In bonum nobis,* ſive, *ut bene ſit nobis.* Ita enim 2. *Sam.* 3. 13. ſumitur: ubi טוב plane id notat quod Latinis *Bonum factum: Benè eveniat: Quod felix ſit & fauſtum:* Græcis vero *εὖ πεθῶμεν.* Sed & peculiariter hæc vox ad terræ dona & virtutes transfertur. Hinc toties Deus ſuis pollicetur ארץ טובה *Exod.* 3. 8. *Ieſ.* 1. 19. Unde etiam duplex nominis Thebarum ratio extrui poteſt. Vel enim ſic dictę ſunt boni ominis ergo: quod tandem laboribus & erroribus finem impoſituri eſſent: vel quod terra illa præ cæteris fructuoſa & opima eſſet, eoque Kadmo arrideret. Hinc urbem, quam ſtatuebat, *Thoba*, unde Theba & Thebæ factum, felici auſpicio, denominavit. Quo Poëta alludit 3. Met. Fab. 4.

> *Iam ſtabant Thebæ: poteras jam Cadme videri*
> *Exilio felix.*

Ita conſtitutis rebus, arcem *Kadmeam* erexit, & Scholas inſtituit, quas de ſuo nomine *Kadmeas* nominavit. In quibus literæ ac artes publice docerentur. Quarum poſtea tanta exiſtimatio fuit, ut omnes Scholæ, eo nomine inſignitæ, ſuccedentibus temporibus *Academia* dicerentur. De quo, ne actum agamus, vide ſis prolixe *Fr. Iunium* libro de Academia.

Digitized by Google

CAP. V.

Iaſon. Vellus aureum liber Chymicus. Aries Pelopis. Chemiæ antiquitas. Reperta à Chamo. Hercules multi. Aſtrologiæ ſtudioſus Hercules. Oedipus. Sphinx Sophiſta, vel Dæmon.

SUccedit Jaſon, illuſtre Theſſaliæ ſuæ ſidus. Qui aurei velleris deſiderio incenſus, Colchidem non ſine periculo, cum Argonautis, ingreſſus, voti ſui compos, domum rediit. Quo non aliud volebant priſci, quam Sapientiæ ſtudio adeo flagraſſe. Jaſonem, ut ejus diſcendæ cauſſa nullum laborem aut periculum ſubterfugerit. Quidam vellus aureum fuiſſe volunt librum περὶ χρυσοποιΐας ſingulari ſtudio in Colchide aſſervatum. Sane *Suidas* vellus aureum Colchorum librum fuiſſe ſcribit ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν. Quæ ſententia etiam placet *Langio* l. 1. ep. Med. 53. Simile quid de Pelopis aurei velleris ariete legimus apud *Senecam* in Thyeſte:

Eſt Pelopis altis nobile in ſtabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis:
Hujus per omne corpus infuſo coma
Dependet auro, cujus à tergo novi
Aurata reges ſceptra Tantalici gerunt.
Poſſeſſor hujus regnat. hunc tanta domus
Fortuna ſequitur.

Ut non alienum à veritate ſit, his fabulis illam artem, quæ de χρυσοποιΐα agit, veteres denotaſſe. Nam inventum illud inter vetuſtiſſima eſt: ut tradunt *Ioſ.* Scal. ad lib. 4. Manil. *Delrio* lib. 1. diſq. Magic. cap. 5. & alii: ipſumque Chemiæ nomen à Chamo, Noachi filio, fluxiſſe opinor: qui, uti ſupra notatum, ejuſmodi artium ſtudioſus fuit. Nam & ipſe Ægyptum primus tenuit: ubi ars illa antiquiſſimis temporibus inter myſteria ſacra habebatur: & ipſa Ægyptus, in ſacris Oſiridis à Chamo; *Chemia* dicta eſt. Tota autem illa

Jaſonis

Jaſonis navigatio velut vivis coloribus nobis depingit, qua ratione in Sapientiæ ſtudio procedendum ſit. Nam & pericula proponit, ea evitandi modum docet, cum largiſſima præmii pollicitatione. HERCULES autem tantæ exiſtimationis fuit, ut ei omnium gentium mirabilia velut digniſſimo adſcriberentur. Nam Græci omnia ad eum referebant, & quidem, ut *Tacitus* ſcribit, Argivum: Et aliis idem nomen tributum. Autor de origine gentis Romanæ: *Caranus quidam Græcæ originis, ingentis corporis & magnarum virium paſtor, quia erat forma & virtute cæteris antecellens, Hercules appellatur.* Unde tot Hercules orti, Gallicus, Ægyptius, Africanus ſive Libycus, Germanicus, Græcus. Ingenioſe autem *Prodicus* Sophiſta finxit: Herculem, cum adoleſcens eſſet, in bivio conſtitutum, inde à voluptate, hinc à virtute, cui tandem conceſſerit, pellectum eſſe; de quo vide *Xenophontem* l. 2. Memorab. *Cic.* l. 1. de Offic. *Silium* Italicum l. 15. Belli Punici. Poëtæ longius progreſſi maxima quæque virtutis & ſapientiæ opera ei adſcripſerunt, quæ inter duodecim illi labores maxime celebrantur. Notavit autem jam olim ipſe Plato, Hydram, quam debellaſſe Herculem fingunt, nequiſſimum Sophiſtam fuiſſe. Jam quod cœlum fulſiſſe dicitur, Aſtronomiæ ſtudium notat. *Claudianus* lib. 1. de laud. Stilic.

———— Sic Hercule quondam
Suſtentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit ſignifer aſtris,
Perpetuaque ſenex ſubductus mole parumper
Obſtupuit proprii ſpectator ponderis Atlas.

Nam de Atlante res nota eſt, eum ab *Aſtrologiæ* ſtudio Cœligerum dictum eſſe iis quibus omnia licet. Tandem vero degeneravit à priſtina virtute; de quo graphice conqueritur Deianeira in epiſtola ad Herculem, quæ eſt inter Heroidum Ovidii. Sunt & alii quos huic claſſi inſerere poſſu-

Digitized by Google

poſſumus, quos inter *Oedipus* eminet, in quo fuit *Ingenii ſolertis eximium decus.Seneca* in Thebaide. *Plaut.* Pœnul. 1.3. *Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo opus conjectore eſt qui Sphingi interpres fuit.* Dubium enim non eſt quin Sphinx apud Thebanos inſignis Sophiſta fuerit. Hinc Sphinx olim Palladis haſtæ ſubjecta viſebatur: quo innuebant nihil tam abditum eſſe quod ingenii acie non poſſet erui: *Pier.* Valer. lib. 6. & omnes ſtrophas ac argûtias ab una Pallade nullo negotio diſſolvi poſſe. Nam uti recte *Thebanus* Cebes in tabula ait: ἡ ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις Σφίγξ ἐστί. De qua Sphinge agunt *Strabo* lib. 9. *Diod.* Sicul. lib. 4. *Apollodorus* lib. 3. Bibliothecæ, *Hyginus* fab. c. 151. *Videtur*, inquit Bermannus in originibus, *fuiſſe Damon, qui formam ſimiarum aſſumſit, quæ ibidem Sphinges vocantur apud Solinum cap.* 30. Sed hæc præter neceſſitatem dicuntur.

CAP. VI.

Philoſophi circa Trojanum bellum. Neſtor. Vlyſſes. Phœnix. Æneas. Neoptolemus.

NOn minor Sapientum copia circa Belli Trojani tempora fuit. Vivebant enim eodem tempore in iiſdem caſtris *Agamemnon*, *Menelaus*, *Neſtor*, *Palamedes*, *Vlyſſes*, *Æneas*, *Priamus*, & alii Sapientiæ nomine celebratiſſimi viri. Imprimis tamen inter Græcos longe præ cæteris *Neſtor* & *Vlyſſes* eminebant: quos *Sapientiæ Grajæ ſumma columina* Madaurenſis lib. de Deo Socratis vocat. Et Ulyſſes quidem eo uſque eminebat, ut ſingulari volumine virtutes ejus deſcripſerit maximus Poëta:

— qui, quid virtus & quid ſapientia poſſit,
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem,
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor,
Dum ſibi dum ſociis reditus parat, aſpera multa

Pertu-

Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis,
Sirenum voces & Circes pocula noſti,
Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet
Sub Domina meretrice fuiſſet turpis & excors,
Vixiſſet canis immundus vel amica luto ſus.

Horat. 1. epiſt. 2. & *Apulejus* lib. 9. Mileſ. *Nec immerito priſcæ Poëticæ divinus author apud Grajos ſummæ prudentiæ virum demonſtrare cupiens, multarum civitatum obitu & variorum populorum cognitu, ſummas adeptum virtutes cecinit.* Quantus orator fuerit, *Antenor* teſtatur Ιλ. γ. qui dicit quod ex pectore miſerit

Ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.

Quantus item diſputator: *ibid.*

Οὐκ αὖ ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆΐ γ᾽ ἐρίσσε βροτὸς ἄλλος.

Quo & illud *Helenæ* ſpectat: *ibid.*

Εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά.

& *Iovis* Ιλ. α.

Ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν.

Neſtoris Ὀδυσ. γ.

Ἐνίκα δῖος Ὀδυσσεὺς παντοίοισι δόλοισι.

Sirenes autem quid aliud quam Epicuræi Pſeudophiloſophi & Sophiſtæ ſunt? Ecce jactantiam, dum inquiunt Ὀδ. μ.

Ἴδμεν δ᾽ ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,

& neminem acceſſiſſe qui non inde abierit πλείονα εἰδώς. Quem locum dulciſſime *Cicero* vertit:

Hæc etenim nemo tranavit cærula curſu,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus,
Poſt variis avido ſatiatus pectore verbis
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.

Idem ſocios à voluptatibus ad bonam frugem revocavit; unico *Gryllo* excepto, qui, ut eſt apud *Plutarchum*, cum Ulyſſe diſputavit, brutorum conditionem feliciorem eſſe

humana. Ipſe vero Ulyſſes in nobili illa concertatione de armis Achillis ita inquit de Aiace:

—— neque enim clypei certamina novit,
Oceanum & terras cumque alto ſidera cælo
Pleiadaſque Hyadaſque;
Poſtulat ut capiat, quæ non intelligit, arma.

Nam illud quoque ad rem præſentem facit: arma heroum, cùm alia Sapientiæ inſignia, tum præcipue, quæ ad Aſtrologiam ſpectant, inſculpta habuiſſe. Jure ergo meritoque ita *Accius* Ulyſſem laudavit in Philoctete ſuo:

Inclute, parva prædite patria,
Nomine celebri, claroque potens
Pectore, Achivis claſſibus ductor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor
Laërtiade.

Noviſſime Patrem nominat, inquit *Apulejus*. *Cæterum omnes laudes ejus viri audiſtis. Nihil inde nec Laërtes ſibi, nec Anticlea, nec Acriſius vindicat. Hæc enim tota, ut vides, laudis hujus propria Vlyſſi poſſeſſio eſt. Nec aliud te in eodem Vlyſſe Homerus docet, qui ſemper ei comitem voluit eſſe prudentiam, quam Poëtico ritu Minervam nuncupavit. Igitur hac eadem comite, omnia horrenda ſubiit, omnia adverſa ſuperavit. Quippe, ea adjutrice, Cyclopis ſpecus introivit, ſed egreſſus eſt: Solis boves vidit, ſed abſtinuit: ad inferos demeavit, ſed adſcendit. Eadem Sapientia comite Scyllam præternavigavit, ac ereptus eſt: Charybdi conſeptus, nec illic retentus eſt: Circes poculum bibit, nec mutatus eſt: ad Lotophagos acceſſit, nec remanſit: Sirenes audivit, nec acceſſit.* lib. de Socratis Deo. Idem Homerus celebrat *Phœnicem* Achillis & Patrocli præceptorem:

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρακτῆρά τε ἔργων.

Pulcherrime ad utramque Philoſophiæ partem, θεωρητικὴν καὶ πρακτικὴν, ut poſteriores appellarunt, alludens. Nam

per

per *Μύθους* eam Philoſophiæ partem intelligit quæ Homeri ævo *Μυθικὴ* dicebatur. Simul etiam modum Philoſophandi exprimit: dum inquit, *Μυθῶν τε ῥητῆρ' ἔμεναι*, quia, ut infra latius dicetur, antiqua Philoſophia cum Eloquentia conjuncta erat. Idem etiam Chironi erudiendus datus eſt: de quo *Claudianus* Panegyri de 3. Conſ. Honorii:

——————— *non ocyus hauſit Achilles*
Semiferi præcepta ſenis; ſeu cuſpidis artes,
Sive lyris cantus, medicas ſeu diſceret herbas.

Palamedem vero non alia cauſſa ab Ulyſſe in diſcrimen vitæ adductum ferunt quam quod Sapientia præcelleret. *Xenophon* ἀπομν. δ. τοῦτον (Palamedem) πάντες ὑμνοῦσιν, ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπώλετο. Apud Trojanos vero ſumma Sapientiæ laude florebat *Æneas*, qui omnium Trojanorum prudentiſſimus, ut Hector fortiſſimus, habitus: utque ille manus, ita hic mens populi dictus eſt. Adeoque communis jam illo tempore Heroum vox erat: Philoſophandum eſſe: quam *Neoptolemus* Achillis non ſatis caute apud Ennium limitavit: *paucis Philoſophandum eſſe.* *Apul.* in Apol. *Da igitur veniam, ne ego neceſſe habeam, contra ſententiam Neoptolemi Enniani, pluribus philoſophari.*

CAP. VII.

Mythica. Ejus origo. Dicta Theologia. Ejus ratio duplex. Naturam Deum appellabant. Γνῶθι σεαυτόν. Theologia vel vulgaris vel exquiſita. Hæc μυθική, φυσική, πολιτική.

HÆc de prima Græcæ Philoſophiæ periodo. Altera ſequitur, quæ de ejus incrementis agit & Philoſophiâ MYTHICA abſolvitur. Nam cum illi priſci Heroës, jam fundatis Rebuſpublicis & Imperiis, verum Sapientiæ uſum monſtraſſent, inde paulatim ex foro & aulis Principum ad Scholas tranſlata eſt. Coli cœpit ab hominibus doctis, acutis & otio abundantibus, qui inventis & placitis quotidie

aliquid adderent, nondum quidem in ſectas diviſis, ſed tantum magis & magis novaturientibus. Neque vero amplius intra virilem illum & ſalutarem uſum ſe continuit: ſed ad varias & mirabiles ſpeculationes dilapſa, vera falſis & fabuloſis obſcuriſſimo & myſtico dicendi genere miſcuit. Præcipuè tamen jam non de hominibus & rebus naturalibus tantum agebat: ſed & in ipſum cœlum penetrans, novam quaſi Politiam ibi adornabat. Unde tot fabulæ, tot mirabiles traditiones, in quibus otioſa ingenia conſeneſcebant. Unde etiam, cur Mythica dicta ſit, patet: quia nimirum divina humanaque obſcuriſſimis fabulis, veluti quibuſdam involucris, involvebat. Hæc alio nomine propriiſſime θεολογία dicebatur: ejuſque ſtudioſi θεολόγοι. *Lactantius* lib. de Ira Dei cap. 11. *Vetuſtiſſimi Graciæ ſcriptores, quos illi θεολόγους nuncupant.* Cauſſa nominis: quod de rebus divinis agerent: ſub quibus & ipſum Deum & res omnes naturales comprehendebant. Quo ſenſu *Plato* Philoſophiam definivit γνῶσιν θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τ῀ ἐν τούτοις αἰτίων. *Cicero* lib. 2. Offic. *Philoſophia eſt divinarum humanarumque rerum cognitio.* Quam definitionem & Stoici retinuerunt. Quo etiam referenda eſt antiqua Philoſophiæ diviſio à Cleanthe tradita, in Dialecticam, Oratoriam, Moralem, Naturalem, Theologicam. *Laërt.* Et ipſe *Ariſtoteles* 10. Met. cap. 6. & alibi Metaphyſicam vocat θεολογικὴν ἐπιστήμην: eandem Rabbini חכמת האלהות ſapientiam Deitatis; ſicut & θεολογεῖν, quod Lactantio divinare eſt, pro philoſophari ſumitur, Budæo teſte. *Autor* lib. de Mundo: θεολογῶμεν περὶ τούτων ξυμπάντων. *Plutarchus*: θεολογεῖται ἡ ἀρχέγονος φύσις τοῖς ἔπεσι τ῀ Ὁμήρου. Primo enim ita dicta eſt quod de Deo ejuſque natura & cultu ageret, traderet ἐπιστήμην θεοῦ θεραπείας. Hoc enim proprie θεολογία dicitur. Adeo iis inſita erat divinitatis perſuaſio, ut abſque ea Sapientiam eſſe non poſſe judicarent. Obſervatum

tum etiam eſt, ibi maxime viguiſſe ſuperſtitionem καὴ δεισιδαιμονίαν, ubi maxime florebant Philoſophi. Quod vel Athenienſium exemplo patet, de quo *Act.* 17. 16. Hinc factum, ut, ex ipſis Philoſophis, Deorum ſacerdotes legerentur: quod ſecundum *Cic.* lib. 1. de Legg. *homo per Philoſophiam cultum Deorum ac puram Religionem ſuſciperet:* eaque eſſet ὁμοίωσις θεῷ μετὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, uti *Plato* loquitur; de quo plura ſupra lib. 1. cap. 1. dicta ſunt. Secundo ita dicta eſt quod de rebus naturam & mores ſpectantibus ageret. Nam Phyſicam quoque appellatam eſſe θεολογίαν: eoſque Doctores Theologos, locuples teſtis eſt *Auguſtinus* lib. 8. de C. D. cap. 1. Erat enim antiquiſſima perſuaſio, naturam nihil aliud eſſe quam Deum: qui alio nomine Mundus ſive πᾶν ab iis dictus eſt. Quæ opinio poſterioribus ſeculis apud Stoicos & Platonicos hæſit, quorum opinio erat:

——————— *Deum ire per omnes*
Terraſque tractuſque maris cœlumque profundum.

Ejuſque etiam in Sacris quædam veſtigia ſuperſunt. Nam 2. *Reg.* 23. 5. mentio fit eorum qui Soli currus & equos dedicarunt incenſaque adoleverunt. Et ut Latinis Cœlus idem qui Deus: ita & in Oriente שמים ſive שמיא *Dan.* 4. 23. *Math.* 21. 25. Nimirum nihil vulgatius erat quam aſtra animata Deoſque eſſe. Unde factum, ut, qui de Rerum natura diſputarent, θεολογεῖν dicerentur. Quamvis alii alias Rationes afferant: quod antiqui de rebus agentes ſemper à Deo inceperint: uti ex libro de Mundo, qui Ariſtoteli adſcribitur, apparet. *Aratus*: ἐκ Διὸς ἀρχόμεσθα. Ita philoſophatos eſſe Pythagoricos & Italicos. Poſteriores vero ἐν τοῖς φυσικοῖς omiſiſſe de Deo agere, ſola rerum aſpectabilium contemplatione contentos: ideoque φυσικοὺς tantum, non etiam θεολόγους dictos. Quæ ratio etiam *L. Danæi* in cap. 9. Aug. Ench. ad Laur. eſt. Dici etiam poteſt, per

naturam velut gradus quoſdam adſcendiſſe eos ad Deum. Sicuti *Galenus*, cætera ſatis impius, cum naturam mirabilem hominis conſideraſſet, Deo creatori hymnum eximium cecinit. Quo ſenſu *Baſilius* eleganter res naturales vocavit παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον. Et *Pythagoras* finem Philoſophiæ omnis cenſebat eſſe contemplationem & cognitionem unitatis: vel principii omnium principiorum, ut *Architas:* vel naturæ intelligentis ac ſempiternæ, ut *Plutarchus:* vel divinæ majeſtatis, ut *Simplicius*. Aug. *Eugub.* lib. 10. de perenni Philoſ. cap. 9. & 11. lib. 8. cap. 8. *Cic.* 1. Tuſcul. Accedunt & alia: quæ imprimis Moralem Philoſophiam ſpectant. Antiquiſſimi Philoſophi, ut citius perſuaderent & majoris authoritatis eſſent, ſua omnia ad Deum referentes, inde ſe, quæ docerent, accepiſſe dicebant. Uti illud ſive à Thalete, ſive à Chilone (vide *Laërt.* l. 1. in Thalete, *Auſon.* in Ludo 7. Sapientum, *Plin.* lib. 7. cap. 22.) prolatum γνῶθι σεαυτόν, ex ſententia Amphictionum, foribus Templi Delphici inſcriptum aureis literis, non ab homine ſed ab ipſo Pythio prolatum videbatur. *Plato* in Alcibiade. *Cic.* lib. 1. de Legg. & l. 5. de fin. 1. Tuſc. *Plut.* libro adv. Colotem. *Iuven.* Sat. 11.

——————— *è cælo deſcendit* γνῶθι σεαυτόν.

Cæterum ideo potiſſimum θεολογίαν dictam eſſe multi volunt, Phyſicam Philoſophiam, quod myſtice per Deorum fabulas traderetur. Ita Jupiter iis erat æther ſive ignis: Juno aër vel aqua; de quo *Plutarchus* in lib. de Quæſtion. Plat. & ex eo *Euſebius* lib. 3. πρόπ. cap. 1. Erat autem Theologia hæc duplex: vulgaris & exquiſita. *Vulgaris*, ea eſt, quam alii communem dicunt, quæ, principiis communibus contenta, non adſurgebat ulla ratiocinatione. *Dionyſius* Areopagita ἐμφανῆ καὶ γνωριμωτέραν vocat. *Exquiſita* Doctorum erat & Sapientum; à quo procul eſſe jubebatur profanum vulgus. *Dionyſius* vocat ἀπόρρητον καὶ μυστικήν.

Hæc

Hæc tripartita erat. Vel enim de Diis veris, vel de Dæmonibus agebat. Prior tripartita: μυθικὴ, φυσικὴ, πολιτικὴ; uti ex *Varrone* Auguſtinus l. 5. de C. D. c. 6. tradit. Poſterior tripartita. Nam cum Dæmonum alii eſſent boni & utiles, alii mali & noxii, quæ de averruncandis & placandis malis agebat, dicta eſt μαγία & γοητεία: quæ autem bonos alliciebat & invitabat ſacrificiis, θεουργία & τελετή. *Auguſt.* lib. 10. de C. D. cap. 9. 10. *L. Dan.* ad cap. 2. Ench. Auguſt. ad Laur. Erat adhuc alia ſpecies Mythicæ Philoſophiæ, & ea, uti etiam ex Sacris apparet, præſertim libro Judicum, omnium antiquiſſima. Nam fabulæ artificioſe confictæ rudibus populis proponebantur, quæ, ſub imagine brutorum aut aliarum rerum, inſtituendæ vitæ rationem oſtenderent. Quæ fabulæ poſtea collectæ uni Æſopo, quia is maxime excelluit, adſcribi cœperunt. *Quintil.* lib. 5. cap. 11. *Illæ fabulæ, quæ etſi ab Æſopo originem non acceperunt (nam videtur earum primus author Heſiodus) nomine tamen Æſopi maxime celebrantur, ducere animos ſolent præcipuè ruſticorum & imperitorum, qui & ſimplicius quæ ficta ſunt audiunt, & capti voluptate facile iis quibus delectantur conſentiunt.*

CAP. VIII.

Poëtæ. Homerus. Ante eum ſcriptores. Ambigua patria. Magnus Philoſophus. Heſiodus. Patria ejus Aſcræ. Orpheus. Epicureus. Scripta ejus ψευδεπίγραφα. Cur ſaxa & feras moviſſe dicatur? Zethuc & Amphion. Muſices dignitas. Odium inter Poëtas & Philoſophos.

PRæcipuam hujus Philoſophiæ familiam Poëtæ ducunt, quales erant Homerus, Orpheus, Linus, Muſeus, Amphion, Heſiodus, & alii, qui præcepta bene vivendi carminibus tradebant. Similes ferè Prophetis. Unde Apollinis oraculo Poëtæ divini appellabantur, ut apud *Euſeb.* 5. *πρ*ϛ*π*. cap. 12. Oenomaus teſtatur. Ab Homero autem incipiendum eſt; quia nullum eo antiquius ſcriptum apud Græcos extat,

tat, imo ne æquale quidem, ſi Joſepho lib. contra Apionem fides. De cujus in re authoritate quanquam multi dubitent, verum tamen hoc eſt de iis ſcriptis quæ & olim extiterunt & hunc quoque leguntur. Vetuſtiora tamen Homero monumenta fuiſſe, quæ temporum injuria perierint, Cicero in Bruto docet. *Non dubitari debet*, inquit, *quin fuerint ante Homerum Poëtæ, quod ex iis carminibus patet, quæ apud illum & in Phæacum & Procerum epulis canuntur*. Scripſiſſe ante Homerum apud Græcos Linum, Philæmonem, Thamyram, Amphionem, Orphea, Muſeum, Demodotum, Epimenidem, Ariſteum & alios, *Euſeb.*10. προπ. cap.3. oſtendit. Sic Achilles, cum à bellis feriatus in tentorio ageret, Heroum res geſtas ad citharam cecinit. Nam non tantum apud Græcos, ſed omnes propemodum gentes, de quibus quicquam literis proditum eſt, receptum erat; Carmina, in laudem priſcorum Heroum compoſita, decantare. Primus tamen Homerus, quæ ab antiquis Philoſophis rudia & impolita relicta erant, expolivit, limavit, emendavit, denique ad poſteritatem literis tranſmiſit. De cujus Patria olim multo maxime diſſenſum eſt. Alii Colophonium, alii Smyrnæum, ſunt qui Athenienſem, ſunt qui Ægyptium dicant fuiſſe. M. *Varro*, in libro de Imaginibus primo, Homeri imagini hoc epigramma appoſuit:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Super ætate quoque Homeri & Heſiodi non conſentitur. Alii Homerum quam Heſiodum majorem natu fuiſſe ſcripſerunt, ut *Philochorus* & *Xenophanes*. Alii minorem, in queis *L. Accius* Poëta & *Ephorus* Hiſtoriæ ſcriptor. M. autem *Varro* in lib. de Imaginibus, uter natus prior ſit, parum conſtare dicit: ſed non eſſe dubium quin tempore eodem ſcripſerint. *Gellius* lib. 3. cap. 11. Ægyptii in ſuis libris annotarunt Homerum in Ægypto fuiſſe, idque alii rationibus quibuſ-

quibuſdam ex ipſo Homero depromtis confirmabant, quas vide apud *Euſeb.* 10. πρæπ. cap. 2. Quantum antiqui omnes ei tribuerint, notum eſt: & conſtat ex Herodoto, Plutarcho, Dione Chryſoſtomo, & aliis, qui laudes ejus deſcripſerunt. Certe *Conſtantinus* Laſcaris εἰς τὸν Ὅμηρον verè ſcripſit:

——— Διὸς ἔκγονος, ἔδρακεν ὅσσα
Γαῖα, θάλασσα, ἀὴρ, οὐρανὸς ἐντὸς ἔχει.

Horatius lib. 1. epiſt. 2. ad Lollium, de eodem:

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Vellejus Hiſt. l. 1. *Clariſſimum deinde Homeri illuxit ingenium, ſine exemplo maximum, quem ſi quis cæcum genitum putat, omnibus ſenſibus orbus eſt.* *Plutarchus* l. 2. de Homero oſtendit, omnium ſemina artium, Phyſicæ, Medicinæ, Politicæ, Ethicæ, Eloquentiæ, Rei militaris, in Homero ineſſe. *Hic*, ut *Quintil.* lib. 10. cap. 1. inquit, *quemadmodum ex Oceano dicit ipſe omnem vim, fontiumque curſus initium capere, omnibus artibus exemplum & ortum dedit.* Unde *Alcidamus*, nobilis & vetus Orator, Odyſſeam, *καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον*, non verè minus quam ſcitè vocavit. Proximus huic, ſed longo tamen proximus intervallo, *Heſiodus* eſt: de quo ita *Vellejus* lib. 1. *Hujus temporis æqualis Heſiodus fuit, circa* CXX *annos diſtinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenii & molliſſima dulcedine carminum memorabilis, otii quietiſque cupidiſſimus; ut tempore tanto viro* (Homero) *ita operis authoritate proximus. Qui vitavit ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque & parentes teſtatus eſt: ſed patriam, quia multatus ab ea erat contumelioſiſſime.* Erat autem illa Bœotiæ quidam vicus, Aſcra: de qua ita D. Heinſius Exercit. 1. in Nonnum. *Inter prima ad quæ Cadmus venit loca, in Bœotia fuiſſe Aſcram, patriam Heſiodi Poëtæ, nomen innuit. Vix enim dubitandum, quin ex Orientis ibi ritu*

 lucum

lucum conſecrarit, quod tantoperè in ſacris Dominus abminatur, qui ab illis Aſchera vocatur: quodque, ut cætera, ex Orientis ſuperſtitione expreſſerunt Græci. Præcipue practicam Philoſophiæ partem, ut ejus Georgica ad fratrem ſcripta, plena utiliſſimis monitis, teſtantur, excoluit. Theologiæ quoque ſtudioſiſſimum fuiſſe ex ejuſdem ſcriptis patet. Quod quidam ex illis verbis:

——————— πλέον ἥμισυ παντός.

Et: *Stulti neſciunt quam ampla ſit in malva & aſphodelo utilitas:* vetuſtatem Alchymiæ, ejuſque cultorem & gnarum fuiſſe Poëtam demonſtrant, ridiculum eſt. ORPHEUS vetuſtiſſimus Poëtarum & æqualis Deorum, ſiquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule navigaſſe. *Lactant.* lib. 1. cap. 5. Hic peculiarem de nomine ſua ſectam condidit; cujus ſectatores Orphici dicti: quorum *Plato* in Cratylo meminit. Erat, uti tradunt, gente Thrax. *Virgilius* lib. 6.

——— *Threïcius longa cum veste ſacerdos.*

Inde in exilium pulſus. *Apul.* Florid. 17. Philoſophiam in Ægypto didicit. *Euſeb.* lib. 2. πρεπ. cap. 1. & lib. 3. cap. 3. uti ipſe in Argonauticis teſtatur: quam tamen ita corrupit, ut Epicureiſmi fundamenta jam tum poſuerit. De eo *Ovidius* lib. 10. Tranſm.

Ille etiam Thracum populis fuit autor, amorem
In teneros transferre mares, citraque juventam
Ætatis breve ver & primos carpere flores.

Qua occaſione uſi Græculi, ne ulla Philoſophiæ laus barbaris deberetur, eum Philoſophorum numero ejecerunt: de quo vide *Diog.* Laërt. lib. 1. de Vitis Philoſ. & *Ælianum* 8. Var. Hiſt. cap. 6. ubi tamen pro ἄλλως legendum eſt ἄλλως. Unde Poëmata ejus ψευδεπίγραφα, præter Ælianum, etiam Ariſtotelem ſenſiſſe author eſt *Tullius* 1. de Nat. Deor. Præcipua eorum ratio, quod de Diis ab-
ſurda

ſurda & impia finxerit, quod qui faciunt iI *Gellio* lib. 17. c. 1. monſtra hominum dicuntur. Imprimis tamen à Muſices peritia celebratur: qua tantum valuiſſe tradunt, ut non homines tantum ſed & immanes belluas cantu emolliret. *Propertius* lib. 3. eleg. 2.

Orphea detinuiſſe feras & concita dicunt
Flumina Threicia detinuiſſe lyra.

de quo vide plura apud *Horat.* 1. Carm. 12. *Ovid.* lib. 10. Metam. & *P. Melam* lib. 2. cap. 2. *promotorium Serrium, ex quo canentem Orphea, ſecuta memorantur nemora.* Quo innuebant, tantam dicendi vim in Orpheo fuiſſe, ut diſperſos in agris beſtiarumque more viventes homines congregans ad humaniorem cultum traduxerit. *Horatius* in arte Poëtica:

Sylveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres rapidoſque Leones.

Inter epigramm. *Virgilii* hæc legimus de Orpheo:

Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit
Doctâque vitam voce temperavit,
Iuſtitiam docuit; cœtu quoque congregavit uno,
Moreſque agreſtes expolivit Orpheus.

Orphei librorum meminit autor epigrammatis in Alethium Quæſtorem, quod inter Claudiani legitur:

Orpheos alii libros impunè laceſſunt.

Erant autem coætanei, Orpheus, Muſæus, Arion, Amphion. *Apulejus* Florid. 17. *In ſolitudine cantillavit: Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion. Quippe, ſi fides fabulis, Orpheus exilio deſolatus, Arion navigio præcipitatus. Ille immanium beſtiarum delinitor: hic immiſericordium belluarum oblectator.* De Zetho quoque & Amphione multa fabulantur antiqui: ajunt, adhibita Muſica modulatione, muro cinxiſſe Thebas. Nam Amphionem,

accepta à Muſis lyra, tanta ſuavitate vocis compoſita à ſe Carmina ad citharam aptaſſe, ut αὐτομάτως lapides ad τ̃ τειχοδομίαν accurrerint. *Horat.* in arte:

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis & prece blanda
Ducere quo vellet.

De quo etiam *Seneca* in Hercule Furente act. 2. *Horat.* 3. Od. 11. *Thucydides* lib. 1. *Orpheus & Amphion paulo ante Trojanum bellum homines in Græcia ſylvis excitos ad humanitatem traduxerunt.* Apud *Platonem* in Gorgia & *Euripidem* in Antiope Amphion Zethum fratrem ſuum non à Muſica modo ſed & à Philoſophia ad communem vitæ uſum traducere conatur. *Horatius* lib. 1. epiſt. 18.

Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi diſſiluit, donec ſuſpecta ſevero
Conticuit lyra.

ubi vide Heinſium. Cur autem hi inter Sapientes numerentur, cauſſam reddit *Horatius* in arte:

——— *fuit hæc ſapientia quondam,*
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honos & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit.

Et ut hoc addam, primis illis temporibus Muſica totam Philoſophiam ambitu ſuo complectebatur, dicta, uti clarum eſt, à Muſis. *Quintil.* lib. 1. Inſtit. cap. 16. *Quis ignorat Muſicen tantum illis jam antiquis temporibus non ſtudii modo verum etiam venerationis habuiſſe, ut iidem Muſici & vates & ſapientes judicarentur? Mittam alios, Orpheus & Linus, quorum utrumque Diis genitum, alterum vero, quia rudes atque agreſtes animos admiratione mulceret, non feras modo ſed ſaxa etiam ſylvaſque duxiſſe poſteritatis memoria traditum eſt. Et Timage-*

Digitized by Google

Timagenes author eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen extitiſſe. Et teſtimonio ſunt clariſſimi Poëtæ, apud quos inter regalia convivia laudes Heroum atque Deorum ad citharam canebantur, Iopas vero ille Virgilii nomine canit

Errantem Lunam Soliſque labores.

Quibus certe palam confirmat author eminentiſſimus, Muſicen cum divinarum etiam rerum cognitione eſſe conjunctam. Erat autem inter Poëtas & Philoſophos antiquiſſima contentio; ut *Plato* in libb. de Republ. notavit. Nam cum Poëtæ primi in poſſeſſionem Sapientiæ veniſſent: inde deturbari ſe à Philoſophis, ut plurimum nugacibus & ineptis, indigne ferebant. Unde in carminibus ſuis, præſertim Satyris & Scena, in Philoſophos invehi eoſque miris modis traducere apud populum ſoliti ſunt. De quo *Heinſ.* lib. 2. de Sat. *Horat.*

CAP. IX.

Septem Græciæ Sapientes. Qui numerus ſacer. Præcipuus Thales. Ejus reperta. Solon Politicus. Leges ejus ligno inciſa. Sententia ſeptem Sapientum. Γνῶθι σεαυτόν.

AD hanc Mythicorum claſſem illi quoque, quos vulgus Septem Græciæ Sapientes nominat, referuntur. De quorum numero olim quoque dubitatum & diſſenſum eſt: variantque in eorum enumeratione etiam ex antiquis multi: plerique tamen ſeptenarium numerum retinent. Arbitror autem id non ea de cauſa factum quod tunc temporis in Græcia ſapientes non eſſent: nam plures enumerari poſſunt celeberrimi viri: ſed quia Septenario, tanquam cæteris perfectiori, aliquid tribuerent. Quo procul dubio *Gellius* lib. 3. cap. 10. reſpicit, ubi de Septenario ex Varrone agens, ait & aliqua frigidiuſcula Septenarii congeſſiſſe: inter quæ & illud refert: *Sapientes veteres ſeptem fuiſſe.* Nam plane frigida fuiſſet hæc cenſura, ſi ſeptem tantum

Sapientes fuiſſent; & *Varro* rectè eos ad Septenarium retuliſſet. Fortaſſe primi hujus numeri authores Pythagoræi fuere: qui, ut notum, ſeptenario numero in Sacris præcipuam virtutem adſcripſerunt. *Apulejus* lib. 11. Mileſ. *Septieſque immerſo fluctibus capite: quod eum numerum præcipuè Religionibus aptiſſimum divinus ille Pythagoras prodidit.* Quod videtur depromtum, uti Diabolus ingenioſus eſt, ex 2. *Reg.* 5: 10. 14. De iiſdem ita ſcripſit *Lactantius* lib. 4. Div. Inſt. cap. 1. *Priusquam hæc Philoſophia quæ dicitur eſſet inventa, ſeptem fuiſſe traduntur primi omnium: qui, quia de rebus naturalibus quærere ac diſputare ſunt auſi, ſapientes haberi appellarique meruerunt. O miſerum calamitoſumque ſeculum quo per orbem totum ſeptem ſoli fuerunt qui hominum vocabulo cierentur. Nemo enim poteſt jure dici homo niſi qui ſapiens eſt.* Ad quem numerum etiam alluſiſſe Satyricum puto hoc carmine:

Rari quippe boni numero ſunt, vix totidem quot
Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.

Idem lib. 6. cap. 6. oſtendit eos non fuiſſe verè Sapientes, ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam geſſiſſe ſpeciemque Sapientiæ. Præcipui nominis inter eos fuerunt *Thales* & *Solon*. Thaletem enim plerique Principem omnium fuiſſe volunt: cujus & hoc indicina eſt. Emerat Thales aliquando à Mileſiis piſcatoribus fortunam jactûs. Extracta eſt tabula aurea ingens. Apollo cenſuit Sapientiſſimo dandam. Data igitur Thaleti: ipſe Bianti, hic cæteris: tandem tabula rurſus ad Thaletem rediit: qui eam Apollini conſecravit. *Laërtius* lib. 1. *Plutarchus* in Solone. Quo alludit *Plautus* Bacchid. act. 1. ſc. 11. *Quem ego ſapere cenſui plus quam Thalem.* *Euſebius* lib. 10. πϱϱπ. cap. 3. *Thales, vetuſtiſſimus omnium qui ſeptem ſapientes appellantur, quinquageſima vixit Olympiade.* Et paulo poſt: *Cyri temporibus ſeptem Græciæ ſapientes, quibus*

Digitized by Google

bus nullus Philoſophus antiquior traditur, floruerunt, quorum Thales Mileſius primus apud Græcos appellatus eſt Phyſicus. Cicero lib. 2. de Legg. *Thales qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit. Apulejus* Florid. 18. *Thales Mileſius ex ſeptem illis Sapientiæ memoratis viris facile præcipuus fuit.* Cauſa hujus eſſe poteſt: quod de rerum natura primus diſputarit, ut *Lactantius* lib. 3. cap. 14. tradit: & *Minucius* in Octavio. *Sit Thales Mileſius omnium primus qui de cœleſtibus diſputarit. Apulejus* Florid. 18. latius ejus artes & inventa perſequitur: *fuit Geometricæ penes Graios primus repertor, & naturæ rerum certiſſimus explorator, & aſtrorum peritiſſimus contemplator: maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum meatus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, Solis annua reverticula: idem Lunæ vel naſcentis incrementa vel ſeneſcentis diſpendia, vel delinquentis obſtacula. Idem ſane jam proclivi ſenectute divinam rationem de Sole commentus eſt, quam etiam non didicit modo, verum etiam experiundo comprobavit: quoties Sol magnitudine ſua circulum, quem permeat, metiatur.* Proximus huic *Solon* cenſetur, cujus etiam ſupra cap. 3. mentio facta eſt. Qui ut excultiſſimus erat ea Philoſophiæ parte quæ in rerum contemplationibus verſatur, ita præcipue animum ad Moralem & Politicam adjecit, ratus eam plus & ſibi & Reipublicæ, tunc Tyrannide & diſſidiis oppreſſæ, prodeſſe poſſe. Peregrinationibus etiam deditus fuit, & in Ægypto, quæ tunc Sapientum Athenæ erant, cum ſacerdotibus ſæpe multumque converſatus eſt. Nam in urbe Ægypti Sai audivit *Patanit*, vel, ut *Plut.* tradit, *Sonchedim*, & Heliopoli *Oclagin*, & Sebennyti *Etymonem.* A quibus etiam illud audire coactus fuit: *ὦ Solon Solon, vos Græci ſemper pueri eſtis. Euſeb.* 10. *πρϵπ.* cap. 2. Verſatus eſt autem in Ægypto, eo tempore, quo Judæi Ægyptum frequentes habitabant. Idem *ibid.* Domum inde reverſus, conſti-

conſtituendæ Reipubl. Atticæ operam utilem navavit. *Apul.* lib. 1. de dogm. Platonis: *Solon ſapientiſſimus Legum Atticarum fundator fuit. Plaut.* Aſin. act. 3. *Solon eſt, leges ut conſcribat quibus ſe populus teneat.* Quæ ipſius Leges, ut illa tempora ferebant, lignis inciſæ ſunt. *Gellius* l. 2. cap. 12. *In legibus Solonis illis antiquiſſimis, quæ Athenis axibus ligneis inciſa ſunt.* Et Pittacus à Crœſo interrogatus, quodnam eſſet maximum Imperium? *Ligni*, inquit, *varii*; legem innuens. *Laërt.* lib. 1. in ejus vita. Quin ad ipſum Solonem reſpicit *Flaccus* in arte: ubi inter alia priſcorum facta, propter quæ Sapientes habiti ſunt, etiam refert:

——————— *leges incidere ligno.*

Putarim autem collegiſſe Septem Sapientes placita priſcorum Philoſophorum, quæ incerto authore diſperſa vagabantur, quæ quantum authoritatis obtinuerint ex *Quintiliano* patet lib. 5. cap. 11. ubi inquit: *Illa ſeptem præcepta Sapientum, nonne quaſdam vitæ Leges exiſtimamus? Nondum enim illa diſſerendi ratio obtinebat: ſed paucis verbis placita ſua & rotundis complexi ea vulgo commendabant tanquam religioſa quædam myſteria. Quæ γνῶμαι dici cœperunt: quod ſententiam Sapientum de vita morumque præceptis continerent.* A quibus eos Sapientes dictos putat *Minucius* in Octavio: *Omitto*, inquit, *illos rudes & veteres qui de ſuis dictis Sapientes eſſe meruerunt.* Ita *Euſeb.* 10. πρϑπ. cap. 2. *De iſtis ſeptem Sapientibus nihil aliud, quam ſententiæ quædam commodè ac breviter dictæ ad utilitatem humanæ vitæ, compertum eſt.* Quæ dicta, ut majoris authoritatis eſſent, & non tam ab homine quam ab ipſo Deo prolata viderentur, nulli certo authori adſcripta. Unde illud πολυθρύλλητον: γνῶθι σεαυτὸν: olim cuinam ex ſeptem adſcribendum eſſet in controverſia fuit. Quidam Chiloni, alii Thaleti, Ariſtoteles Pythiæ, adſcribebant: de quo vide *Clem.* Alex. 1. Strom. & *Dion.* Chryſoſt. Orat. 6. *Pythagoras* ita efferebat: *noſce Dæmonium*

nium tuum, hoc eſt, ut *Hierocles* interpretatur, τὴν ψυχήν. Unde fortaſſe Indorum Brachmanes acceperunt: qui neminem ad Philoſophiam ſuam admittebant qui non ante ſe noviſſet. *Phil.* lib. 3. de vita Apoll. cap. 6. Hæc igitur erant illa Philoſophiæ Græcæ primordia: primitus quidem ex Oriente eò delata: cum priſci illi Heroës colonias ſuas in omnes Orbis partes deducerent: poſtea verò inſtitutis Scholis & publicis Gymnaſiis ad plures propagata & magis magiſque aucta; adeo ut præſtantiſſimi Rerumpublicarum fundatores & defenſores ex ejus inſtitutione ſe Orbi admirabiles reddiderint & inimitabiles: tandem verò, ſucceſſu temporis, nulla fere Philoſophiæ pars fuit, quam non nõtis ſuis ingenioſiſque inventis quotidie locupletarent. Nunc ab his initiis ad majora procedendum eſt: & variæ ſectæ, in quas Sapientia veluti ſciſſa eſt, exponendæ ſunt.

CAP. X.

Secta Philoſophorum infinita. Opiniones de ſummo bono quot? Quatuor tamen ſectæ principes. Lacedæmonii ad Stoicam, Athenienſes ad Academicam, Phæaces ad Epicuream inclinabant. Secta priſca & nova. Priſca, Ionica & Italica. Vtra antiquior?

QUæ igitur hactenus felici incremento ſuccreverat Sapientia, ea in diverſas ſciſſa ſectas, paulatim contentionibus abſumpta eſt. *Nam poſt illorum ſeptem ſapientum gloriam, incredibile eſt,* inquit *Lactantius* lib. 4. cap. 1. *quanto ſtudio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarſerit.* Unde æmulationes ortæ & diſcrepantes opiniones, quæ, cum novitate ſua pruriginoſis & laſcivientibus ingeniis arriderent, viam diſſidiis majoribus pararunt: donec, effractis quaſi carceribus, quiſque in licentiæ campum ſe effunderet, & quam maxime à cæteris diſcrepare conaretur. Nomina ſectis indita, à quibus & ipſi Sectatores ſe denominari vole-

 bant.

bant. Conſtat enim veteres Sapientes virtutis ſuæ imitatores quam plurimos ſucceſſoreſque reliquiſſe. *Euſeb.* contra Hieroclem confut. lib. 1. & lib. 1. πρόπ. cap. 3. *Homines nullam rem aggrediuntur niſi credant ſibi eam profuturam. Nec Philoſophiæ ſectam ullam quiſpiam unquam ſuſcipiet niſi ante crediderit commodam ſibi futuram. Ita diverſa ſuaſione ac fide ducti, alius Epicuræorum attrahitur voluptate, alius Cynicæ vitæ duritiem admiratur, alius Platonem præponit, nonnulli Ariſtotelem, nonnulli Stoicos ſequuntur. Themiſtius* ſcribit ſectarum ferè trecentarum examen ad memoriam uſque ſuam extitiſſe. Hinc in ipſis ſectis rara concordia; nitentibus plerumque ingeniis ad fallaces novitates. De quo ipſa apud *Boëtium* lib. 1. de Conſ. Philoſophia conqueritur. *Lactant.* lib. 3. cap. 4. *In multas ſectas Philoſophia diviſa eſt, & omnes varia ſentiunt; in qua ponemus veritatem?* & mox: *Vnaquæque ſecta omnes alias evertit, ut ſe ſuaque confirmet.* Erant autem, ſi rem accurate conſideremus, infinitæ ſectæ, familiæ, & factiones. Unde *Epiphanius*, occaſione ſumta ex his Cantici verbis: *Sexaginta ſunt Reginæ & octoginta pallacæ & juvenculæ quarum non eſt numerus. Vna eſt columba mea.* Per 60 reginas intellexit 60 generationes ab Adamo ad Chriſtum: per 80 pallacas, 80 hæreſes: per juvenculas quarum non eſt numerus, Philoſophorum ſectas & gentium varias religiones. *Varro* apud Auguſtinum lib. 19. de C. D. cap. 1. ſuo tempore in libris Philoſophorum ducentas & octoginta octo de ſummo bono opiniones inventas fuiſſe recenſet, id eſt, totidem ſectas. Erat enim hoc dogma velut teſſera, qua partes Philoſophorum inter ſe dignoſcerentur, ut *Mornæus* loquitur cap. 19. de V. R. Chriſt. Inter quas tamen paucæ quædam eminebant. *Lactantius* lib. de Ira Dei cap. 10. *Plato ac Socrates & Pythagoras, Zenon, Ariſtoteles, maximarum ſectarum Principes.* Et lib. 2. Inſt. cap. 9. *Pythagorici, Stoici, Peripatetici, qui ſunt*

prin-

principes omnis diſciplinæ. *Horatius* quoque præcipuarum ſectarum authores facit: 2. Serm. 4.

Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

Clemens Alex. lib. 1. Strom. dicit: *poſt ſeptem Sapientes, tres Philoſophiæ ſucceſſiones fuiſſe, Eleaticam, Italicam, Ionicam.* Et pro regionum ac populi genio ipſæ quoque ſectæ variabant. Nam veriſſimum eſt quod *Curtius* lib. 8. cap. 8. inquit: *Ingenia hominum, ſicut ubique, apud illos locorum ſitus format:* & *Agricola* Taciti cap. 11. *Poſitio cæli corporibus habitum dat.* Lacedæmonii triſti & ſevera diſciplina delectabantur, Stoicis affines: verſuti inſuper & acerrimi obſervatores: quod etiam Proverbio locum fecit: Laconum τὰ μὲν ἀδικήματα καινὰ, τὰ δὲ σοφίσματα ἀρχαῖα. In humaniorem & ſuaviorem educationem Athenienſes conſpirabant: Academici voluptatibus nati Phæaces, Epiri populus, Epicuro favebant: de quibus *Horatius* ex Homero 1. ep. 2.

———————— Alcinoique
In cute curandâ plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

& epiſt. 15.

Pinguis ut inde domum poſſim Phæaxque reverti.

Sectæ autem ipſæ in Priſcas & Novas diſtinguuntur. Priſcæ ſunt *Italica* & *Ionica*: ſub qua ipſam Eleaticam, quæ à Xenophonte Colophonio cœpit, nomen autem nacta eſt à Zenone Eleate, comprehendimus. Dubium tamen eſt, utra ſecta prior, Jonicane an Italica? Nam *Thales* Mileſius ante Pythagoram ponitur à *Cyrillo* lib. 1. contra Julianum, & *Euſeb.* lib. 10. προπ. ubi Thales ſapientum vetuſtiſſimus dicitur. Idem *Clemens* lib. 1. Strom. tradit; & *Plinius* lib. 2. cap. 12. parum diſcrepat. Quod ſi à Thalete cœpit Jonica ſecta, jam dubium non eſt quin illa prior ſit Italica. Certe ejus originem à Thalete derivat *Auguſt.* lib. 8. de C. D. c. 2.

Laërtius autem ab Anaximandro Mileſio, Thaletis diſcipulo. lib. 1. de Vitis. Sectæ enim, licet etiam à dogmate nomen ſumſerint, plerumque tamen ab authoribus nominatæ ſunt. *Quintil.* lib. 3. cap. 1. de Theodoro & Apollonio Rhetoribus: *Hi diverſas opiniones tradiderunt, appellatique ſunt inde Apollodorei & Theodorei, ad morem certas in Philoſophia ſectas ſequendi. Lactant.* lib. 2. cap. 9. de Epicuro: *ut nomini ſuo conſtitueret diſciplinam.* Quo facetus ille Gnatho apud *Terentium* act. 1. ſc. 2. alludit: *Tanquam Philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis vocabula: paraſiti itidem ut Gnathonici vocentur.* Nos igitur, quia & parum in hoc ſitum, & res dubia eſt, ab ipſo Pythagora, ſecuti *Euſeb.* lib. 10. πϱοπ. cap. 2. ordiemur; utpote à quo & ipſum Philoſophiæ vocabulum introductum eſt.

CAP. XI.

Italica in Italia, quæ Magna Græcia. Author Pythagoras. Quando vixerit? Ejus peregrinationes. Ezechieli coævus. Nazaratus quis? Multa ex Iudæis hauſit. Filiam Saram, ſe Philoſophum appellavit. Quando in Italiam venerit? Crotonæ mores civitatis emendat. Quid docuerit? Summa authoritas ejus. Diſcipuli. Mores.

HÆc ſecta ITALICA dicitur: quod in Italia cœperit. Nam maxima Italiæ pars à variis Græciæ populis antiquitus inſeſſa erat; ut propterea Italia major Græcia vocata fuerit. *Plautus* in Mænech. act. 2. 1. *Græcia exotica* dicitur. *Iuſtinus* lib. 20. *Prima Dionyſio militia adverſus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus devictis, finitimos quoſque aggreditur, omneſque Græci nominis, Italiam poſſidentes, hoſtes ſibi deſtinat, quæ gentes non partem ſed univerſam ferme Italiam ea tempeſtate tenebant.* Autor ejus Pythagoras fuit, Mneſarchi filius, ut *Apulejus* Florid. 15. vel Demarati Samii, ut *Iuſtinus* lib. 20. vocat. Vir ingenio acer, induſtria ſingulari: promtus ſimul

mul & admirandus : ut qui ſummam ſui admirationem reliquerit. De ejus ætate quantum varient authores, patet ex *Plinio* lib. 2. cap. 8. *Diod.* Sicul. lib. 12. *Livio* lib. 2. qui circa Servii Tulli tempora vixiſſe vult, *Halicarnaſſ.* lib. 2. *Euſeb.* lib. 10. προπ. cap. 3. *Cl. Alex.* lib. 1. Strom. qui circa 60. Olympiadem vixiſſe vult, eoque Aggeum & Zachariam antiquiores eſſe demonſtrat, *Auguſt.* lib. 18. C. D. cap. 37. *Laërt.* lib. 8. *Apulejo* Florid. 15. & aliis. Hic magnis Sapientiæ incrementis ornatus, ſive Tyrannidem Polycratis Samii fugiens, ſive inter captivos Cambyſis abductus, ſive, quæ celebrior fama obtinet, ſponte domo profectus, varias & longe diſſitas regiones diſcendi cauſſa peragravit. Vidit Ægyptios, Arabas, Chaldæos; quin & in Judæam ipſam penetravit, & Carmelum montem coluit, ubi Sacerdotes Pythagoræ ambulacra ſuo etiam tempore oſtendiſſe author eſt *Strabo*. De quibus itineribus copioſe agit *Apulejus* Florid. 15. his verbis: *Celebrior fama obtinet, ſponte eum petiiſſe Ægyptias diſciplinas, atque ibi à Sacerdotibus ceremoniarum incredendas potentias, numerorum admirandas vices, Geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe : ſed nec his artibus animi expletum, mox Chaldæos atque inde Brachmanas & Gymnoſophiſtas adiiſſe. Chaldæi ſideralem ſcientiam, luminum vagantium ſtatos ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominū oſtendere : nec non medendi remedia mortalibus, latis pecuniis, terra cœloque & mari conquiſita. Brachmanes autem pleraque ejus Philoſophiæ contulerunt : quæ mentium documenta, quæ corporum exercitamenta, quæ partes animi, quas vices vitæ, quæ Diis manibus pro merito ſuo cuique tormenta vel præmia. Quin etiam Pherecydem, Scyro ex inſula oriundum, Pythagoras Magiſtrum coluit. Fertur & penes Anaximandrum naturabilia commentatus; nec non Cretenſem Epimenidem, inclytum fatiloquum & Poëtam, diſciplinæ gratia ſectatus; itemque Leodamantem, Creophyli diſcipulum,*

pulum, qui Creophylus memoratur Poëtæ Homeri hoſpes & æmulator canendi fuiſſe. Hæc ille. *Iuſtinus* autem librò 20. Hiſt. ita ejus itinera deſcribit: *Ægyptum primo, mox Babylonem ad perdiſcendos ſiderum motus, originemque mundi ſpectandam profectus, ſummam ſcientiam conſecutus erat. Inde regreſſus Cretam & Lacedæmona ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempeſtate Leges contenderat. Quibus omnibus inſtructus Crotonam venit.* Et *Euſebius* lib.10. προπ. cap. 2. *non Pherecydem ſolum Syrium, ſed Perſarum etiam Magos & Ægyptiorum divinatores audiſſe Pythagoram ferunt eo tempore, quo Iudæorum alii in Babylonem, alii in Ægyptum tranſmigrarunt. Audivit autem & Brachmanas, Indorum Philoſophos.* In Ægypto autem diſcipulus fuit *Sonchedis,* Archiprophetæ Ægyptii, & *Nazarati* Aſſyrii, quem quidam Ezechielem putarunt. De Nazarato autem ſcribit *Alexander* apud Clementem lib. 1. Stromatum. Sed non vult Clemens eum fuiſſe Ezechielem. *Certe* (inquit *Ioh.* Seld: Synt. 2. de Diis Syris cap. 1.) *accuratiſſima Chronologia, Ezechielem & Pythagoram inter* L. & LII. *Olympiadas ſimul floruiſſe docet. Ideo & Nazaratus ille quin Ezechiel fuerit, non adverſatur temporis ratio, & is ipſe eſt* Ζάβρατος, *qui à Malcho in Pythagoræ vita appellatur, ejus præceptor. Nec Conr. Rittershuſius alibi quam in Nazarato, Zabratum ibi quærere debuit. Corruptus igitur eſt aut Malchi, id eſt, Porphyrii (nec enim alius is author eſt, quod ex Eunapii vita Porphyrii & lib. 3.* Cyrilli *ad* v. *Iulianum, unde & Malchum Rittershuſianum & emendes & augeas, facile deprehendimus) aut Clementis codex. Reſcribe igitur, aut in Malcho* Ναζάρατον, *aut in Clemente* Ζάβρατον. *Malim Clementem emendes. Nam* Ζαράτας *Pythagoræ præceptor memoratur apud* Plut. *in* περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. *Anne Zaradum voluere ſcriptores illi? id eſt, Zoroaſtrem Magum. Qui Zarades etiam dictus eſt. Teſtes ſunt luculentiſſimi* Theodoretus *Serm. 9.* & Agathias *Hiſt.* 2.

Certe

Certe Pythagoram Zoroaſtris ſectatorem plerique, ut docet Apulejus, *ſunt arbitrati, atque illum cujus doctrinam amplectebatur Philoſophus, Præceptorem ejus poſteritas forſan æſtimabat. Audire Zoroaſtrem non potuit, quippe eo aliquot ſeculis poſterior.* Hæc *Seldenus.* Sed quod ſupra diximus, Pythagoram etiam in ipſam Judæam penetraſſe, id habet quidem magnos authores, non tamen omnibus placet. *Lactantius* lib. 4. cap. 2. *Equidem ſolemus mirari, quod cum Pythagoras & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios & Magos & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent, ad Iudæos tamen non acceſſerint. Sed averſos eſſe arbitror divina Providentia, ne ſcire poſſent veritatem, quum nondum fas eſſet, alienigenis hominibus religionem Dei veri juſtitiamque cognoſcere.* Contra *Hermippus* Pythagoræus multa & Ariſtobulus Pythagoram ex Moſis lege didiciſſe non diffitetur. *Clem.* lib. 1. Stromatum. *Euſebius* lib. 9. πϱοπ. cap. 3. & *Ioſeph.* lib. 1. contra Apion. Ex recentioribus *Seld.* non alia tantum ſed & Trinitatis nomen Τετϱαγϱάμματον יהוה & cognoviſſe & τετϱακτὺν vocaſſe probabiliter aſſerit. Synt. 2. de Diis Syris cap. 1. Quod tamen vereor, ne audacius dictum ſit. Certe filiæ ſuæ nomen Judaicum impoſuit, quarum duas habebat, Saram & Myjam, ut eſt apud *Photium* Cod. CCLIX. *Apul.* Florid. 15. *Tot igitur doctoribus* (verba Apulei) *tot tamque multijugis fomitibus diſciplinarum toto orbe hauſtis, vir præſertim ingenio ingenti, ac profectò ſupra captum hominis animi auguſtior, primus Philoſophiæ nuncupator & conditor eluit.* Et antiqua vaticinia, ab Ægyptiis accepta, ſibi tanquam divinitus aperta, Italicæ genti attulit: teſte *Conſtantino* Magno in Orat. ad Sacroſ. Synodum, apud *Euſebium* lib. 4. in ejus vita. Nam, domum redux, rarum modeſtiæ exemplum edidit. Cum enim titulis majorum jure meritoque uti poſſet, maluit modeſtiore vocabulo ſuæ modeſtiæ fidem facere. Nam cum

cum majus homine Sapientis nomen eſſe deprehendiſſet, coram Leonte, Phliaſiorum ſive Sicyoniorum Tyranno, non Σοφὸν ſe ſed φιλόσοφον, hoc eſt, ut veteres explicant, τῆς Σοφίας ἐπιθυμητὴν καὶ ἀσπαζόμενον, profeſſus eſt. *Laërt.* lib. 8. *Plat.* 5. de Rep. *Lactant.* lib. 3. cap. 2. *August.* lib. 8. C. D. cap. 2. *Cic.* 2. Offic. 3. Tuſcul. *Seneca* epiſt. 90. lib. 14. *Quintil* lib. 12. cap. 1. *Euſebius* in Chronico & lib. 10. πρϛπ. c. 2. Semper enim in hac vita progrediendum eſſe in Sapientia; ſemper, quod diſcamus, eſſe non ignorabat: ratuſque eſt imitandos ſibi olim ſummos artifices, qui etiam abſoluta opera pendente titulo inſcripſerunt: APELLES, POLYCLETUS FACIEBAT. Σέλευκος βασιλεύς. Λύσιππος ἐποίει. *Plin.* præfat. in hiſt. Nat. *Polit.* c. 1. Miſcell. Ejus etiam modeſtiam poſteri ad unum omnes imitati ſunt, ita ut hodieque Philoſophiæ vox obtineat. *Plato* in Phædro: *Sapientis nomen magnum eſt, ſolique Deo convenit. Viros autem quos nunc deſcripſimus* (deſcripſerat autem Pythagoram & Timæum) *convenientius modeſtiuſque Philoſophos nuncupavimus.* Reſpexiſſe mihi tamen etiam aliam cauſſam Pythagoras videtur. Perantiquum illud amoris Symbolum in Gymnaſiis artium erat; etiam (ut infra memorabimus) in area Academiæ poſitum. Quo denotabant, opus eſſe, in ſtudioſis Sapientiæ, ejuſdem amore: Ita enim omnia facilia fore. Eò enim ipſa voce φιλοσοφίας reſpexiſſe Pythagoram putarim: ut ita Sapientiæ ſtudioſis vel ipſo nomine ſignificaret quo animo ipſis in hoc ſtudio verſandum eſſet. Sunt tamen qui retinendam fuiſſe Sapientiæ vocem cenſent: cum in rerum appellatione non tam ſpectandum ſit quid poſſint homines, ſed indigitanda ipſa rei ſignificatæ natura. *Keck.* lib. 1. præcogn. Philoſoph. cap. 1. *Lactantius* paſſim in libris ſuis hanc vocem ut novam & commentitiam exagitat. *Nos*, inquit lib. 3. cap. 16. *Philoſophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inventum eſt. Sophiam defendimus*,

mus, quia divina traditio eſt: eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur. Et *Quintilianus* procemio lib. 1. Inſtit. hoc nomen inſolentiæ poſtulat, ubi de Philoſophis agens inquit: *nomen ſibi inſolentiſſimum arrogarunt, ut ſoli Sapientiæ ſtudioſi vocarentur.* Quærunt autem eruditi, quo tempore Samius noſter in Italiam venerit? Nonnulli Romulo coætaneum fuiſſe, alii citius, ſerius, vixiſſe tradunt. Sane vulgaris ſententia eſt, ex ejus diſciplina Numam fuiſſe, qui Romulo in Imperio ſucceſſit. De quo, ne diutius ſubſiſtendum nobis ſit, legi poteſt *Ioh.* Bernartius Comment. ad lib. 1. Boët. de Conſolat. Philoſoph. qui tandem cum Ciceron. 1. Tuſcul. ſtatuit: *Superbo regnante eò veniſſe.* Pythagoras igitur, cum in Græciam Majorem rediiſſet, explicare cœpit illud ſcientiarum & Sapientiæ pectus, & oſtendit quid inter tot remotas gentes induſtria & diſcendi ardore profeciſſet. *Iuſtinus* lib 20. *Quibus omnibus inſtructus, Crotonam venit, populumque, in luxuriam lapſum, authoritate ſua ad uſum frugalitatis revocavit. Claudianus* in Mallii Theod. Conſul. meminit Tarenti:

Annon Pythagoræ monitus annique ſilentes
Famoſum Oebalii luxum preſſere Tarenti?

Laudabat quotidie virtutem; & vitia luxuriæ, caſuſque civitatum ea peſte perditarum enumerabat; tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam & obſequia in viros, nunc illos modeſtiam & literarum ſtudium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, conſecutuſque diſputationum aſſiduitate erat, ut matronæ auratas veſtes, cæteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia, delata in Iunonis ædem, ipſi Deæ conſecrarent, præ ſe ferentes, vera ornamenta

matronarum pudicitiam, non veſtes eſſe. In juventute quoque quantum profligatum ſit, victi fœminarum contumaces animi manifeſtant. Hæc *Iuſtinus*. Et ut ad formandos civitatis mores frequenter & nervoſe practicam partem Sapientiæ explicabat: ita ad auditorum ſuorum ingenia expolienda etiam illam, quæ in ſubtili ſpeculatione verſatur, addidit. Nam abſtruſa naturæ & Matheſeos myſteria diligenter inculcabat. Quo ſenſu *Horatio* dicitur 1. Carm. Od. 28.

——— *non ſordidus auctor*

Naturæ, verique.

Iſidorus lib. 3. Orig. *Numeri diſciplinam apud Græcos primum Pythagoram autumant ſcripſiſſe, ac deinde à Nicomacho diffuſius eſſe compoſitam, quam apud Latinos primus Apulejus, deinde Boëtius tranſtulerunt.* Qui etiam de numeris, præſertim ſeptenario, trinario, denario, plane magna myſteria tradidit, quæ ab ipſo Plato hauſit. Vide *Gell.* lib. 1. cap. 20. lib. 3. cap. 10. Subtiliter etiam ratiocinatus eſt in invenienda longitudine ſtatuæ Herculis. lib. 1. cap. 1. Sunt autem duæ Pythagoricæ Philoſophiæ partes, θεολογία & ἠθική. Θεολογίαν cum voco, intelligo ſcientiam quæ Φυσικὴ poſterioribus dicta eſt. Nam Italici hunc Philoſophandi morem habebant, primum agere de Deo, tanquam omnium effectore & cauſſa prima, de ipſis poſtea naturalibus rebus. *L. Danæus* in cap. 9. Auguſt. ad Laurentium. Secutus autem eſt præceptores ſuos, & eorum inventis ſemper aliquid addebat. Præcipuè tamen Orpheo in θεολογίᾳ addictus, cujus Philoſophiam, ſi Jamblicho fides, perpetuo ob oculos habuit. Certe veteribus addictum fuiſſe *Apulejus* tradit in Apol. *Pythagoras vir egregie doctus & veterum æmulator.* Nondum tamen illo tempore ἀκμὴ illa Philoſophiæ advenerat. Nam & mutila erant & obſcura quæ tradebantur. Nulla diſciplina recte & ordine conſtituta. Quanquam enim Ariſtoteles lib. 13. Met. c. 4. dicat,

dicat, *Pythagoræos rationabiliter quadam definiviſſe*: idem tamen addit; id eos nullis feciſſe præceptis, vel vi Dialecticę, quæ tunc nondum fuerit. *Apulejus* lib. 1. de Philoſoph. ſive dogm. Plat. tradit: *Platoni diſciplinam Pythagoricam ratione diligenti & magnifica inſtructam viſam fuiſſe: eumque ab ipſis intellectualem Philoſophiæ partem accepiſſe.* Quod nemo non videt de exiguis quibuſdam initiis capiendum eſſe. Authoritas ejus non apud diſcipulos modo ſed & cives ſumma fuit. Nam apud Metapontinos (quo, relicta Crotone, conceſſerat) tanta ejus admiratio fuit, ut ex decedentis domo templum facerent, eumque pro Deo colerent. *Iuſtinus* lib. 20. *Laërt.* lib. 8. *Pythagoræ domum Metapontini Cereris delubrum vocabant, vicumque ſacratum Muſis.* Fuit etiam communis opinio, ei in Samo à Polycrate Tyranno ſtatuam poſitam eſſe, quam egregie depingit *Apulejus*, qui & illam ſententiam rejicit, Florid. 15. Ortus error ex ſtatuæ pulchritudine. Nam & Pythagoram ſui ſeculi excellentiſſima forma fuiſſe conſtabat. *Apul.* Apol. Ejus quoque, ut & Empedoclis, diſcipuli Pythagorę, dogmata, priſcis Græcis leges fuiſſe *Plutarchus* author eſt περὶ ϛαρκοφαγίας λογ. β. Certe *Auguſtinus* nimium ejus laudibus indulſit, libb. de Ordine, quas lib. 1. Retract. cap. 3. rejicit, eo quod plenus errorum ſit. Suſpicione dominationis vivum in fano concrematum eſſe *Arnobius*, lib. 1. adv. gentes, tradidit. Succeſſit ei in ſchola Theano uxor, ac Telauges & Menaxarchus filii, teſte *Euſebio* lib. 10. πρϙπ. cap. 3. Ex ejus diſcipulis, qui ante Platonem floruerunt, celebriores ſunt Ocellus, Architas, Philolaus, Parmenides. *Ocellus* in media Lucania natus, magnum decus Italiæ, cujus liber priſcæ & reconditæ eruditionis περὶ παντὸς hodieque extat, ex quo multa compilaſſe Ariſtotelem patet. *Architas* Tarentinus quoque vetuſtiſſimus Italiæ Philoſophus fuit. Is eſt qui ligneam columbam arte Me-

chanica volatilem fecit. *Gellius* lib. 10. c. 12. In quo ipſum, patrum noſtrorum ſeculo, æmulatus eſt Regiomontanus. Parmenidem in rupe quadam totos 18. annos Logicis ſpeculationibus vacaſſe tradunt. Philolaus quantus vir fuerit, ex judicio Platonis æſtimari poteſt. Is enim tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm mercatus eſt. *Gellius* lib. 3. cap. 17. Mores Pythagoræorum à jactantia non erant immunes. Omnes enim erant περιαυτολόγοι, & ferè ad putiditatem jactabûndi, ut recte Magnus *D. Heinſius* ad Horat. obſervavit.

CAP. XII.

Ionici. A quo orti? Dicti Phyſici. Chryſippus. Pherecydes. Empedocles. Heraclitus. Democritus. Protagoras. Polemon. Epaminondas. Hippocrates.

SUccedunt Jonici illi qui primi ſectæ nomen dedere. Nam aliàs certum eſt nullibi antiquiores Philoſophos quam in Jonia fuiſſe, de quo ſupra. Sectæ autem nomen dedit ſive *Thales* Mileſius, ut vult *Auguſt.* lib. 8. de C. D. cap. 2. ſive *Anaximander*, ejus diſcipulus. *Laërt.* lib. 1. Cujus egregia inventa late perſequitur *Apulejus* Florid. 18. quem locum ſupra cap. 9. adduximus. Mihi tamen potius à loco dicti videntur, non à certo Philoſopho. Nam varia ejus ſectæ contubernia, &, ut ita dicam, familiæ erant, quæ diverſis placitis innutriebantur: Quidam Thaletem, alii Anaximandrum, nonnulli Democritum vel etiam Heraclitum ſequebantur, cujus ſectæ (ſive familiæ potius) meminit *Apulejus* lib. 1. de Philoſ. *Plato initio Heracliti ſecta imbutus*. Multi tamen Thalem non Mileſium ſed Phœnicem fuiſſe putant, teſte *Euſebio* lib. 10. πρæπ. cap. 2. Dicti ſunt peculiari nomine Φυσικοὶ, quia, relicto priſco Philoſophandi more, quem ſupra in Italicis tetigimus, quo primum agebatur de Deo, tum de rebus naturalibus, ipſi rerum aſpectabilium contemplationi inhærebant. *Danæus* ad Enchirid.

chirid. Laur. Ejus ſectæ acerrima illa ingenia fuerunt, Chryſippus, Heraclitus, Protagoras, alii. *Iuvenal.* Sat. 13.

Chryſippus non dicit idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique ſenex vicinus Hymetto.

Quibus accenſemus Pherecydem, de cujus patria dubitatur. Quidam è Syria, *Euſeb.* l. 10. προπ. c. 2. alii è Scyro, maris Ægei inſula, fuiſſe tradunt. Priori favere Poëtam putant illis verbis ex oraculis Sybillarum hauſtis:

——— *Aſſyrium vulgo naſcetur Amomum.*

Nam & hic innuere Pherecydis dogma de animarum immortalitate, quod Poëta prævidérit nato Chriſto non amplius inter myſteria ſed vulgaria & trita habitum iri, quidam arbitrantur. *Ambroſius* lib. 1. epiſt. 6. de Pherecyde: *Cum ex populo Iudæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus diſciplina derivavit etiam magiſterii præcepta.* Hic ipſius Pythagoræ præceptor fuit, multaque utiliſſima, imprimis animarum ἀθανασίαν, Græcos primus edocuit. Thales quoque Sapientiæ amore ſaucius in Orientem abiit, ibique Ægyptiis ſacerdotibus familiariter adhæſit. *Laërt.* lib. 1. Empedocles verſibus Phyſicam deſcripſit, dictus Horatio in arte. Vir erat acerrimi ingenii, qui omnia ſtudio perennantis famæ poſthabuit. Nam non tantum apud ſuos, dum vivebat, coli & ſuſpici, ſed & mortuus adorari volebat. Quod ut ſuccederet, mirabile facinus & inauditum auſus eſt. Nam ſeipſum in crateres Ætnæ præcipitavit, ut, cum non amplius appareret, ad ſuperos abiiſſe putaretur. *Lactant.* lib. 3. cap. 18. *Horat.* in arte:

——— ——— *Siculique Poëtæ*
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit.

Fraus detecta eſt. Nam crepidæ vi ignis rejectæ apparuerunt & Deum prodiderunt. Inde duo diverſa ingenia exor-

ta ſunt, Heraclitus & Democritus Abderitanus. Hic Σοφία dictus fuit, quod plus eſt, quam ſi Σοφὸν dixiſſent. *Mela* lib. 2. cap. 2. Ille perpetuo ridens, hic perpetuo flens. *Iuvenal.* Sat. 10. 25.

Iamne igitur laudas quod de ſapientibus alter
Ridebat quoties à limine moverat unum
Protuleratque pedem: flebat contrarius alter?
Mirandum eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus.

Uterque tamen σκοτεινὸς nimiumque nubilus fuit, præcipuè tamen Heraclitus, ſeverioris diſciplinæ vir. *Virgil.* in Ætna:

Cogitet obſcuri veriſſima dicta libelli
Heracliti.

Apul. lib. de Mundo: *Heraclitus ſententiarum ſuarum nubilus.* Præclare tamen multa tradiderunt. *Democritus* multa à Barbaris ſe didiciſſe his verbis gloriatur apud *Euſebium* l. 10. προπ. c. 2. *Ego*, inquit, *multo plures quam omnes cæteri homines, qui modò ſunt, regiones peragravi, multas urbes vidi, ſapientes verò audivi, nec quiſquam me in demonſtratione linearum ſuperare potuit. Octoginta annos longè à patria diſciplinarum amore abfui.* Babylonem etiam & Perſas & Ægyptum ut diſceret petiit. Ex Democriti diſciplina Protagoras prodiit: quem, cum animadvertiſſet ingenio ſagaci eſſe, Philoſophias docuit, & eſſe fecit quantus fuit. *Gell.* lib. 5. cap. 3. Qui primus, relicto ſincero & ingenuo Philoſophandi more, ad ſοφίσματα, argutias, & λεπτολογίας animum adjecit. Is *Protagoras*, inquit *Gellius*, *inſincerus quidem Philoſophus, ſed acerrimus Sophiſtarum fuit. Pecuniam quippe ingentem cum à diſcipulis acciperet annuam, pollicebatur ſe id docere quanam verborum induſtria cauſa infirmior fieret fortior. Quam rem Græcè ita dicebat:* τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. lib. 5. cap. 3. *Ovid.* 1. Triſt. el. 1.

Cauſa

Cauſa patrocinio non bona major erit.

Exemplum ejuſmodi argutiarum, ſed quæ authori male ceſſerunt, vide apud *Gell.* lib. 5. cap. 10. *Apul.* Florid. 18. Cum 60. annos vixiſſet, 40. annos ſe juventutem corrupiſſe gloriabatur. *Plato* in Menone. Qui tamen nomen ejus poſteritati conſecravit, inſcripto Dialogo in quo de Sophiſmatis agit, nomine Protagoræ. Melior fortuna Polemonis fuit. Qui cum initio male feriatus eſſet, mox à Xenophonte ad bonam frugem revocatus, ei in Schola & profeſſione ſucceſſit. *Horat.* lib. 2. Serm. 3.

——— Quæro, faciaſne quod olim
Mutatus Polemon? ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubitale, focalia: potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce Magiſtri.

Ad hanc claſſem & ipſum Epaminondam Thebanum referimus: quem *Iuſtinus* lib. 7. ſummum & Philoſophum & Imperatorem vocat. De eodem l. 6. *Iam literarum ſtudium, jam Philoſophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter literas nato.* Omnes tamen exuperavit Hippocrates, vir ſtupendæ eruditionis & accurationis. Qui non tantum omnia priſcorum Philoſophorum ad unguem tenuit, ſed & omnium judicem egit. Primus hic ipſis Ægyptiis palmam præripuit. Illi enim jam ab antiquiſſimis temporibus Medicinæ laudem unice ſibi vendicabant: Repertus eſt tandem Hippocrates Cous, qui eam cum Philoſophia ita junxit, ut dubium ſit, majorne Philoſophus an Medicus fuerit. Certe ejus placitis ſumma ſemper authoritas & quaſi ſacra fuit. Ferunt eum ſingulari modo ad tantam ſapientiam perveniſſe. Erat in Inſula Coo Æſculapii templum priſca religione ſacrum. Ibi curationes ægrorum tabellis inſcriptæ legebantur: & raræ Sapientiæ monimenta jam primis ſeculis collecta erant:

Ea

Ea omnia Hippocrates deſcripta, collecta, probata, examinata, ita perpolivit, ut ipſi uni non reſtitutæ tantum ſed & inventæ Medicinæ laus debeatur. Quanta autem Medicinæ cum Philoſophia, præſertim Phyſica, cognatio ſit, notum eſt: & ipſe Hippocrates Medicinam in lege vocat μάθησιν ἐμφυσιωθεῖσαν.

CAP. XIII.

Socratici, à Socrate. Qui moralem Philoſophiam amplexus. Dæmonem habuit. Cicuta necatus.

ET hæc hactenus de prima illa & priſca Philoſophia. Succedit quaſi renaſcens in Socrate, qui tantum cæteris ſectis anteſtat,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

In qua tractatione dum verſamur, in mentem venit Menedemi cujuſdam: qui Athenienſibus dicere ſolebat, pleroſque eorum Sapientes ſibi videri primum, deinde Philoſophos, tandem Idiotas. Nam, quò longius à primis Philoſophiæ initiis receſſerunt, eò minus cordatæ Sapientiæ remanſit novaturientibus ingeniis. Quanquam autem, uti oſtenſum, celebres ante Socratem Philoſophorum ſectæ fuerint: ipſe tamen primus ſectarum author Græcis dicitur: quod tum maxime illuſtres continua ſucceſſione ex ejus familia prodierunt. Unde *Socrates* & *Socratici* crebrò priſcis pro Philoſophis poſitum invenimus. *Perſius* Sat. 4.

——— barbatum hac crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

& Sat. 5.

——————— teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

ubi in genere excellentem Philoſophum intelligit. *Horat.* in arte:

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

ubi

ubi *Heinſius* putat legendum: *Socratici charta*. Græcos enim ὁ χάρτης dicere, quorum Flaccus ſtudioſus fuerit. *Horatius* lib. 1. Carm. 29. *Socraticam domum* pro Philoſophia poſuit. Sic lib. 3. Od. 21.

Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.

& 1. Carm. 29.

——— *Socraticam & domum*
Mutare loricis Iberis.

Petron. Mox & Socratico plenus grege. Vellejus lib 1. *Philoſophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia. Propert.* lib. 2. el. 34.

Quid tua Socraticis tibi nunc ſapientia libris
Proderit?

Claudianus de Mallii Theod. Conſ.

Quicquid Socratico manavit ab ordine.

Apulejus 10. Mileſ. *Nunc etiam egregii Philoſophi ſectam Socratis præoptant & ſummo beatitudinis ſtudio jurant in ipſius nomen.* Erat vir acutus, feſtivus, laborum tolerans, non tam præceptis quam exemplo docens: quem & *Lactantius* cæteris non paulo cordatiorem fuiſſe concedit, lib. 3. Inſtit. cap. 20. Junior adhuc incredibili cupiditate naturalis ſcientiæ arſit, uti de ſe apud *Platonem* lib. de anima teſtatur. Senior factus eam Philoſophiæ partem, ut dubiam, incertam, inutilem, prorſus repudiavit. Vide *Euſebium* lib. 1. πρæπ. cap. 5. *Lactant.* lib. 3. cap. 21. Quæ tamen non ita intelligenda ſunt, quaſi totam illam Philoſophiæ partem rejeciſſet: ſed vidit prudentiſſimus vir, quantum argutiarum ei adjunctum eſſet intemperie otioſorum Sophiſtarum: quam temere & abſurde etiam de abſtruſiſſimis pronunciarint: diſputationes quoque de cœlo tales haberi, quales ne ab iis, qui diu ſpectandi cauſſa in cœlo morati eſſent, haberi poſſent. Quæ omnia ut nullius momenti re-

jecit, & ad utiliora animum applicuit. *Xenophon* tamen, in libris quos dictorum atque factorum Socratis compoſuit, negat Socratem de cœli atque naturæ cauſis rationibuſque unquam diſputaviſſe. Ac ne diſciplinas quidem cæteras, quæ μαθήματα Græci appellant, quæ ad bene beateque vivendum non pertinerent, aut attigiſſe, aut probaſſe. *Gell.* lib. 14. c. 3. Præcipue excoluit Practicam partem, & illam, quæ rationem in cognitione rerum dirigit, Logicam. Hinc *Galenus* initio libri de ſectis Philoſ. ei inventionem Ethicæ & Logicæ tribuit, & *Apulejus* à Socrate, Platone, Rationalem atque Moralem Philoſophiæ partem accepiſſe ſcribit, lib. 1. de Philoſoph. Non quod integrá earum Syſtemata conſcripſerit: ſed quod eas non leviter excoluit & amplificavit. Summè eum priſci admirati ſunt, non gentiles modo, ſed & Chriſtiani. Certe antiqui Patres eum & μετὰ λόγου vixiſſe & ἀπὸ μέρους agnoviſſe Chriſtum *Iuſtinus* Martyr & alii ſcribunt: Apol. ad Anton. & Senatum. Utebatur Dæmone ἐφέδρῳ ſive domeſtico & familiari: ex cujus præſcripto omnia agebat: de quo, integro libro de Deo Socratis, Madaurenſis agit. Tandem, cum nonnullorum odia in ſe concitaſſet, accuſatus quod corrumperet juventutem & novas ſuperſtitiones induceret (*Quintil.* l. 4. c. 4.) ad cicutæ ſorbitionem condemnatus eſt. *Apul.* 10. Mileſ. *Quintil.* lib. 11. cap. 1. *Iuven.* Sat. 13. *Ovid.* in Ibin:

Sollicitoque bibas veluti doctiſſimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.

CAP. XIV.

Platonici. Iidem fere cum Pythagoræis. Platonis peregrinationes. An ſua ex Moſe hauſerit? An à Phœnicibus? Ejus æmulus Xenophon. Platonici magna authoritatis.

ITa variant Græculi in ſuis hiſtoriis ſcribendis, ut, quos potiſſimum ſequaris, incertum ſit. Hic negat, affirmat alter: placet,

placet, diſplicet, pro ſcriptoris libitu. Ita lectori imponitur. Specimen non unum dedimus. De origine ſectarum varia & diſcrepantia tradunt. Quidam ad Septem Sapientum tempora, alii ad Socratis, nonnulli ad Platonem referunt. Quem primum inſtituiſſe ſectas, ex Græcis *Euſebius* in Chronico tradit; & apud eundem lib. 11. προπ. cap. 1. Ariſtoteles Peripateticus, non Stagirita: *Socratis ſucceſſores varii atque contrarii ſibi ipſis fuerunt.* Excuſari poſſunt, ſi de ſua Græcia tantum loquantur. In qua, ante Platonis ævum, etſi non prorſus nullæ, certe tamen obſcuriores ſectæ erant. Tres tamen celebriores numerantur: Mythica, Jonica, Italica ſive Pythagoræa. Igitur *Plato* primitus Heracliti ſecta imbutus, poſtea verò Socratis diſciplinæ traditus, clariſſimus omnium Philoſophorum evaſit. *Apul.* lib. 1. de Philoſoph. Sub cujus tempora quatuor imprimis ſectæ efflorеſcere cœperunt, toto orbe celebratiſſimæ, *Academica*, *Ariſtotelica*, *Stoica*, *Epicurea*. Verè enim à maximo Poëta dictum lib. 8. Æn.

—— *ſciſſa gaudens vadit diſcordia palla.*

De quo ipſa Philoſophia apud *Boëtium* lib. 1. de conſ. conqueritur. *Lactantius* dicit lib. 7. cap. 7. *Facile eſt docere pene univerſam veritatem per Philoſophos & ſectas eſſe diviſam.* Quarum quatuor ſectarum *Virgilius* in Ceiri meminit:

Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce:
Quatuor antiquis quæ hæredibus eſt data conſors.

Lactantius lib. 5. cap. 3. *Philoſophorum doctiſſimi Plato, Ariſtoteles & Epicurus & Zenon.* Qui tamen aliter quoque eas recenſet l. 2. c. 9. *Pythagorici, Stoici, Peripatetici, qui ſunt Principes omnis diſciplinæ.* Nam illud in antiquorum ſcriptis obſervare pretium operæ eſt, eos Platonicorum & Pythagoræorum nomina ſæpe confundere. Quod propter ſectarum harum convenientiam fieri, nemo non intelligit:

& quia ex Pythagoræ ſecretis pleraque emblemata ſua hauſit Plato. *Apulejus* Florid. 15. *Plato, nihil ab hac ſecta vel paululum devius, Pythagoriſſat.* *Euſebius* lib. contra Hieroclem confut. libri primi: *Plato Pythagoricæ præter cæteros omnes diſciplinæ particeps factus eſt.* Unde *Euſebius* lib. 14. πρ. cap. 2. *Platonem ipſum in ſeipſo conſiderantes Pythagoræum appellamus.* Nam cum Socrates jam rebus humanis valedixiſſet, Plato à Socraticis, quorum tum res in ancipiti erant, ad Pythagoræos defecit, quærens unde proficeret. Biſque petita Italia, in ea audivit Pythagoræos Eurytum Tarentinum & ſeniorem Architam. *Apul.* lib. 1. de Philoſ. Tanta eruditione auctus, animum quoque ad oratoria applicavit, tantumque profecit, ut non tam ab humerorum latitudine quàm orationis amplitudine nomen traxerit. *Laërt.* lib. 3. *Apulejus* tamen priſcæ opinioni conſentit lib. 1. de dogm. Plat. *Platoni habitudo corporis cognomentum dedit. Namque Ariſtocles prius eſt nominatus.* De cujus genere plura ibidem invenies. Quantum Orbi virum daturus eſſet, in ſomnio prævidit Socrates. Nam vidiſſe ſibi viſus eſt, cygni pullum ex altari, quod in Academia Cupidini conſecratum eſt, volaſſe & in ſuo gremio reſediſſe: & poſtea olorem illum pennis cœlum petiiſſe, canore muſico auditus hominum Deorumque mulcentem. Cum hoc Socrates in conventu hominum referret, Ariſto, Platonem puerum oblaturus Socrati magiſtro, commodum proſequebatur. Quem ubi adſpexit ille, ingeniumque intimum de exteriore conſpicatus eſt facie: *Hic erat ille, amici,* inquit, *de Academia Cupidinis cygnus.* *Apul.* lib. 1. de Philoſoph. *Laërt.* lib. 3. *Tertull.* lib. de anima cap. 46. De cujus laudibus multa præclara ſcripſerunt veteres. *Iſid.* Peluſ. ἰλλήνων θη-ςαυρὸν vocat lib. 4. ep. 205. *Fabius* lib. 10. cap. 1. *Philoſophorum quis dubitet Platonem eſſe præcipuum, ſive acumine diſſerendi, ſive eloquentiæ facultate divina quadam & Homerica?*

multum

multum enim ſupra proſam Orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit, ut mihi non hominis ingenio ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtructus. & lib. 12. cap. 9. *Quæ tandem ars digna literis Platoni defuit? Euſebius* l. 10. προπ. cap. 3. circa finem: *Plato omnes qui ante ipſum fuerant, in Philoſophia, tum eloquentia, tum prudentia ſuperavit.* Quarum omnium laudum compendia fecerunt ii qui divinum vocabant: quia is ſummus apud Lacones honos erat, teſte ipſo *Platone* in Menone. Ita *Ariſtoteles: Lacones eum ſolent divinum appellare & ſalutare quem admirantur: O virum divinum! inquiunt.* 7. Eth. cap. 1. Quod ſumtum ex Oriente videtur, qui excellentia Deo attribuunt. Unde arbores Dei, cedri Dei, civitas magna Dei: ἀστεῖος τῷ θεῷ in Actis: & vox Dei, non hominis. Multas & longinquas Sapientiæ ſtudio peregrinationes ſuſcepit: quas compendio refert Madaurenſis. Ad Theodorum Cyrenen, ut Geometriam diſceret, eſt profectus, & Aſtrologiam aduſque Ægyptum ivit petitum, ut inde Prophetarum etiam ritus addiſceret. Et ad Italiam iterum venit, & Pythagoræos Eurytum Tarentinum & ſeniorem Archytam ſectatus. Atque ad Indos & Magos intendiſſet animum, niſi eum bella tunc vetuiſſent Aſiatica: In Siciliam aliquoties, & incendii Ætnæ cognoſcendi, & legum diſcendarum cauſa, profectus eſt. *Quintil.* lib. 1. cap. 19. *Plato non contentus diſciplinis quas præſtare poterant Athenæ, non Pythagoræorum, ad quos in Italiam navigaverat, Ægypti quoque Sacerdotes adiit atque eorum arcana perdidicit.* Quæ ejus peregrinatio omnium celeberrima fuit. Nam in Ægypto præcipuum ſacerdotem Sechnuphim Heliopolitanum, ut Conuphim Eudoxus, audivit. *Cæſar* apud Lucanum lib. 10. ad Achorea, ſacerdotem Ægypti:

——— Cecropium ſua ſacra Platonem
Majores docuere tui: quis dignior unquam

Hoc fuit auditu mundique capacior hoſpes?
Erat autem priſca opinio multumque inveterata, Platonem ex Moſe multa hauſiſſe & in ſcripta ſua retuliſſe. Nam ſummæ inter Pythagoræos authoritatis *Numenius*, Platonem è Moſaicis libris plagio ſurripuiſſe quæ de Deo & mundo habet, tradidit. Unde ejus dictum natum: *Quid aliud eſt Plato quam Moſes Atticiſſans? Heſych.* in vitis Philoſ. *Euſeb.* l. 9. πρϑπ. c. 3. & lib. 11. cap. 6. Cui quum ſagaciſſimi Patres aures darent, hinc factum eſt, ut Platonica Philoſophia ſummæ apud eos authoritatis eſſet. Nam parum à Moſe eam diſcrepare vulgata vox erat. Imo *Cælius* Rhod. l. 16. cap. 65. à Chriſti placitis haud ferè diſſitum Platona putat. *Euſebius* vero ſcribit Platonicam Philoſophiam velut ex Ebræorum lingua in Græcam eſſe tranſlatam, lib. 13. πρϑπ. cap. 1. *Iuſtinus* Martyr in Apologia ad Antoninum oſtendere vult Platonem omnia, quæ aliquam veri ſpeciem habent, ex ſacris mutuatum eſſe. Idem tentat *Euſebius* libro contra Philoſoph. Unde opinio hæc primum nata ſit, incertum eſt. Nam, ſi dogmata Platonis attente conſideres, quid ei tandem commune eſt cum Moſe? Certe ne illa quidem, de qua tantopere gloriantur, animorum ἀθανασία ſibi conſtabit. Niſi tamen iter Ægyptiacum huic opinioni anſam dedit. Nam & circa illa tempora Judæos cum Jeremia in Ægyptum conceſſiſſe quidam parum attenti obſervatores tradebant. Unde alia fabula nata, ipſum Jeremiam Platonis in Ægypto præceptorem fuiſſe: credita *Auguſtino* lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 28. *Fr. Petrarcha* lib. 1. Rerum Memorab. cap. 2. & aliis: vel illos Judæos qui tum Ægypto verſabantur. *Euſeb.* lib. 11. πρϑπ. c. 6. Quos vel ſola temporis conſideratio refellit. Jeremias enim circa A. M. 3320. Plato demum anno 3500. floruit. Intercedunt ergo ducenti anni inter utrumque. De qua controverſia non prolixe tantum ſed & accurate *I. Bernartius*

Digitized by Google

tius ad lib. 1. Boëtii de conſolat. agit. Nonnulli quærunt, qui Moſen legere potuerit Plato, expers Ebrææ Linguæ; quam in illa temporum vaſtitate quotus quiſque vel ex Judæis erat qui teneret? Nam quod Biblia vel ſaltem libros Moſis jam ante Alex. Magnum Græce verſa in Ægypto extitiſſe indeque Platonem cæteroſque ſua hauſiſſe tradunt *Cl. Alex. Euſebius*, quanquam magni nominis viri, tamen, pace illorum dixerim, parum illorum authoritati tribuendum eſt. Nam, præterquam quod nulla ejus verſionis particula amplius extet, unde confirmatio peti poſſit: certum eſt, Judæos ante Alex. tempora nondum adeò cum Græcis verſari cœpiſſe. Vivebant vel in patria terra, vel apud Aſſyrios: ſi qui Græci in Judæam veniebant, non tam Sapientiæ à Judæis diſcendæ quam mercandi cauſa id fiebat. Ipſi verò antiquiores Judæi, ex præcepto Moſis, alieniores à peregrinationibus erant: neque alienorum converſatione utebantur. *Iuſtinus* ex Trogo lib. 36. *Caverunt* (Judæi) *ne cum peregrinis communicarent*. An vero tantum theſaurum, in quo omnis eorum ſapientia recondita erat (*Deut*. 4. 2.) ipſi gentilibus Græcis communicarent? Quod longè poſt vix multis donis precibuſque impetrare potuit Ptolemæus. Reſtat ut ſtatuatur, Ebræam Linguam in Ægypto addidiciſſe Platonem, quod vult *Auguſt*. lib. 8. C. D. cap. 18. & alii, à quibus id tantum nunc poſtulo, feceritne unquam Plato ejus linguæ vel tenuiſſimam mentionem in ſcriptis ſuis? unquamne ea uſus ſit? unquamne ſe eam didiciſſe ſcripſerit? Quod qua ratione ſilentio præterire potuiſſet, qui tantam ſapientiam (ſi vera fides) ex eorum ſcriptis hauſit? Omitto eum Sapientum Ægypti tam frequenter, nec ſine laude, mentionem feciſſe. Quid quod ipſi gentiles faſſi ſunt ſibi lectionem librorum Moſis non adeo bene ceſſiſſe, ut Theopompus & Theodotus apud *Euſeb*. l. 8. πραπ. cap. 1. *Ioh. Serranus* vult Platonem multa dixiſſe quæ

non

non intellexerit, ex Phœnicum Theologia & commentariis hauſta, & Scal. Ex. 61. ſect. 3. Quæ ſententia, ut verum fatear, mihi quidem ſatis proba videtur. Nam quod Phœnicas attinet, erant illi ὁμιλητικοί, mercaturæ dediti, Græcis familiares: crebras quoque colonias in varias orbis partes ducebant. Eorum quoque Theologia ſatis nota: ex qua Muſæus, Linus, Orpheus, & alii priſci Theologi ſua pleraque omnia hauſerunt. Nihil ergo obſtat quo minus ad ejus ſecretiorem notitiam pervenire Plato potuerit, cujus jam ante Pherecydes adyta recluſerat, qui etiam eorum commentaria nonnulla, uti tradunt, in Græciam intulit. Habuerunt autem Phœnices multa cum Ebræis communia, hauſta vel ex cottidiana cum priſcis illis Patribus & nepotibus eorum converſatione, vel etiam ipſius Moſis inſpectione & lectione: cujus ipſi, linguæ non prorſus ignari, participes eſſe poterant. Exinde ergo illa hauſit Plato, quæ toti poſteritati eum admirabilem reddiderunt. Mortuo ſummus ac penè divinus honor à diſcipulis habitus. Singulis annis ejus memoriam tamquam Herois celebrabant, teſte *Euſebio* l. 10. πϱοπ. cap. 1. Coætaneum habuit Xenophontem, &, ut quidam tradunt, æmulum: de qua re vide diſputantem *Agellium* lib. 14. cap. 3. Ex ejus diſciplina prodiit Ariſtoteles, omnium Philoſophorum celeberrimus. Ut non abſque cauſa Plato divinus, Ariſtoteles verò δαιμόνιος antiquis dictus ſit: de quo vide *Cæl.* l. 1. A. L. c. 23. Inter quem & Præceptorem non jam occultas æmulationes ſed manifeſtum odium fuiſſe plurimi tradunt. Nam & Platonem ſæpius de ſui diſcipuli effreni ingratitudine conqueſtum dixiſſe: *Ariſtoteles in nos recalcitravit non ſecus atque in matrem pulli geniti*; *Laërt.* lib. 5. & Ariſtotelem nimis ſuperbe Platonica exploſiſſe & exſibilaſſe aſſerunt. De quo vide Scal. *Iſid.* Peluſiota lib. 4. ep. 91. Quam multa ſcripſit Ariſtoteles contra Platonem, καὶ τὰ δόγματα αὐτῦ κωμῳδῶν ἀλλ'

ὐδὲ

Digitized by Google

οὐδὲ αὐτός τι ὤνησε, πλὴν τοῦ μάχην λόγων τῷ βίῳ γενέσθαι. Cæl. Rhodig. lib. 9. cap. 69. diſcordiam inter Ariſtotelem & Platonem non ex æmulatione, verum ex vitæ ratione diſſimili ortam, docere vult. Uterque tamen, ſi quædam ſiniſterius dicta demas, debitis alterum laudibus affecit. Nam & Plato Ariſtoteli maxima quæque tribuit, & Ariſtoteles mortuo præceptori, præter ingentes laudes, etiam aram, tanquam Deo poſuit: *Ammon.* in vita Ariſtotelis. Cumque ante Platonis tempora Philoſophia nil niſi Chaos fuiſſet & moles abſq; nervis: primus *Plato* tripartitam Philoſophiam copulavit: Naturalem, Rationalem, & Moralem. Et cum principes priorum familiarum, impolitas ſententias & inchoatas auditoribus tradidiſſent, eas hic, cum ratione limando, tum ad orationis auguſtæ honeſtiſſimam ſpeciem induendo, perfectas atque etiam admirabiles fecit. *Apulejus* lib. 1. de Philoſ. *Laërt.* lib. 3. *Philoſophia olim in una Phyſica verſabatur, Socrates adjecit Ethicen, Plato Dialecticam.* De quo imprimis ex Attico Platonico *Euſebius* lib. 9. *πρ.* cap. 1. differit. Non tamen ad illam Methodi *ἀκρίβειαν*, quæ in Ariſtotele conſpecta eſt, adſpiravit. Nam neque ſatis ordinatè de Philoſophia egit: neque ullius diſciplinæ Syſtema compoſuit. Omnia formâ Dialogorum proponit: Sacerdotum Ægypti, Pythagoræ, Timæi, Socratis, authoritati nimium tribuit & raro ex ſolidis principiis diſputat, ut *Trapezuntius* contra Beſſarionem probat. Illud tamen certiſſimum eſt, nullam ſectam majori ſucceſſu de rebus divinis philoſophatam eſſe: ut *Apulejus* Platonicus in Apol. ſcripſit: *Secta iſta etiam cœlo ipſo ſublimiora quædam veſtigavit, & in extremo mundi tergo degit.* Sed mox obſcurata eſt Platonis doctrina, & quaſi cum ipſo authore ejus ſinceritas extincta; ſucceſſores ejus mox novis opinionibus Scholam replerunt: de quo vide *Euſeb.* lib. 14. *πρ.* cap. 2. A Platone profecti ſunt Peripatetici & Stoici. *La-*

ctant. lib. de Ira Dei c. 9. *Qui de Schola Platonis, tanquam rivuli, diverſas in partes profluxerunt, Stoici & Peripatetici.* De quibus nunc agendum eſt.

CAP. XV.

Peripatetici. Eorum author Ariſtoteles. Princeps Philoſophorum. Cujus ſcripta & neglecta & corrupta. Quid in ipſo reprehenſum fuerit? Honores mortuo exhibiti. Theophraſtus. Grammatica Methodica Philoſophiæ pars.

PEripatetici à περιπάτῳ nominati, ſectæ ſuæ conditorem & caput agnoſcunt Ariſtotelem, qui in Xyſto ſeu horto ambulationi accommodato docebat. *Laërt.* lib. 5. *Heſychius*, *Gellius* lib. 20. cap. 4. De quo, ut ille de Carthagine inquit, præſtat tacere quam pauca dicere. In juventute ſtudioſus Platonis auditor fuit, à quo ipſius ſapientiæ fundamenta in omne ævum duratura hauſit. Fuit autem vir ſummi ſtudii inventioniſque incredibilis. *Laërt.* lib. 5. Primus diſperſa Philoſophiæ membra in unum corpus & ſyſtema collegit. Certam argumentandi & mentis utendæ formam præſcripſit in Logicis ſuis. Ethicam à Socrate cœptam feliciter abſolvit: de Phyſicis ita diſſeruit, ut poſt ſe omnes, etiam ipſum Platonem, reliquerit. Navavit utiliſſimam operam in perſcrutanda hiſtoria animalium, de qua quinquaginta fermè volumina ſcripſit. *Plin.* lib. 8. cap. 16. *Quintil.* lib. 12. cap. 11. *Athen* lib. 8. cap. 8. Quæ inexhauſti ingenii immortalia monumenta tantum laudis ei pepererе, quanta in mortalem cadere poteſt. Quædam ejus encomia, hinc inde collecta, apponemus. *Quintil.* lib. 10. cap. 1. *Quid Ariſtotelem? Quem dubito ſcientia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem.* & l. 12. c. 11. *Ariſtoteles didicit, ut non ſolum quæ ad Philoſophos atque oratores pertinent ſcientia complecteretur, ſed animalium ſatorumque*

torumque naturas omnes perquireret. Galenus, quanquam plerumque in eum iniquior, tamen lib. 3. de diſt. pulſ. c. 7. lib. de Sympt. cauſ. cap. 8. peritiſſimi omnium Philoſophorum & in ratiocinando vehementiſſimi laudem ei tribuit. Ipſe *Plato* eum ἀληθείας φιλόσοφον & Scholæ ſuæ νοῦν vocavit. *Plinio* vir immenſæ ſubtilitatis eſt lib. 8. c. 34. *Apulejus*, lib. de Mundo, eum prudentiſſimum & doctiſſimum Philoſophorum vocat. Sancti quoque Patres ſingularem laudem ei tribuunt. *Cyrillus* lib. 2. Theſauri cap. 3. *Sapientiam hujus mundi ex diſciplinis Ariſtoteles unice derivat. Hieronymus* in Reg. Monach. cap. 11. (ſive ut alii citant 3. parte Epiſt. 14. cap. 11.) *Ariſtoteles ſapientum Princeps, prodigium grandeque miraculum in tota natura, cui pene videtur infuſum, cujuſcunque naturaliter capax eſt ingenium humanum*. Idem in cap. 3. Jonæ teſtatur: *quoſdam honoris ergo numiſmata ænea ſignaſſe ejus imagine, quorum in adverſa parte*, Naturæ miraculum, *eſſet inſcriptum. Cyrillus* Alex. lib. 1. adv. Julianum teſtatur: Græcis Ariſtoteleam gravitatem ſententiarum maximam & uſque ad miraculum videri. Quid majus ad commendationem, quàm quod Alexandro Magno ſolus ex tot Philoſophis Præceptor electus eſt? *Agell.* lib. 9. cap. 3. *Plut.* lib. 1. de fact. Alex. *Dion.* Orat. 49. *Quintil.* lib. 1. cap. 1. *Gell.* lib. 9. cap. 5. *Hieron.* epiſt. 3. ad Læt. Nam Alexander, cum amico Philippi Antipatro, Athenas miſſus (*Juſt.* lib. 9.) acerrimis literarum ſtudiis eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquennium ſub Ariſtotele, doctore inclyto omnium Philoſophorum crevit. lib. 12. A quo virtutes illas, quibus orbi jugum impoſuit, hauſit: uti à Leonide Pædagogo vitia, quæ robuſtum quoque & jam maximum Regem ſunt proſecuta. Libros plurimos ſcripſit: quorum maxima pars amiſſa eſt. Logicos quadringentos ſcripſiſſe *Laërt.* lib. 5. & Galenus lib. an ſanguis ſit in arteriis cap. 7. tradunt. Alii ſexaginta. Ex-

cepit eos miſerabilis fortuna. Nam, poſt Theophraſti mortem, multum remiſerunt Græci de illa ἀκριβείᾳ, adducti ad inanem verboſitatem & infinitas lites: Hinc pauci libros Ariſtotelis curabant, maxima pars eos negligebat, quod nihil conferre ad picturatam orationem & λογοδαιδαλίαν viderentur. Præclare *Strabo* hac de re diſſerit lib. 13. veteres Peripateticos, poſt demortuum Theophraſtum, paucos Ariſtotelis libros habuiſſe & fere ſolos exotericos: atque inde factum, ut non potuerint Philoſophari πραγματικῶς, ſed tantum θέσεις ληκυθίζειν. Plura de calamitate librorum Ariſtotelis habet *Ioach.* Perion. Orat. 1. contra P. Ramum. Nam *P. Ramus*, poſtquam ei ſemel bellum internecivum indixerat, interdum omnino negabat, hos qui extant libros eſſe Ariſtotelicos, quod illud aureum orationis flumen, quod eis Cicero tribuit, non appareat: modo à tineis blattiſque ita exeſos volebat ut agnoſci non poſſint. Utrique *Perionius* duabus orationibus anno 1544. luculenter reſpondit. Manet tamen hæc hodieque inter Peripateticos & Rameos controverſia: An, quę hodie habemus, ſint Ariſtotelis illius Stagiritæ γνήσια ſcripta? in qua quæſtione Ramei valde lubrici & inconſtantes ſunt. Modo nihil ſcriptorum Ariſtotelicorum nobis ſupereſſe, modo aliquid, modo omnia, ſed valde corrupta, non ſolum quoad accidentia, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ſtatuunt. Habuit vero, etiam inter antiquos, ſuos Zoilos: de quibus vide Euſebii librum contra Philoſophos. Præcipui fuerunt Epicurus, Timæus, Alexinus Eriſticus, Eubulides, Demochares, Lycon Pythagoricus, qui graviſſimas & intolerandas calumnias in eum evomuerunt. Hi ſunt illi (inquit *Ariſtocles* Peripateticus l. 7. de Philoſophia apud *Euſeb.* l. contra Philoſ. c. 1.) qui Ariſtotelem criminati ſunt; omnes tamen aut Sophiſtæ, aut Eriſtici, aut Rhetores, quorum nomina & libri ſimul cum corporibus interierunt. Qua de re & Plu-

tarchi

tarchi decretum extat: *Eorum omnium, qui ſcribunt in Ariſtotelem, etſi tota diſciplina ſapienter inſtituta ſit, tamen propter audaciam criminandi à cœtu Philoſophorum excludantur:* quod tamen edictum non adeo probat *Ioh.* Riolanus lib. 1. anthropogr. cap. 3. Iniquior fuit in aliorum ſcriptis citandis & refutandis. Pleraque enim eorum detorſit: pleraque, ſuppreſſo nomine, inter ſua retulit. Speuſippi Philoſophi pauculos libros emit talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit noſtri numi HS duo & LXX millia. *Gell.* lib. 3. cap. 17. Obſervatum quoque eſt, ex libro Ocelli Lucani Pythagorici περὶ παντὸς, eum pleraque in librum de Mundo tranſtuliſſe. Qui tamen, uti multi viri docti judicant, non eſt Ariſtotelis. Demortuo Stagiritæ cum monumento altare conſtruxerunt, locumque eum Ariſtoteleum appellarunt, diemque feſtum ejus memoriæ ſtatuerunt, idque ſuo adhuc tempore duraviſſe teſtatur, *Ioh.* Mandevill. in Itinerario ſuo c. 2. qui circa annum C. 1322. illas regiones viſitavit. Theophraſtus ſucceſſor, teſtamento juſſit, ut imago Magiſtri poneretur in templo. *Laërt.* lib. 5. in Theophraſto. Pomponius Atticus ejus ſtatuam ſupra ſuam domeſticam ſedem collocaverat. *Cic.* lib. 4. epiſt. ad Att. 9. Succeſſorem vivus adhuc nominavit Theophraſtum: quod quomodo factum ſit, vide apud *Gell.* lib. 13. cap. 5. Is erat è Leſbo, Tythamus nomine: & quod eſſet ſuavitate inſigni linguæ pariter & vitæ. Euphraſtus tandem, Ariſtotele authore, propter incredibilem dicendi ſuavitatem Theophraſtus dictus. *Cic.* lib. de Orat. *Plin.* in præfat. *Quintil.* lib. 10. c. 1. *Diog. Laërt.* l. 5. in Theophraſto. Illud non eſt prætermittendum, circa Ariſtotelis tempora Grammaticam, quæ vocatur Methodica, Philoſophiæ adjunctam eſſe. Nam cum olim tantum in ſcribendi & legendi ratione conſiſteret (unde apud *Diod.* Sicul. lib. 12. in antiquis Charondæ legibus vocatur, ἐπιστήμη τοῦ ἀναγινώσκειν καὶ γράφειν, & Ariſtot. 6. Top.) poſtea

Digitized by Google

ad variam cognitionem extendi cœpit, complectens Criticam & univerſam literaturam: de quo vide *Voſſium* lib. 1. Gramm. cap. 1. Methodicam invenit Ariſtoteles: qui & antiquorum Iſei & Lampri meminit l. 2. Magn. Moral. c. 7. eumque ſecutus eſt Epicurus. *Laërt.* poſtea etiam Stoici. *Dicamus ergo quod verum eſt* (inquit *Keck.* tract. 2. præcogn. Logic. cap. 2.) *ſolam Peripateticam ſectam Deum hac gloria & honore dignari voluiſſe, ut quæ Plato & alii confuſa, ſine Methodo & ordine, ſemiplena, imperfecta, per floſculos metaphorarum & fabularum involucra tradidiſſent, ea Ariſtoteles primus humano generi traderet ſub forma methodi dextra, regulatæ & quarum partes omnes plenæ.*

CAP. XVI.

Stoici. Veteres & Novi. A Zenone Zenonii. A Stoa Stoici. Eorum dogmata. Authoritas. Chryſippus. Ariſto Chius.

STOICI poſt Peripateticos omnium optimi & celeberrimi Philoſophi fuerunt. Eodem tempore cum Academicis cœperunt, & diutiſſimè durarunt, imo diutius quam ulla alia ſecta. *Adrianus* Turnebus in Apologia ad lib. 1. de Legg. eos novis Philoſophis accenſet. Nam à Cicerone Academicos & Peripateticos veteres, Stoicos contra & Neo-Academicos, novos Philoſophos appellari vult. *Cur autem obſecro*, inquit, *antiquos eos appellat? annon quia nova Stoicorum poſtea ſecta ſuccreverit. Zeno enim, relicta veteri diſciplina, multa in Philoſophia novavit, cui mox ſe Arceſilas oppoſuit.* Alii etiam Stoicorum diſciplinam Academiæ veteris correctionem exiſtimabant, ut ait Cicero. Quod ſi verum, jam ratio nulla eſt, cur non & ipſi Peripatetici novis accenſendi ſint Philoſophis? Nam Ariſtoteles, ſi quiſquam alius, ſua placita priſcis Philoſophis directe oppoſuit, & totam priſcæ Philoſophiæ faciem ſtudio novitatis mutavit. Res tamen ex Cicerone certa eſt, qui claſſes Philo-

Philoſophorum ita diſtinguit, lib. 5. de finibus: *Antiqui, quos eoſdem Academicos & Peripateticos nominamus.* Iterum: *Ergo inſtituto veterum quo etiam Stoïci utuntur, hinc ordiamur.* & lib. 1. de Legg. *Plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum.* & lib. 4. de finibus oſtendit inter Zenonem & Peripateticos nihil pręter verborum novitatem intereſſe. Lib. 3. de finibus Zenonem non tam rerum quam verborum novorum inventorem vocat. Hic perſpicue à veteribus, id eſt, ab Academicis & Peripateticis, Stoicos, ut novos diſtinguit. & lib. 1. de Legg. *Stoici rebus non commutatis immutarunt vocabula.* Ipſi tamen Stoici diſtinguebantur in Veteres & Novos. Patet hoc ex *Cicerone* lib. 3. de Legg. *De Magiſtratibus ſunt propria quædam à Dione* (legendum eſt *Diogene* ex lib. 2. de Div. & 3. Offic. ut *Turnebus* monet) *Stoico quæſita ſubtilius, & Panætio. Nam veteres verbo tenus acuti illi quidem, ſed non ad hunc uſum popularem atque civilem de Republ. diſſerebant.* Manifeſte Diogenem, qui Babylonius vocatur 3. Offic. & in nobili illa legatione cum Carneade & Chryſippo Romæ fuit, & Panætium à priſcis illis Stoicis diſtinguit. Ut non improbabile ſit, reſpexiſſe eum ad Stoicos, ſed novos hos, qui ſingulari eloquentia pollebant & rerum Politicarum callentiſſimi erant. Hujus ſectæ primus author & conditor *Zeno* fuit, natione Cyprius, ex Cittio oppido Græcanico, ſed quod Phœnices incolas habuit. *Laërt.* *Strabo* eum lib. 14. τ̃ Στωϊκῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτην vocat. *Cicero* pro Muræna: *fuit quidam ſummo vir ingenio, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur.* A quo cum initio *Zenonii* dicerentur: poſtmodum à porticu, ἀπὸ τ̃ ςοᾶς, Stoici dicti ſunt. Nam publicum ſuum Gymnaſium habebant in porticu, quæ Πεισιανάκλειος & Ποικίλη à ſculptura vocabatur: à quo etiam Poëtæ, qui in porticu morabantur, Stoici dicti ſunt. *Laërt.* l. 7. in Zenone. *Perſius* Sat. 3.

Quæque

Quæque docet ſapiens, braccatis illita Medis,
Porticus.

Is Zeno initio audivit Cratetem Cynicum: ſed verecundia prohibitus eſt, ne ſe in illam ſectam daret. Ingenio erat capaci, acuto, vegeto & vivido. Quo factum, ut novitati rerum & verborum ſtuderet. Imprimis tamen & ipſe & ejus ſectatores dediti erant Logicis ſpeculationibus: quam artem ſibi velut propriam vendicabant, ſolum Logicum ſapientem dicentes. *Laërt.* lib. 9. Quæ cum ab initio bene conſtituta eſſet, mox eam Zenonii in meram Sophiſticen tranſmutarunt; inde ἐριστικοὶ dicti. Manſit iis propria velut ſubtilitatis laus. *Perſius* Sat. 5.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Quintil. l. 12. c. 2. *Stoici nullos aut probare acrius aut concludere ſubtilius contendunt.* *Cicero* lib. 1. de Legg. doctiſſimos viros & lib. 2. ſapientiſſimos vocat. Singularis quædam majeſtas & excellentia in eorum dogmatis apparebat. Nam de Deo, Providentia, rerum humanarum caſibus dexterrime docebant. *Lipſius* lib. 1. de Conſt. c. 18. *Illud Elogium ſerio Stoicorum genti do, non aliam ſectam Majeſtatem ſuam & Providentiam Deo magis aſſeruiſſe, non aliam homines ad ætherea & æterna traxiſſe magis.* *Hieron.* in caput 40. Eſaiæ: *Hi* (Stoici) *noſtro dogmati in pleriſque concordant, nihil appellant bonum niſi ſolam honeſtatem, nihil malum niſi turpitudinem.* *Lipſius* 1. Miſcell. epiſtola 97. & 33. *Ex Philoſophis omnium accomodatiſſimè ſcripſerunt ad Chriſtianam veritatem.* Idem Cent. 1. ep. 33. *Scio non alios è priſcis magis conſentire cum Chriſtiana pietate quam eos qui è Stoica domo.* Nemini autem obſcurum eſſe poteſt, unde ad tantam ſapientiam pervenerit Zeno. Nam cum ex Cittio oriundus fuerit, quod Phœnices incolas habuit, dubio procul ex eorum monumentis & myſteriis illa, quæ cum divina veritate adeo concordant, hauſit. Præcipuè quæ de Providentia tradi-

Digitized by Google

tradidit. Cyprus autem vicina Palæſtinæ & Ægypto: imo ab utriſque habitata, & cui multa accepta refert. Floruit autem omnibus ſeculis vel omnium maxime hæc ſecta: cui primus conditor ſingularem authoritatem acquiſivit. Nam Zeno in tanto apud Athenienſes æſtimio fuit, ut corona aurea donarent: ipſi aram conſecrarent: dubiiſque temporibus claves urbis apud eum deponerent. Certatim igitur undique juventus non Attica ſolum ſed & totius Græciæ ad eum confluebat. Reliquit diſcipulum *Chryſippum*, acutiſſimum omnium Philoſophorum; unde Chryſippeum acumen: qui tamen primus corrupit & enervavit virilem ſectam ſpinoſo acumine quæſtionum. *Lipſius* lib. 1. de conſt. capite 10. Iidem multa contra Ariſtotelem φεφξάμενοι ſcripſerunt, ut *Iſid.* Peluſiota lib. 4. ep. 91. & 55. loquitur. Inter ſe & ipſi valdè diſcordes erant: alii magis, alii minus ſe Stoicos profitebantur: omnia factione erant plena ſtatim ab initio, teſte *Euſebio* lib. 14. πρῶπ. cap. 2. Inventus etiam in ipſa Zenonis ſchola qui peculiarem ſectam moliretur, *Ariſto* Chius. Is vero rejecta Zenonis de rebus mediis opinione (vide *Laërt.* in Zenone, *Cic.* 2. de Fin.) peculiaria quædam dogmata tradidit. *Cic.* lib. 1. de Legg. *Ariſtonis difficilem atque arduam ſed jam tamen fractam & convictam ſectam ſecuti ſunt.* Cæterum abſurdiſſima dogmata plurima habebant, quæ (ne actum agamus) ordine ex priſcis, Laërtio, Muſonio, Plutarcho, *Heinſius* lib. 2. de Satyra Horat. deſcribit. Adeo ut *Clemens* 5. Strom. obſervet, Spiritum S. non fruſtra hos cum Epicuri ſectatoribus, qui utrique maxime abſurda tum docerent, conjunxiſſe. Unde & utroſque S. Paulo docenti maxime adverſatos.

Digitized by Google

CAP. XVII.

Epicurei ab Epicuro. De quo varia judicia. Laërtius Epicuro addictior. Odia eorum cum Stoicis. Qua ratione ſectam ſuam amplificarint? Nulla inter eos diſcordia, nec tranſitus ad alias ſectas. Cyrenaici ab Ariſtippo. Vanitas Philoſophorum.

EOdem fere cum Stoicis tempore, exorta eſt quarta ſecta, EPICUREA. Cujus prima fundamenta Leucippus jecit, à quo eruditus Democritus, ſtultitiæ hæreditatem Epicuro reliquit, in quem omnis vanitas de Leucippi fonte profluxit. *Lactant.* lib. 3. cap. 17. & libro de Ira Dei cap. 10. Nam Epicurus ſtudio inveniendi nova, ut nomini ſuo conſtitueret diſciplinam, quia nihil novi potuit reperire, ut tamen diſſentire à cæteris videretur, vetera voluit evertere: in quo illum circumlatrantes Philoſophi omnes coarguerunt. Idem lib. 2. cap. 9. De ejus ſecta antiqui diverſimode judicant. Quidam impiam fuiſſe volunt & execrandam: Epicurum enim contemſiſſe Dialecticam: mundum ex atomis compoſuiſſe: felicitatem in voluptate poſuiſſe volunt. *Cicero* lib. 4. Acad. Quæſt. *Euſeb.* lib. 4. Præpar. Euangel. præcipue autem nullos eſſe Deos, ut ex Poſtidomo *Tullius* & ex eo *Lactant.* lib. de Ira Dei cap. 4. tradit. Alii contra & authorem & ipſam ſectam excuſant, erroreſque mitigant: ut *Seneca* in Epiſtolis & lib. de vita beata. *Gellius* lib. 2. cap. 6. 7. 8. *Ælianus* lib. 4. de varia hiſtoria. *Laërt.* in Epicuro lib. 10. *Eraſmus* in Colloquiis, *Ob.* Giſan. præfat. in Lucretium. Sed cum manifeſta ſint ejus impia dogmata: de Deo, Providentia, Mundo, fine hominis, Animâ: turpiſſimum cenſeo, reperiri ejus patronos: qui, dum palato quid ſit optimum judicat, cœli palatium, ut ait *Ennius*, non ſuſpexit. *Cic. Iſid.* Peluſiota lib. 2. epiſt. 230. Ἐπικούρου τοῦ παρὰ πάντων τῶν σοφῶν ἀποκηρυχθέντος: & lib. 4. epiſt. 55. Ἐπικουρείων ἢ τῶν τῇ κακίᾳ ἐπικουρῆσαι τολμησάντων καὶ μεμνη-

μιμνῆσθαι ἀπτώπτολον. *Gellius* lib. 9. cap. 5. *Taurus noſter, quoties facta mentio Epicuri eſſet, in ore atque in lingua habebat verba hæc Hieroclis Stoici viri ſancti & gravis:* ἡδονῆς τέλος; πόρνης δόγμα, ἀπίσω πρόνοια: οὐδὲν πόρνης δόγμα. *Lactantius* etiam lib. 3. cap. 17. nec ſapientem hunc fuiſſe nec ſanum cenſet. *Horat.* lib. 1. Carm. 34.

Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro.

Sed de Laërtio illud notandum eſt, ex multis locis patere addictiorem fuiſſe Epicuro. Quo minus mirandum eſt, optima quæque de Epicuro eum tradere, utpote quem vocat virum temperantem, pium, bonum, Dei & amicorum ſtudioſum. Præcipua huic ſectæ contentio fuit cum Stoicis: inter quos pugna perpetua fuit regaturne Providentiâ Mundus? *Quintil.* lib. 5. cap. 7. *Lactant.* lib. 1. cap. 2. Iidem ſæpius exacerbatis animis ad convicia progreſſi ſunt. *Quintil.* lib. 6. cap. 4. *Caſſius Severus cum objurgaretur à Prætore, quod advocati ejus L. Varo Epicureo Cæſaris amico convicium feciſſent; neſcio, inquit, qui conviciati ſint, & puto Stoicos fuiſſe.* Plurimi autem omni ævo ejus ſectæ aſſenſores fuerunt & ſectatores: quod ejus placita neſcio quas delicias & εὐζωΐαν vulgo prima fronte pollicerentur. *Lactantius* lib. 3. cap. 17. *Epicuri diſciplina multo celebrior ſemper fuit quam cæterorum: non quia veri aliquid afferat, ſed quia multos ad populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Præterea, ut ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquitur. Deſidioſum vetat literas diſcere, avarum populari largitione liberat: ignavum prohibet accedere ad Rempublicam, pigrum exercere, timidum militare. Irreligioſus audit Deum nihil curare: inhumanus, & ſuis commodis ſerviens, jubetur nihil cuiquam tribuere: omnia enim ſui cauſa facere ſapientem: fugienti turbam ſolitudo laudatur. Qui nimium parcus eſt, diſcit aqua & polenta vi-*

tam poſſe tolerare. Qui odit uxorem, huic enumerantur cœlibatus bona : habenti malos liberos orbitas prædicatur, &c. Induſtriam eorum laudat *Cicero* l. 1. de fin. ubi cum de Phædro & Zenone Epicureis egiſſet; *Vtrumque audivi*, inquit, *cum mihi nihil ſane præter ſedulitatem probarent.* Erat igitur eorum Philoſophia varia & multiplex, pro diverſo ſectatorum ingenio. Huic placebat rigidior vita & adſtrictior, illi liberior : hic erat temperans, ille nimium in voluptates profuſus. Quiſque pro lubitu ſibi beatitudinis ſuę terminum & finem ponebat ex Magiſtri præcepto. *Ita homo aſtutus* (inquit *Lactant.* l. 3. c. 17.) *ex variis diverſiſque moribus circulum collegit : &, dum ſtuduit placere omnibus, majore diſcordia ſecum ipſe pugnavit, quam inter ſe univerſi.* Quamvis autem diverſi diverſos fines haberent, nulla tamen inter eos diſcordia : omnes pro præceptore tanquam pro aris & focis pugnabant. *Euſeb.* l. 14. προπ. c. 2. *Epicurei, cum ſapientem putarent Epicurum fuiſſe, multis poſt eum temporibus aut illi aut alter alteri contrarium dixerunt, ſed impietatis crimine inquinatus videtur, qui novum aliquid dicere audeat: ita magna quædam inter eos concordia eſt. Itaque firmiter atque concorditer Epicurum defendunt, ut etiam impoſterum ſecuturi videantur.* Et notavit antiquitas, cum in tam variis ſectis alii ad alias ſubinde tranſirent, Stoici ad Peripateticos, Peripatetici ad Platonicos, & contra; ſolos Epicureos ita ſectæ ſuæ adhæſiſſe, ut ad aliam non tranſirent. Cujus rei cauſam Arceſilas rogatus hanc protulit: *Quod ex viris Galli fiant, ex Gallis viri nequaquam.* *Laërt.* lib. 4. c. 6. Innuens tam altas in Epicureorum animis voluptatem radices egiſſe, ut nulla arte ſanabiles fuerint. Affinis huic ſectæ altera minorum gentium erat, *Cyrenaica*; cujus conditor *Ariſtippus* fuit. *Apulejus* Florid. 22. *Ariſtippus ille Cyrenaicæ ſectæ repertor, ſummum in voluptate corporis bonum poſuit.* *Quintil.* lib. 10. cap. 2. *Laërtius* lib. 2. fortuna præſenti utebatur, ad

ejuſque

ejuſque nutum ſe accomodabat. *Horatius* libro 1. epiſtola 17.

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res,
Tentantem majora, ferè præſentibus æquum.

In hoc enim ſumma doctrinæ Ariſtippeæ fuit, ut ſcribit *Ælianus* lib. 14. variæ hiſtoriæ cap. 6. προσέταττε ἐφ᾽ ἡμέραν τὴν γνώμην ἔχειν, καὶ αὖ πάλιν τῆς ἡμέρας ἐπ᾽ ἐκείνῳ τῷ μέρει καθ᾽ ὃ ἕκαστος, ἢ πράττει τι ἢ ἐννοεῖ. μόνον γὰρ ἔφασκον ἡμέτερον εἶναι τὸ παρόν. Ideo cæteras omnes diſciplinas præter Moralem excluſit, illud ſolum eſſe utile putans, ut quæras ſi quid domi boni aut mali tibi contigit: ut ex Plut. refert *Euſebius* lib. 1. προπ. cap. 5. Maxime mirandum eſt, tot mirabiles eo tempore opiniones, & abſurdas & impias, ſub honeſto Philoſophiæ titulo latitaſſe. Et in ipſis Philoſophorum ſectis plurimæ adhuc familiæ & contubernia opinionibus inter ſe diviſa inveniebantur. Ut plane appoſitum ſit quod S. Paulus de his Philoſophorum divortiis ſcripſit: ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν: καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν. Alibi etiam hanc Philoſophiam, quæ non ſolidis naturæ principiis ſed ſuis figmentis indulget, κενὴν ἀπάτην vocat. *Heinſ.* ad Act. 17. 18. *Rabini per Epicureos omnes illos intelligunt qui vera Religionis fundamenta vel negant vel ſpernunt. Adeo quidem ut hos iis, quibus nulla futuri ſeculi pars eſt, Thalmudiſtæ adjungant. Gemariſtæ Epicureum proprie gentilem dici notant.*

CAP. XVIII.

Sectæ Minores. Cynici. Dicti ab impudentia canina. Vel Cynoſarge. Publicè coibant cum fœminis. Stoicis affines. Diogenes. Pyrrhonii. An Secta? A dubitatione ad ignorantiam & ἀκαταληψίαν progreſſi. Dicti Sceptici. In quo differant à Nova Academia? Megarenſes ab Euclide.

PRæter has quatuor Majores ſectas, erant variæ adhuc, neque celebritate neque frequentiâ cæteris comparandæ: ut Cynica, Pyrrhonica; & aliæ, quas, diſtinctionis cauſa, Minores dicimus. CYNICA ſecta unde dicta ſit, ambigunt priſci. Quidam à canina impudentia nomen tuliſſe volunt. *Heſych*. in vitis, *Laërt*. lib. I. Erant enim ſpurcis moribus, ἀναιδεῖς, honeſtatem, quæ in externo cultu conſiſtit, ſuſque deque habentes. Unde *Prudentius* ab illuvie & ſordibus *Hircoſos* vocat. Hircus enim antiquis pro δυσωδίᾳ ponebatur. *Catullus*:

——— ——— tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

Quo reſpicit *M. Accius* Plautus in Perſa, act. I. ſc. 3.

Cynica eſſe è gente oportet Paraſitum probum,
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat.

Plaut. Menæchm. act. 5. ſc. I.

Non tu' ſcis mulier, Hecubam quare canem Graii dicant?
Quia idem faciebat Hecuba quod tu nunc facis,
Omnia mala ingerebat quemque aſpexerat.
Itaque adeò jure cœpta eſt appellari canis.

Hom. ιλ. α.

——— ——— κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων.

Singulare impudentis animi exemplum in Cratete Cynico habemus. Qui, cum virgo Nobilis eum maritum optaviſſet, duxit eam in porticum. Ibidem, in loco celebri, & luce clariſſima accubuit: coramque virginem imminuiſſet, paratam

ratam pari conſtantia; ni Zeno, procinctu palliaſtri, à circumſtantis coronæ obtutu Magiſtrum in ſecreto defendiſſet. *Apulejus* Florid. 14. Quo reſpexit *Lactantius* lib. 3. cap. 15. *Nam quid ego de Cynicis loquor? quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, ſi à canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt?* Ex *Quintiliano* patet, Scholaſticos interdum exercitii loco Cynicos impuritatis accuſaſſe. Sunt tamen qui nomen hoc laudabile & honorabile exiſtiment, ut *Empiricus* lib. 1. Pyrrhon. cap. 14. ubi canem laudaſſet à ſagacitate, quod commoda appeteret, incommoda vitaret, mala agnoſceret & mitigaret, ſed & juſtum, memorem ac gratum eſſe, animoſum & malis infeſtum: addit, inde factum videri, ut Philoſophi quidam Cynici ſe hujus animalis cognomine commendarint. Aliud tradit *Laërtius: Docebat*, inquit, *Antiſthenes in Cynoſarge Gymnaſio, haud procul à portu, unde & Cynicam ſectam dictam ſunt qui opinentur.* Ipſe quidem appellabatur ἁπλοκύων, & Diogenes οὐράνιος κύων. Cynoſarges autem locus erat Athenis in quo ſpurii exercebantur, ut notat Eraſmus in Adagiis. Poſſunt etiam ab humilitate ita dicti eſſe. *P. Mela* l. 2. c. 2. *Eſt Cynoſſema tumulus Hecubæ, ſive ex figura canis, in quam converſa traditur, ſive ex fortuna, in quam deciderat humili nomine accepto.* Sed certum eſt ab impudentia canina ita nominatos eſſe. Nam & mordaces erant & ἀναιδεῖς. *Horat.* 1. ep. 17.

Mordacem Cynicum ſic eludebat.

Unde & *canina facundia* & *canina verba* dicta ſunt. *Ovid.* in Ibin:

Iactat & in toto verba canina foro.

Et:

Latrat & in toto verba canina foro.

Lactant. lib. 6. cap. 18. *Cicero caninam facundiam, ut Appius inquit, exercuit. Quintil.* lib. 12. cap. 9. Et fœminæ cani-

canibus comparatæ. Helena ſæpè κύων dicta eſt ab Homero & Lycophronte, ob immoderatam libidinem. Canes enim ἀναιδῶς coëunt. Sic Scyllæ dicuntur deprenſos nautas canibus laceraſſe marinis. Et apud Heſiodum in ἔργοις Mercurius dicitur Pandoræ indidiſſe κύνεόν τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος. Habebant autem magnam cum Stoicis affinitatem. *Laërt.* lib. 6. & 7. *Societas quædam eſt inter Cynicos & Stoicos: Vnde & Cyniſmum dixere brevem ad virtutem viam. Iuvenalis* Sat. 13.

Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit,
A Cynicis tunicâ diſtantia.

Nam & Zeno, Stoicæ ſectæ conditor, initio Cratetis ſectator fuit: ſed verecundiâ prohibitus eſt ne ſe in illam ſectam daret. *Laërt.* Author ſectæ fuit *Antiſthenes* Socraticus. *Laërt.* l. 6. *Ælian.* l. 10. Vet. Hiſt. c. 16. inter cujus ſectatores duo imprimis ad celebritatem nominis pervenerunt: ille cujus meminimus, *Crates*, & *Diogenes*, cui patria Synope erat, teſte *P. Mela* lib. 1. cap. 21. Nam *Crates* initio dives, & inter Thebanos proceres numeratus, deſiderio certæ & ſtabilis beatitudinis actus, omnem rem familiarem abjecit, velut onus ſtercoris (ſive ut Wouwerius in Minucium emendat: *onus tergoris*) magis labori quam uſui, Cynicis ſe adjunxit: cultus Athenis ut Lar familiaris apud homines ætatis ſuæ. *Apul.* Florid. 14. & in Apologia. *Diogenes* maximo audiendi Antiſthenem deſiderio flagravit. A quo cum baculo repelleretur, ſubjecto capite; *Cæde*, inquit, *non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quamdiu aliquid dixeris, arcere poſſit. Laërt.* l. 6. *Hieronym.* l. 2. contra Jovinianum. In cultu quoque nimis ruſtici erant. Præcipue *Diogenes*, cujus ſedes dolium erat. *Iuven.* Sat. 14.

———————— dolia nudi
Non ardent Cynici: ſi fregeris, altera fiet
Cras domus: aut eadem plumbo commiſſa manebit.

Supel-

Supellex earum erat pera, baculus, pallium. *Apul.* Florid. 14. *Crates peram cum baculo & pallium humi cum poſuiſſet, eamque ſupellectilem ſibi eſſe profiteretur.* Negligebant τὰ θεωρητικὰ: imprimis autem Mathematicas diſciplinas. Hinc eos Diogenes reprehendebat, qui, Sidera intuentes, quæ ante pedes eſſent negligerent: qui etiam Muſicam, Geometriam & Aſtrologiam, hiſque ſimilia neglexit, velut inutilia & quæ minimè eſſent neceſſaria. *Laërt.* lib. 6. Placebat igitur Cynicis rationalem naturalemque Philoſophiam tolli oportere, moralique ſoli intendi. Quod etiam Ariſto Chius, Phalanthus & Epicurus fecerunt, teſte eodem Laërtio. Quapropter etiam à reliquis cultioribus ſectis pro rudibus & indoctis habebantur. *Apul.* in Apol. *Vtrum igitur putas Philoſopho, non ſecundum Cynicam temeritatem rudi & indocto, ſed qui ſe Platonicæ ſcholæ meminerit; utrum ei putas turpe ſcire iſta an neſcire?* PYRRHONII autem ſuæ conditorem ſectæ *Pyrrhonem* agnoſcunt. De qua duo præcipuè ab antiquis quæſita legimus: An ſectam conſtituerent? an & quid ab Academicis differrent? Sectam eos conſtituere quidam negarunt: de quo vide *Laërt.* lib. 1. Cauſa præcipua erat, eorum obſcuritas & ἀκαταληψία. Alii vero diſtinguendum putarunt. Quibus & nos accedimus. Nam habuerunt ſuæ ſectæ authores nobiles Philoſophos, Socratem & Pyrrhonem. Quamvis enim Socrates non adeo exertim Pyrrhonius fuerit, tamen ejus ſectæ fundamenta poſuit illâ mirabili εἰρωνίᾳ ſuâ: quâ uſus ſcire ſe nihil dicebat præter hoc ipſum quod nihil ſciret. *Laërt.* lib. 2. *Lactant.* lib. de Ira Dei cap. 1. A quo fonte profluxit Arceſilæ & multo poſt Carneadis & Academicorum in ſummis quæſtionibus dubitatio: quo genere Philoſophari & cautè indocti poſſunt & docti glorioſè. *Cæcilius* apud Minucium in Octavio. Unde Cicerone teſte l. de Nat. Deor. Zeno Socratem ſcurram Atticum fuiſſe dicebat. Ex quo Minucius

cius id hauſit: *Socrates ſcurra Atticus viderit, nihil ſe ſcire profeſſus.* Eo denique illa ignorantia evaſit, ut Anaxarchus Abderita ſe ne id quidem ipſum ſcire, quòd nihil ſciret, dixerit: ut ex *Laërt.* & *Heſychio* intelligimus. Anaxagoras quoque ab ea opinione non alienus fuit. Unde enim niſi ab *ἀκαταληψία* quadam profectum eſt, quod atram eſſe nivem dixit? *Lactant.* lib. 3. & 5. His initiis majora addidit incrementa *Pyrrho*, qui, ſi *Laërt.* lib. 9. credimus, nobiliſſime Philoſophiam tractavit, commentus modum quo de omnibus nihil decerneret, neque quicquam comprehendi poſſe dicebat. Quid quod hujus ſectæ principem fuiſſe Homerum & ſeptem Græciæ ſapientes idem Laërt. tradit? Quod mihi ſemper quam maxime mirum & incredibile viſum eſt: nunc vero etiam falſum videtur. Nam quis hoc unquam vel in Poëtarum Principe, vel in ſeptêm ſapientum dogmatis advertit? Dogma autem, in quod omnis Pyrrhoniorum doctrina conſpirabat, hoc erat: neque rerum veritatem neque falſitatem ulla ratione comprehendi poſſe, omnia eſſe incerta, dubia & fallacia: neque ſenſuum judicio, neque rationibus fidendum: quod una voce *ἀκαταληψίαν* nominabant. Quo uno omnia veterum ſapientum placita, quibuſcunque rationibus munita, funditus evertebant: qui etiam earum præcipuus ſcopus fuit. Unde etiam *σκεπτικοὶ, ζητητικοὶ,* & *ἐφεκτικοὶ* dicti: quod ſemper eſſent in diſquiſitione, ſtatuerent verò nihil. *Laërt.* lib. 9. *Gellius* lib. 11. cap. 5. *Quos Pyrrhonios Philoſophos vocamus, ii Græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id ferme ſignificat quaſi quæſitores & conſideratores. Nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper conſiderandoque ſunt, quidnam ſit omnium rerum, de quo decerni conſtituique poſſit: ac ne videre quoque planè quidquam, neque audire ſe putant, ſed ita pati afficique quaſi videant vel audiant.* Hæc *Gellius.* Unde facile colligitur, in quo à Neo-Academicis differant. Quæ quæſtio

quæſtio vetus, & à multis Græcis ſcriptoribus tractata eſt. *Gell.* lib. 11. cap. 5. Nam utrique nihil certò ſtatui poſſe conſentiebant: ſed Pyrrhonii ne id quidem certò aſſeverare volebant. Academici autem modeſtiores & Socraticâ εἰρωνείᾳ præditi, illud pro certo habebant: nihil poſſe comprehendi. Illi omnia prorſus rejiciebant; hi vero hoc unice omnium ruinâ aſtruebant: illi ſerio, hi ſimulate pleraque agebant: illi indoctiores & barbaro ingenio; hi doctiſſimi & acutiſſimi viri. De qua quæſtione ita *Gellius: Differre inter ſe Pyrrhonii & Academici & propter alia quædam & vel maxime propterea exiſtimati ſunt: quod Academici quidem ipſum illud, nihil poſſe comprehendi, quaſi comprehendunt: &, nihil poſſe decerni, quaſi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt: quod nihil eſſe verum videtur. Euclides* quoque ſectæ *Megarenſium* nomen dedit & auſpicium. *Lactant.* lib. 3. cap. 12. *Philoſophorum non obſcurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ. Hic eſt ille Euclides, qui, cum Athenienſes Megarenſibus civitate ſua capitis pœna interdixiſſent, ſub noctem priuſquam adveſperaſceret, tunica longa muliebri indutus & pallio verſicolore amictus, & caput & ora velatus (L. Carrio* emendat: *caput rica velatus) è domo ſuo Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut vel noctis aliquo tempore conſiliorum ſermonumque ejus fieret particeps. Rurſuſque ſub lucem millia paſſuum paulo amplius viginti, eadem veſte illa tectus, redibat. Gellius* lib. 6. cap. 10.

Digitized by Google

CAP. XIX.

Philoſophia cum gentibus propagata. Rhodii. Maßilienſes. Galliæ eloquentia floruerunt. Alexandria. Sicilia. Archimedes. Philoſophi Critici. Ejus inventor Piſiſtratus. Inde Plato, Ariſtoteles, Zeno. Epicurei rudes literarum. Philoſophia degenerat.

CONſultò præterimus alias minores ſectas, de quibus alii videri poſſunt. Hoc vero ſuperioribus addendum eſt, latius circa hæc tempora propagatam, pomœriaque ſua protuliſſe Philoſophiam. Nam, deductis in diverſas orbis partes coloniis, eo quoque Græci Philoſophiam ſuam propagarunt: præſertim vero in Aſiam, Ægyptum, Galliam, Italiam. Præcipuè Rhodii & Maſſilienſes celebrantur. Quantum enim in Rhodo Philoſophia floruerit circa hæc ſectarum tempora, ex ſeqq. patebit. *Vitruvius* lib. 6. de Architectura in præfat. meminit, *Ariſtippum Socraticum ejectum naufragio ad Rhodiorum littus, cum Schemata geometricis deſcripta rationibus in arena vidiſſet, ad comites exclamaſſe:* Bene ſperemus, hominum veſtigia cerno: *ſtatimque in Gymnaſium oppidi delatum, ibi cum admiratione omnium diſputaſſe & muneribus ampliter donatum eſſe. Quintilianus* lib. 12. c. 10. docet, *Æſchinem, qui Rhodum exilii delegerat locum, eo ſtudia Athenarum intuliſſe.* Non diſſimile exemplum de Zenone narratur. Is & ipſe naufragio ad ignotas terras ejectus, cum comperiſſet ibi Philoſophiæ eſſe domicilium, gaudio exiliens, tum demum ſecundo vento ſe navigaſſe dixit cum ſic naufragium feciſſet. *Laërt.* l. 7. *Plut.* lib. de exilio. Maſſilienſes orti ſunt à Phocenſibus. Nam qui ab Harpalo, Regis Cyri præfecto, ex Phocide fugati ſunt, alii Veliam, pars Maſſiliam condiderunt: uti oſtendit *Iulinus* Hyginus apud *Gellium* lib. 10. cap. 16. *Iuſtinus* lib. 43. temporibus Tarquinii Regis id contigiſſe ſcribit, apud quem plura de Phocenſibus ibidem habes. Vide etiam *Val. Max.* lib. 2.

Qui,

Qui, quamvis peregrinas terras incolerent, tamen de Græcis moribus nihil vel parum remiſerunt. Certe literarum & Philoſophiæ ac Eloquentiæ ſummus ibi honos erat, ut felicius artes ſub Gallico cœlo, quam in ipſa Græcia, nutriri crederes. *Cicero* hujus civitatis diſciplinam gravitatemque non ſolum Græciæ ſed cunctis gentibus anteponendam putavit. *Strabo* lib. 4. *Hæc Maſſilienſium inſtitutio Romanorum hodie nobiliſſimum quemque pellexit adeo, ut pro peregrinatione quam ſtudiorum cauſa Athenas pridem ſuſcipiebant diſciplinarum cupidi nunc illuc ſe conferant. Quorum æmulatio Gallos quoque extimulavit, ut pace per terras ſuas compoſita, ipſi otium à rebus bellicis amplectentes, ad diſcendi inſtitutum animum appellerent, non viritim modo, ſed etiam univerſim per urbes. Quippe dicendi Magiſtros, quos Sophiſtas appellant, publico privatoque impendio oppidatim ſuſcipiunt, ſalarium illis ſtatuentes perinde ut Medicis. Corn. Tacitus* Julium Agricolam *per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque Maſſiliæ tranſegiſſe* ſcribit, *ſede & magiſtra ſtudiorum; loco Græca comitate, & Provinciali parſimonia mire ac bene compoſito: ibidem ſtudia Philoſophiæ ultra quam conceſſum Senatorem hauſiſſe.* Poſtremis temporibus ſtudia Eloquentiæ præcipuè ibi florebant. *M. Cato* l. 2. Orig. apud Chariſium: *Pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſimè perſequitur, rem militarem & argute loqui. B. Hieronymus* ad Ruſticum: *Studia Galliarum quæ vel florentiſſima ſunt.* Unde Lugduni ad aram Auguſto ſacratam olim certamen Græcæ Latinæque Linguæ inſtitutum. *Iuvenal.*

— Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Et:

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos.

Vide & *Pomp.* Melam l. 3. c. 1. *Claud.* de 4. Conſ. Honorii:

Illuſtri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus & toto ſtipavit Roma ſenatu.

Etiam Avernorum civitas olim propter literarum ſtudia celebris. *Sidon.* Apoll. lib. 15. ep. 3. Sed Maſſilienſes male poſtea audiebant propter mollitiem & dicebantur γυναικο-παθεῖν, teſte *Athenæo.* Unde *Maſſilienſes mores* pro mollibus apud Plautum. Conſtituta Alexandri Monarchia, cum negligentius in Græcia tractaretur Philoſophia, etiam in Ægypti Alexandriam migravit. Nam *Ptolemaus* Euergetes ex Græcia Eratoſthenem Alexandriam vocavit: & Zenodotus apud Ptolemæum, Lagi filium, qui Soter dictus eſt, fuerat, illiuſque filios literas docuerat. Sed cum crudelis Ptolemæus, quem ſcelera κακεργέτην vocarunt, etiam in Sapientiam ſæviret, expulſi Alexandria Philoſophi in Græciam, jam diu remiſſius omnia agentem, reverterunt, & ſic quæ diſſipata erat ἐγκύκλιος παιδεία rurſum conſtituta eſt. Non tamen prorſus Alexandria à doctis viris deſerta manſit, ſed poſterioribus temporibus tanta ejus Scholæ celebritas erat, ut ſufficeret ad commendationem artium, in ea eruditum fuiſſe: quod quidem *Ammianus* lib. 22. de ſolis Medicis ſcribit, nos autem ad omnes artes extendimus, cum omnes ibi æquè floruerint. Unde *Muſea* appellabantur Alexandriæ collegia doctorum qui publico ſumtu alebantur. SICULI quoque ſapientiæ ſtudia colebant. Apud quos *Archimedes* floruit, quem *Livius* vocat *unicum cœli ſpectatorem.* Vir erat in omni quidem Geometria multum ante alios admirabili ſubtilitate. *Apul.* Apol. Primus ſphæram ex motuum cœleſtium compoſitione compoſuit. De quo *Claudiani* cultiſſimum Epigr. in ſphær. Archim.

Iupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legeſque Deorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.

Incluſus

Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.

Lactant. lib. 2. cap. 5. *An Archimedes Siculus concavo ære ſimilitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita ſolem ac lunam compoſuit, ut inæquales motus, & cæleſtibus ſimiles, converſionibus ſingulis quaſi diebus efficerent?* Rara utebatur diligentia. Lineas in uncto corpore ducebat. Inventis Mathematicis unus ille obſidionem Syracuſarum in longum protraxit. *Quintil.* 1. Inſt. cap. 17. Expugnatis Syracuſis intentus pulveri à milite Marcelli incauto occiſus eſt. *Plut.* in Marcello. *Plin.* lib. 2. cap. 107. *Val. Max.* lib. 8. cap. 7. Neque tantum ad plures gentes propagata, ſed & ipſa non exiguis incrementis aucta Philoſophia eſt. Nam Philoſophi, præter ſeria illa & maximè ſevera, etiam minutiorum curam gerebant. Abundabat tum Græcia innumeris ſcriptoribus, ſecundum illud Horatii:

Scribimus indocti doctique Poëmata paſſim.

Ut igitur illud ſcribendi cacoëthes coërceretur, ſalubri invento Philoſophi,

——————— dignoſcere cauti
Quid ſolidum crepet & picta tectoria Linguæ,

de omnium ſcriptis ſibi judicandi licentiam aſſumſerunt. Nam inſtructi omnibus illis ſcientiis quæ ad id neceſſariæ erant, unoque Grammatices titulo veniebant, munus illud cum fructu nec ſine laude geſſerunt. Ii ſcripta veterum ordine diſponebant, ſpuria notabant; quæ non recte dicerentur, caſtigabant: varias & ambiguas lectiones recenſebant: quicquid denique ad ſingulas artes ſpectabat, ſibi vindicabant. Unde hæc pars Philoſophiæ dicta eſt φιλολογία, πολυμάθεια, κριτικὴ, περιπατητὴς τῆς σοφίας, προοίμιον τῆς φιλοσοφίας: ſed omnium nobiliſſima appellatio κριτικὴ erat. Quam prope omnium maximarum artium ſcientiam complexam eſſe *Quintil.* lib. 2. cap. 1. & lib. 1. c. 4. ſcribit.

Talis

Talis in Græcia antiquiſſimis temporibus *Piſiſtratus* erat, qui vixit annos poſt Homerum fere CXX, & Homeri libros adhuc confuſos ſic diſpoſuiſſe dicitur ut nunc ſunt. Alii tamen Hipparcho, ejus filio, adſcribunt. Sed omnes antiquos triumviri illi rei literariæ, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Zeno*, vicerunt. Nam *Plato*, ſi Laërtio fides lib. 3, primus Grammaticæ vim ſpeculatus eſt. *Ariſtoteles* autem primus nomen Critici meruit, ut verè à Dione Chryſoſtomo notatum eſt. De quo idem diſſertatione 53. καὶ αὐτὸς, inquit, Ἀριστοτέλης, ἀφ᾽ οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν. Circa Alex. M. tempora Iliada emendarunt Ariſtoteles; Calliſthenes & Anaxarchus Odyſſeam: quæ Homeri editio ἐκ τοῦ Νάρθηκος ſeu Nartheciana dicta eſt, quod eam Alex. M. in Narthecio Darii ſic emendatam deponeret. Idem omnes Philoſophos antiquos, ne ipſo Platone excepto, omnes Poëtas, Reſpublicas, Leges ſub cenſuram vocavit: de quo *D. Heinſ.* in Proleg. ad Ariſtarchum latius agit. Stoici verò acerrimo ſtudio Grammaticas diſciplinas excoluerunt & auxerunt. *Quintil.* lib. 1. Inſt. cap. 6. Epicurus autem ut contemtor harum artium notatur ab antiquis. *Cicero* lib. de finibus: *Vellem*, inquit, *Epicurus fuiſſet doctrinis inſtructior. Eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi vocantur.* *Quintil.* lib. 2. cap. 18. *Nam de Epicuro, qui diſciplinas omnes fugit, nihil miror.* l. 12. cap. 2. *Epicurus imprimis nos à ſe dimittit, qui fugere omnem diſciplinam navigatione quam velociſſime jubet.* *Lactant.* l. 3. cap. 25. *Epicurus rudes omnium literarum ad Philoſophiam invitat.* Sed utut creverit Philoſophia, tamen paulatim priſtinum decus perdebat. Inſurgebant crebræ & inutiles ferè ac ſpinoſæ inter ipſa ſectarum capita contentiones: Sapientia magis ac magis clauſtris ſcholarum incluſa, plus oſtentationis quam operæ & utilitatis habebat. Cumque priſci illi Heroës, Solon, Thales, Plato, Ariſtoteles, & præſtantiſ-

ſtantiſſimas inſtituerint Politias & pulcherrime de iis ſcripſerint: eorum poſteri ſponte ſe Rebuſpubl. abdicabant. Quin & nulli ineptiores imperio, quam illi ipſi Sapientiæ ſtudioſi habebantur. Quo etiam *Fabius* ſpectat lib. 12. c. 2. *Hæc*, inquit, *exhortatio mea non eo pertinet, ut eſſe Oratorem Philoſophum velim, quando non alia vita ſecta longius à civilibus officiis atque ab omni munere Oratoris receſſit.*

CAP. XX.

Philoſophia declinat ortu Academiæ Novæ. Quæ ignorantiam introduxit. Qua occaſione exorta? Author ejus Arceſilas. Carneades. Cujus magna eloquentia. Rixa Academicorum cum Stoicis. Iudicia Patrum.

CUm jam ad ſummum perveniſſe culmen Philoſophia videretur, neque ulla res tam abſtruſa & recondita eſſet, ad cujus inveſtigationem curioſitas humani ingenii non penetraſſet, repente extitit velut quædam hyems: cujus rigore, quicquid in Sapientiæ hortis, ſubito expalluit & decidit: *Claud.* lib. 3. de Raptu Proſerp.

———————— *pallere liguſtra*,
Expirare roſas, decreſcere lilia cernis.

Nam *nova*, quæ vocatur, *Academia*, repente exorta, cæteris omnibus litem movit, & jam multis ſeculis conſtituta, periculoſiſſimo auſu, in dubium vocavit. *Lactant.* l. 3. c. 6. *Mortalis ſapientia, paucis ante temporibus inſtituta, ad ſummum jam incrementum pervenerat, ut jam neceſſario conſeneſceret ac periret: repente extitit Academia, tanquam ſenectus Philoſophiæ, quæ illam conficeret jam defloreſcentem.* De cujus origine, incrementis & placitis quædam ex more dicenda ſunt. Triplex à quibuſdam Academia numeratur: à nonnullis quintuplex. Vide *Euſeb.* lib. 14. πϱϛπ. cap. 2. *Vetus* Platonica, *Media* ab Arceſilâ inventa, *Nova* ab Anaxarcho, Ariſtippo, Euclide, Antiſthene, quam amplificavit Pyrrho Elienſis, Anaxarchi auditor. De Pyrrhoniis

Ee ſupra

Digitized by Google

ſupra cap. 18. quædam ex occaſione dicta ſunt. Quos non ſine cauſa diſtinguendos ab Academicis putamus. Nam prorſus ipſi omnia rejecerunt, nec ut homines, ſed ut ſaxa & bruta: qui ne ſenſiri quidem ſuo crediderunt. Academici autem quanquam & ipſi nihil certi ſtatuere vellent de rebus præſertim ſupramundanis, obſcuris & dubiis: tamen & modeſtiores erant, & accuratiores; & non ſine magnis rationibus aliorum placita in dubium vocantes. Igitur Pyrrhonios non à ſecta tantum ſed & nomine Academicorum ſeparamus: duaſque Academicorum ſectas, *Veterem* & *Novam*, agnoſcimus. *Nam duo Philoſophiæ genera fuerunt: Unum, illud vetus, quod ſcientiam ſibi vendicat: alterum, novum repugnans, quod eam diſtrahit. Lactant.* lib. 3. cap. 4. *Vetus* eſt Platonica, habens decreta quædam & ratas ac definitas ſententias à quibus diſcedere nefas erat. *Nova* vero illa eſt, quæ, de omnibus dubitando, rerum certitudinem abolevit, & vel ignorantiam vel ambiguitatem introduxit. De hac quoq; Philoſophia quæſitum, an ſectam conſtitueret? Quod *Lactantius* negat l. 3. c. 5. *Ita*, inquit, *cum Philoſophos expugnaverit Arceſilas, ac docuerit eos nihil ſcire, ipſe quoque nomen Philoſophi perdidit, quia doctrina ejus eſt, nihil ſcire. Cum autem nihil ſciat, quæ perverſitas, quæve inſolentia eſt, ob id ipſum ſe Philoſophum conſtituere, propter quod cæteros tollat? Poſſunt enim ſic reſpondere:* Si nihil nos ſcire conviceris, & ideo non eſſe ſapientes, quia nihil ſciamus: ergo ne tu quidem es ſapiens, quia te quoque confiteris nihil ſcire. *Quid ergo promovit Arceſilas, niſi quod, confectis omnibus Philoſophis, ſeipſum quoque eodem mucrone transfixit?* & lib. 3. cap. 15. ubi contra Senecam diſputans inquit: *Quæro, utrumne Academiam Philoſophiam putet eſſe, an non? Negaturum non arbitror. Quod ſi eſt, nihil ergo illorum cadit in Philoſophiam, quæ, ut omnia reddat incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem ſubvertit, regulam*

gulam depravat, ſcientiam funditus tollit. & cap 28. *Hinc Academiæ diſciplina manavit, ſi tamen diſciplina dici poteſt: in qua ignoratio & diſcitur & docetur.* Sed ſi, quod res eſt, dicendum ſit, confunditur Academica ſecta, quod plurimi faciunt, cum Pyrrhoniis: de quorum tamen diſcrimine jam aliquoties egimus. Academici non penitus omnia rejiciebant, ſed accurate diſtinguebant inter ea quæ ſciri poſſunt, & quorum tantum eſt opinio vaga & inſtabilis. Certum eſt, eos etiam de ſenſuum judicio dubitaſſe, in quo Parmenidem ſecuti ſunt, qui, *Laërtio* teſte, ſenſus judicium fallax eſſe dixit: ſed ita ut contenderent eos ſæpe falli & non infallibile eſſe eorum judicium. In quam rem trita illa afferri ab iis ſolita ſunt: *collum columbæ cum ſit candidum, ſi ad ſolem adſpiciatur cerni varii eſſe coloris: remum in aquis infractum videri, neque eſſe:* de quibus prolixè agit *Sextus* Empiricus. Omnem tamen veritatem iis neutiquam derogabant. Origo autem ſectæ hujus hæc fuit. Cum priſci Philoſophi omnia diſputando accuratiſſime examinaſſent: reperti ſunt obſervatores quidam, ingenio ut acuto, ita vaferrimo: qui, tot Philoſophorum una de re opinionibus conſideratis, facile deprehenderunt, Philoſophorum dogmata omnia dubia, incerta, magiſque veriſimilia quam vera, ut *Cæcilius* apud Minucium, nullumque eſſe cui non firmis rationibus contradici poſſit. Ea res occaſionem dedit accuratius inquirendi, non novas & à cæteris omnibus diſcrepantes opiniones, ſed rationum momenta quæ eſſent, quas ſinguli ad ſua ſtatuminanda afferrent. Nam & hoc facilius fore judicabant & multo plauſibilius; quam ſi ipſi novi quid adinvenirent, cui multis modis contradici poſſet. Quo eos etiam impellebant jam diu auditæ voces, veritatem ἐν βυθῷ latere, multiſque omnia tenebris circumfuſa querentium: quorum prius Democrito, alterum Anaxagoræ adſcribitur. *Lactant*. lib. 3. cap. 28.

Adeo ut non de invenienda veritate, ſed de omnibus opinionibus proſternendis laborarent. Igitur *Arceſilas*, quem Pytane Æolis urbs tulit, nihil affirmantis Academiæ clariſſimus antiſtes (*P. Mela* lib. 1. cap. 18.) reprehenſiones omnium inter ſe collegit confeſſionemque ignorantiæ clarorum Philoſophorum. Utque ſe adverſus omnes armavit, ita conſtituit novam non Philoſophandi Philoſophiam. *Lactant.* lib. 3. cap. 3 & lib. 5. cap. 17. *Carneades, quoniam erant infirma quæ à Philoſophis aſſerebantur, ſumſit audaciam refellendi, quia refelli poſſe intellexit.* Arceſilas tamen, privatam cauſam contra Zenonem agens, ad hanc ſectam delapſus eſt. *Euſeb* lib. 14 παρασκ. cap. 2. *Lactant.* lib. 3. c. 6. *Arceſilas ignorantiæ magiſter, cum Zenoni obtrectaret, principi Stoicorum, ut totam Philoſophiam everteret, authore Socrate ſuſcepit hanc ſententiam, ut ſtatueret, nihil ſciri poſſe.* Idem *Euſeb.* l. 14. παρασκ. c. 2. teſtatur, qui addit: *Nunquam fuit in Arceſila ut unum bis diceret: neque putabat ingenioſi eſſe viri, in eiſdem permanere. Si quid primo turpe dixerat, repente commutatus, pluribus conabatur rationibus quæ dixerat confutare.* Tota igitur eorum Philoſophia in hac Quæſtione conſiſtit, quam *Auguſtinus* cap. 20. Enchir. ad Laur. ita proponit: *Vtrum aliquid debeat ſapiens approbare, ne incidat in errorem ſi pro veris approbaverit falſa, cum omnia ſicut affirmant vel occulta ſint vel incerta?* De qua quæſtione ibidem dicit ſe tria confeciſſe volumina in initio converſionis ſuæ, ne impedimento ſibi eſſent qui tanquam in oſtio contradicebant. Quod fecit neophytus adhuc & nondum baptizatus. lib. 1. *Retract.* cap. 1. Apud illos omnes error putatur eſſe peccatum, quod vitari non poſſe contendunt, niſi omnis ſuſpendatur aſſenſio: quod ipſi ἐποχὴν vocant. *Aug.* cap. 20. Enchir. ad Laur. Initio præ ſe ferebant, ſe veritatis ſtudio, ut homines liberos, nulli magiſtro addictos, placita aliorum, præſertim Phyſicorum, ad

partes

partes vocare. *Lactant.* l. 2. c. 9. *Sed concedamus hoc mori & inſtituto Academicorum, ut liceat hominibus valde liberis dicere ac ſentire quæ velint.* & lib. 3. cap. 6. *Academici contra Phyſicos ex rebus obſcuris argumentati, nullam eſſe ſcientiam, exemplis paucarum rerum incomprehenſibilium contenti, amplexi ſunt ignorantiam, tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in parte ſuſtulerant.* Poſterioribus ſeculis ſumma eloquentiæ laude florebant: cui ipſorum placita vel maxime accomodata erant. Sane *Carneades*, legatus Athenienſium ad Romanos (*Gell.* 7:14.) tanta eloquentia floruit, ut & proverbio locum fecerit, & ad eum audiendum Romana juventus undique confluerer, & omnia, quorum cauſſa miſſus erat, impetraret. Cujus eloquentiam *Cato* ſenior, Græcis infeſtior, adeo pertimuit, ut acceptis à Senatu reſponſis quam primum in Græciam remitti ac renavigare curaverit. *Plin.* l. 2. c. 10. Exemplum diſſertationis ejus contra Juſtitiam habes apud *Lactant.* l. 5. c. 17. Is eſt Carneades, qui novam Academicorum ſectam condidit, dicens omnia quidem incomprehenſibilia, non tamen incerta eſſe. *Euſeb.* l. 14. πρεπ. c. 2. Unde patet, ſimulandi & diſſimulandi egregios artifices fuiſſe. *Lactant.* lib. de Ira Dei c. 11. *Hoc Cicero non diſſimulanter ut Academicus, ſed verè & ex animi ſententia proclamavit.* Præcipuè rixas cum Stoicis exercebant. *Taurus* Acad. apud *Gell.* lib. 12. cap. 5. *Me ſcis cum Stoicis non benè convenire, vel cum Stoica potius diſciplina. Eſt enim pleraque & ſibi & nobis incongruens, ſicut in libro, quem ſuper ea re compoſuimus, declaratur.* Unde quod idem *Gellius* refert, lib. 17. cap. 15, Carneades, contra Zenonem ſcripturus, helleboro ſe purgavit. Sit ita: delitarint gentiles & eos ſolertiſſimos ac acerrimos Philoſophorum vocarint (*Apul.* in Apol.) nobis tamen aliter judicandum eſt, qui verbum Dei habemus. *Auguſtinus* eos acutiſſimis quidem, ſed impudentiſſimis conflictionibus diſputare di-

cit, cap. 20. *Enchir.* ad *Laur.* & lib. 15. de *Trin.* cap. 12. dicit eos *miſere inſanire.* In libris *Retract.* impios homines vocat: & cum lib. 3. contra *Academicos* cap. 17. eos laudaſſet, eam laudem ſibi diſplicere tamen teſtatus eſt. Cæteri quoque Patres eorum vanitatem ſubinde redarguerunt, imprimis *Lactant.* lib. 3. Inſtit. cap. 5. 6. & alibi. & lib. de Ira Dei cap. 1. *Euſeb.* lib. 5. προπ. cap. 10. *Oenomaus Orator & Philoſophus Apollinis Delphici Oraculum conſuluit, quomodo facilius atque tutius Philoſophari poſſit.* Eorum catalogum quomodo ſibi invicem ſucceſſerint, idem texit lib. 14. προπ. cap. 2. Talis Academicus ſive Scepticus Timon erat, μισάνθρωπος dictus, qui Sillos tribus libris in Philoſophos ſcripſit. Silli autem erant ſcommata & irriſiones ſalſiſſimæ. Heſychius: Σιλλὸς, χλευασμὸς, μῶμος, κακολογία. Ducta vox à Silenis, ut à Satyris Satyra. Timonis autem Silli perpetuæ ferè ex Homero parodiæ erant: de quibus vide *Heinſium* l. 11. de Satyra Horat. Fuerunt igitur tam diverſa & contraria priſcorum de Academicis judicia, ut alii peſſimos, alii ſolertiſſimos ac acerrimos Philoſophos vocarint. *Apul.* Apol. Tandem *Potamo* Alexandrinus pertæſus de omnibus ἐπέχειν, ſectam *Eclecticorum* inſtituit: quæ ex omnibus, quod optimum, eligebat, nullius authoritati addicta. Vixit autem is Potamo ante & poſt Auguſtum, teſte *Suida.* Scripſit in Rempubl. Platonis Commentaria. Hi igitur ἐκλογὰς ἐποιοῦντο: ſeligebant, inquam, & more apis Matinæ floriferis in ſaltibus omnia libabant, & aurea quorumlibet depaſcebantur dicta. Unde & Eclecticos ἀναλογητικοὺς, ipſi autem ſeſe, teſte *Laërtio*, φιλαλήθεις dixerunt. Scripſerat etiam Philoſophiæ ſuæ Στοιχείωσιν, id eſt, elementa idem Potamo. Hanc Philoſophiam Eccleſiæ Doctores fere omnes ſecuti ſunt: de quo infra.

HISTO-

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Philoſophia Barbara. Punica. Scythica. Anacharſis. Abaris. Getica. Zamolxis. Gebeleizi. Hyperborei.

REſtat ut ex Græcia in Barbariam migremus ad illas Sapientiæ laude conſpicuas gentes, Pœnos, Scythas, Judæos, Romanos. Nam de Gallis & Germanis l. 2, quod ſatis eſt, egimus. POENI originem trahunt à Phœnicibus: quod & ex nomine, & lingua ſatis patet: quæ Syrophœniciæ tantum quædam Dialectus eſt, uti oſtenderunt *I. Scal.* in Notis ad fragmenta veterum adjectis Euſebio, & *Petitus* lib. 2. Miſcell. cap. 1. 2. 3. *Voſſius* lib. 1. Gramm. c. 9. & l. 1. de Anal. cap. 9. & 12. unde & nomina permutata reperias. *P. Mela* lib. 2. cap. 6. *Tarteſſus & quam tranſvecti ex Africa Phœnices habitant.* Ubi non opus eſt emendare, cum Pintiano & Schotto, *Pœni.* Antiqui duas imprimis Phœnicum in Africam migrationes celebrant. Una eſt, quam tempore Joſuæ contigiſſe *Procopius* lib. 2. de Bello

Atlas enim ille erat. *Catull.* eleg. 67.

Omnia qui magni diſpexit lumina mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit atque obitus.

De quo ita ex Phrygum Theologia *Euſeb.* lib. 2. προπ. c. 3. *Cœli duo filii erant, Atlas & Saturnus. Atlanti vicinæ oceano partes contigerunt, qui multam Aſtrologiæ operam dedit.* *Alexander* hiſtoricus apud *Euſeb.* lib. 9. cap. 4. Atlantem & Enoch eundem fuiſſe aſſerit. SCYTHÆ non minus illuſtres fuerunt. Sub quibus Gothos ſive Getas, & Sarmatas alioſque ſeptemtrionibus ſubjectos populos comprehendimus. Scytharum Philoſophiam egregie commendat illa ipſorum concertatio de antiquitatis prærogativa cum Ægyptiis, deſcripta ab *Herodoto* & *Iuſtino* l. 2. Unde ſingularem quandam rerum naturalium cognitionem Scythis fuiſſe apparet. Iidem juſti, fortes, temperantes, benefici fuerunt: multaque eximiæ virtutis exempla domi foriſque ediderunt. *Prorſus ut admirabile videatur,* inquit *Iuſtinus* lib. 2, *hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientium doctrina præceptiſque Philoſophorum conſequi nequeunt, cultoſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari.* Ex Scythia oriundus fuit *Anacharſis.* *Apul.* Apol. *Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt.* Et alius quidam Philoſophus *Abaris* nomine. Unde alibi *Galenus* miratur, Sarmatas, Scythas, gentes adeo barbaras & immanes, Anacharſidem & Abarim Philoſophos ſingulari eruditione & continentia dediſſe. Abaris autem ille, de quo Galenus, fuit filius cujuſdam Seuthæ inter Scythas, qui ſcripſit oracula, quæ nuncupata ſunt Scythica. Vide *Cœlium* lib. 9. cap. 22. SARMATÆ ex Syria & Aſia originem traxerunt: unde etiam antiquis Aramæi dicti ſunt, teſte *Plinio* lib. 6. cap. 18. Neque aliud innuit vox *Arimaſpi:* nam fabulas nugivendorum omittimus ridiculas & pueriles. Arimaſpi enim, niſi quod Scythica terminatio diſcrimen

facit, idem plane eſt quod Aramæi. Nam illorum inventum, qui Sarmatas ſive Sauromatas dictos volunt quaſi duces altitudinis, quod terra eorum aſſurgeret verſus Septentrionem, nimis frigidum eſt. Primæ autem gentium appellationes omnes à coloniarum principibus ductę. Inter GETAS ad ſummam famæ celebritatem pervenit ZAMOLXIS, Pythagoræ ſervus & diſcipulus. Hic, cum à Domino ſcientiâ rerum cœleſtium imbutus in patriam remeaſſet, regni particeps factus, ex præſagiorum celebritate Deus creditus eſt. Inde etiam Pythagorica diſciplina apud Barbaros innotuit & acceptata eſt. Nam inde illud, quod carnibus abſtinuiſſe Getas *Poſſidonius* tradit. Poſtea tamen in deſuetudinem abiit ZAMOLXIS Philoſophia. Plato eum inter Magiæ authores & è Thracia oriundum fuiſſe refert, teſte *Apul.* Apol. Nam eo tempore Scytharum termini erant ampliſſimi in Europa & Aſia. *Cl. Alex.* lib. 4. Strom. tradit gentem barbaram quotannis eligere legatum ad Zamolxim Heroëm, unum è familiaribus Pythagoræ; mactarique eum qui fuerit judicatus probatiſſimus; iis qui non ſunt electi, Philoſophi tamen, mœrentibus quod ſint repulſi à tam beato miniſterio. Et ipſi Getæ ſive Thraces, *ἀθανίζοντες* dicti *Herodoto* teſte, cum ex hac vita diſcedebant, ad Zamolxim ſeu Gebeleizin, ſeſe proficiſci dicebant, hoc eſt, ut ex lingua Getica quidam exponit, ad ſalutis authorem qui eos collecturus erit. *Mornæus* de V.R. Chriſt. cap. 15. Cæterum antiqui Geographi Hyperboreos eximios Philoſophos faciunt vel fingunt. *P. Mela* lib. 3. cap. 5. *Iuſtiſſimi & diutius quam ulli mortalium & beatius vivunt. Quippe feſto ſemper otio læti, non bella novere, non jurgia: Sacris operati, maxime Apollinis. Habitant lucos ſilvaſque, &, ubi eos vivendi ſatietas cœpit, hilares redimiti ſertis ſemetipſi in pelagus ex certa rupe præcipitant.*

CAP. II.

Iudæorum Philoſophia & ſectæ poſt captivitatem. Græca Philoſophia iis initio exoſa. Sectæ tres præcipuæ. Ariſtobulus Peripateticus. Phariſæi Stoici. Sadducæi à quo? Epicuræi. Eorum cum Phariſæis odia. Eſſeni Logicam & Phyſicam rejiciebant. Liber Sapientiæ Salomonis & Eccleſiaſticus Ieſu Sirach.

POſtquam Judæi ab Aſſyriorum Monarchis aliquoties in peregrinas terras jure belli traducti & peregrinæ coloniæ introductæ eſſent, cœpit ſacra illa Philoſophia indelebilem maculam contrahere. Nam populus, Aſſyriorum converſatione diuturna, præſertim gravi ſervitutis Tyrannide preſſus, paulatim patrios mores exuit & impietati nomen dedit. Erant eo tempore apud Perſas & Medos præcipui nominis ſapientes MAGI: qui jam ab antiquiſſimis temporibus artes illicitas ſecretiſſima religione velabant. Quas præter alia ab ipſis & Judæi hauſerunt: de quo vide Notas *Fr. Iunii* ad 1. Tobiæ. In Judæam vero ipſam traductæ Aſſyriorum coloniæ (2. *Reg.* 17: 24. *Ioſeph.* lib. 9. cap. 14.) ut Religionem ſuam & ſuperſtitiones, ita & Philoſophiam invexerunt, quæ poſtmodum apud Samaritanos hæſit. Deinde, cum imperio Græco, ipſa quoque Philoſophia Græca in Judæam propagata fuit, quanquam pauciores initio ſectatores invenerit. Manſerunt tamen aliquandiu opinionum divortia. Philoſophi Phyſici ipſi ſub templo ſecundo, à curioſa veritatis inquiſitione, חכמי מחקר vocati ſunt; quorum erat ζυζητεῖν, hoc eſt, rationes in utramque partem conferre ad veritatis indagationem. Hinc Phyſica à Judæis חקירה dicitur. Horum putant mentionem fieri 1. *Cor.* 1: 20. illis verbis, ποῦ ζυζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου. Quod *Fullerus* l. 3. Miſc. cap. 7. negat, qui putat Phyſicam nondum illo tempore, ſed demum poſt natum Chriſtum, Judæis innotuiſſe. Quem refutat *Druſius* cap. 46. in Exodum, oſtendens jam

ſub ſecundo templo Philoſophiam in Judæa fuiſſe. *Camero* verò putat non ibi intelligi חכמי מחקר, qui Phyſici erant, ſed Theologos Judæorum, qui myſtice & allegorice Scripturam interpretabantur. Vide & in 1. *Cor.* 1:20. Iis ſapientibus *Kimchi* in *Pſal.* 104: 30. μετεμψυχώσεως dogmata adſcribit. Vide *Bezam* ad cap. *Ioh.* 9: 2. & 1. *Cor.* 1: 20. Poſt exceſſum Alex. Magni, rurſus novæ furiæ Judæos exagitabant. Haſmonæorum tempore Græcam Philoſophiam vulgatiſſimam fuiſſe, argumento eſt decretum, quod in hiſtoria ejus temporis memoratur: *Maledictus qui docet filium ſuum Philoſophiam Græcam. I. Druſius* ad *Exodum* cap. 46. ubi contra *M. Fuller.* l. 3. Miſcell. c. 7. oſtendit Phyſicam jam tum iis notam fuiſſe, non vero poſt Chriſti nativitatem iis demum innotuiſſe. Eo enim tempore, non ut olim alieni erant ab aliorum converſatione, ſed ſæpe diuque apud exteros agebant. Suſcipiebantur in Græciam, in Italiam, legationes, componebantur fœdera cum Spartanis, cum Romanis; ut ex *Maccabæis* & *Ioſepho* ſatis liquet. Quo factum, ut multa ſimul peregrina in Judæam irreperent, & Scholæ Doctorum variis opinionibus, quamquam latentius adhuc, diſtraherentur. Donec ſub *Iohanne* Hircano, Simonis filio, ſectæ, ut quidam volunt, inter Judæorum Doctores exortæ ſunt, quas *Zaccuth* Salmanticenſis כתות, *Ioſephus* lib. 14. Ant. cap. 9. αἱρέσεις, & propriiſſime lib. 18. cap. 2. φιλοσοφίας vocat. Quarum, ordinis & brevitatis cauſa, tres recenſemus, *Phariſæos*, *Sadducæos*, *Eſſæos*. Quanquam enim his omnibus vetuſtiores ſint *Haſidæi*, quorum 1. *Macc.* 2: 4. & cap. 7: 13. mentio fit, cum tamen ſodalitium potius quam ſecta fuerint (*Druſius* cap. 14. de Haſidæis) & ex iis orti ſint *Karraim* & *Phariſæi*, eos omittimus. Sic *Scribæ*, *Baithuſæi*, *Tubieni*, *Herodiani*, non peculiarem ſectam, ſed ſectarum ſodalitia conſtituebant. Aliæ autem, ut *Doſithæi* & *Naſachæi*, quorum *Epiphanius* lib. 1. Panarii meminit, obſcuriores fuerunt,

runt, errore tamen Pythagoricorum de *μετενσωματώσει* & abſtinentia ab eſu carnium imbuti. Præcipuè autem duarum ſectarum veſtigia cernuntur in Judæa, *Stoicorum* & *Epicureorum*: prioribus *Phariſæi* & *Eſſeni*; poſterioribus *Sadducæi* addicti erant. *Ioſeph*. lib. 18. c. 2. & lib. 2. de *Bello Iud.* c. 22. Habebant tamen etiam ex aliis ſectis quædam admixta: ut Phariſæi *μετεμψύχωσιν* Pythagoræorum. Peripatetici, ſecta illo tempore ferè extincta, pauciſſimos ſectatores in Judæa habebant. Quanquam enim *Ariſtobulus* Judæus, cujus 2. *Macc*. 1: 10. mentio extat, Ptolemæi Ægypti regis magiſter, Peripateticam Philoſophiam omnibus modis in Judæa propagatum vellet, tamen parum obtinuit. Ipſe ſummus ejùs ſectator habitus eſt & inſignis Peripateticus. Vide *Cl. Alex*. lib. 1. Strom. *Euſebius* in Chronico ad A. M. 5020. *Ariſtobulus, natione Iudæus, Peripateticus Philoſophus agnoſcitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moſen commentarios ſcripſit*. Idem *Euſebius* lib. 8. πρ. εὐ. cap. 3.

PHARISÆI princeps Judæorum ſecta καὶ αἵρεσις ἀκριβεστάτη habiti ſunt. Nam anxiè & ſcrupuloſè ſe à plebe ſeparabant: de quo vide *Cameronem* ad *Act*. 26: 5. Unde ipſi חכמי ישראל peculiariter dicti ſunt in *Gemara* Babylonica ad tit. Kidoſchim cap. 3. de convivio Jannæi Regis, & apud alios. Originem nominis eruditi nondum ſatis deprehenderunt. Ideo, ne heic detineamus, ad alios Lectorem rejicimus. *Ioſephus* ſcribit Phariſæos proximè ad Stoicos acceſſiſſe, quod veriſſimum eſt. Nam & vitæ auſteritate & dogmatum vicinia iis affines erant. *Math*. 6: 16. iis σκυθρωπία tribuitur. Priſci quoque de eorum ἀγρυπνίᾳ multa memoriæ prodidere. Alii enim, ut eſt apud *Epiphanium*, ex illis, tabulas exiguas parabant, quibus incumbebant, ut, ſi quando urgerentur ſomno, protinus in terram volverentur atque hac ratione ad ſe redirent: alii ſilicibus per noctem, alii aculeatis incumbebant ſpinis. Quo non aliud ſpectabant,

Ff 3 quam.

quam ut ſomnolentiam à ſe abigerent ac omni ratione propulſarent. *D. Heinſ.* cap. 3. Exerc. in Nonnum. In quo plane æmuli Stoicorum fuerunt, qui, præ cæteris, vigiliis ſtudebant. *Perſius* Sat. 3.

Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus, inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polenta.

Ἀυ]οχειρίαν quoque, proprium Stoicorum dogma, amplectebantur, ut rem maximè ſapiente viro dignam. Vide orationem *Eleazari*, Judæorum ducis qui Maſſadam defendebant, apud *Ioſephum* lib. 7. cap. 28. SADDUCÆI, propago Karæorum, proximi dignitate & celebritate à Phariſæis fuerunt. Denominati ſunt, vel à צדיקים, quod rigidæ juſtitiæ ſectatores eſſent, vel à ZADOK ſectario Antigoni diſcipulo, qui defecit ad templum montis Garizim. Poſteriorem denominationem, ut certiorem, rejectâ priori, amplectuntur *Scaliger* cap. 15. Elenchi Trihæreſii, & *Druſius* lib. 3. de Sectis, cap. 3. Erant homines rigidæ vitæ, cætera contemtores Numinis & Epicuræi. Cujus dogmatis hæc occaſio fuit. Præceptor Zadoci Antigonus auditores hortabatur, ut ne eſſent ſicut ſervi, qui Domino, intuitu mercedis, ſerviant. Hoc dictum Zadocus ita corrupit, ut poſt hanc vitam neque præmia bonis, neque pœnas malis inſtare; ſed animam cum corpore interire ſtatueret. *Act.* 23: 8. Falſo autem Sadducæi cum Karæis confunduntur, ut *Scal.* cap. 7. Elench. Trihæreſ. num. 25. & *Druſius* ad *Lev.* c. 18. docet. Hæ duæ ſectæ acerrimas inter ſe diſſenſiones & odia alebant. *Ioſippus*, Joſephi abbreviator, docet, tempore Hyrcani, Regis Judææ, utramque ſectam plurimos in ſuas traduxiſſe partes, & quælibet contendebat Regem ad ſe inclinare. Tempore Alexandri res in cruentum bellum evaſit, favente Rege Sadducæis contra Phariſæos. Propter hæc diſſidia, Regnum ab Haſmonæis ad Herodem Idu-

Idumæum tranſlatum fuit. Tertia ſecta Esseni ſunt, qui aliis *Oſſeni*, *Heſſæi*, vel etiam *Haſidæi* dicuntur. Multo Phariſæis excellentiores eſſe volebant, unde etiam *Haſidæorum* nomen iis hæſit: de quorum Philoſophiâ varia à Joſepho, Philone, aliiſque conſignata ſunt. Certe hi vel ſoli Philoſophorum titulum inter Judæos merentur, quod altius & ſubtilius omnia ſpecularentur. Plus quam quatuor millia erant, relictis urbibus agros colentes. Rationalem Philoſophiæ partem velut non neceſſariam, naturalem ut altiorem, illam Sophiſtis, hanc otioſis relinquebant hominibus: de Deo, creatione, & virtutibus diſputabant. Vide *Euſeb.* 8. προπ. cap. 4. ubi addit: *Hujuſmodi homines, ſine Græca doctrina, Moſaica Philoſophia effecit.* Ultimis illis temporibus, præter alia, ſcriptus eſt *Sapientiæ* Liber, vulgo *Sapientia Salomonis* dictus. Ita enim vocatus eſt, non quod Salomonis eſſet, ſed quod res, quæ ibi traduntur, Rege ſapientiſſimo dignæ ſint: ſive quod ex iis principiis & placitis exſtructus eſſet, quæ Salomon olim in Judæa profitebatur. De vero tamen ejus authore ambigitur. *Philoni* vulgò adſcribunt. Sed cum *Philones* tres fuerint, duo ante, alter poſt natum Chriſtum, quęritur quis eorum fuerit? Non poteſt eſſe *Byblius*, quippe is Ethnicus Alexandrinus fuit. Poſteriori, qui ſub Caligula vixit, vulgo omnes adſcribunt. *Druſius* alteri, qui ante Chriſtum natum ſub templo ſecundo vixit, Philoni Judæo adſcribendum docet. Quod & *Fr. Iunius* ſenſiſſe videtur, qui in opere illo Biblico, ante Eccleſiaſticum, collocat librum Sapientiæ. Certum eſt autem, Eccleſiaſticum ante tempora Chriſti ſcriptum eſſe: ut immerito Junium falſitatis *Alſtedius* lib. 2. Præcogn. Theol. cap. 126. arguat. Continet autem ille Eccleſiaſticus Jeſu Siracidis elegantem Philoſophiam moralem. *Euſeb.* 8. προπ. c. 2. Erat etiam ultimis his temporibus Hieroſolyma celeberrima apud Latinos & Græcos. *Plinius* ſcribit,

Digitized by Google

bit, *Hieroſolymam longe clariſſimam urbium in Oriente fuiſſe.* lib. 5. cap. 14. Magia quoque ibi florebat. *R. Schelomo* Thalm. tract. Sanhed. teſtatur ſenatores 70 ſeu Sanhedrim Magiam apprime calluiſſe, ut præſtigiatores eo facilius convincerent. *Ioſephus* l. 20. c. 6. teſtatur, ſi unquam alias, certe ſuo tempore Magiam inter Doctores Judaicos celeberrimam fuiſſe. De quo ipſi Ebræi ita dicunt: אדם הרעים צריך לידע הדברים בענין שידע להתרחק מהם : שהסנהדרין היו יודעים כשפים לבטל הכשפים ולהשמר מהם, hoc eſt, *Homo debet ſcire res malas, ob id ut ſciat recedere ab eis: ſicut & Sanhedrin ſciebant artem Magicam, quatenus confutarent Magiam & caverent ab ea.* *Munſt.* in cap. 2. Euang. Matth.

CAP. III.

Philoſophia Romana. Ejus author Numa. Cujus libri poſtea combuſti. Hetruſci. Tages. Ianus. Saturnus. Faunus. Canens. Euander. Sabini à Spartanis. Æneas. Mens conſecrata. Græca Philoſophia poſt Punicum bellum ſecundum Romam traducta. Sed initio contemta à C. Mario, M. Catone Majore. Amata à P. Scipione. Romanus Philoſophus qualis? Leges XII. Tabularum. Sapientia eorum.

NUnc de ROMANA Philoſophia, nobili & maſcula, agendum eſt. Qui quamvis & ſerius eas diſciplinas admiſerint, & parcius tractarint, omni tamen ævo reperti fuerunt, qui earum dignitatem ſuſtinerent. De cujus origine ita ſtatuendum eſt. Poſt exceſſum Romuli, *Numa* Pompilius regno præfectus eſt. Erat is vir ſummæ virtutis, ac imprimis Sapientiæ ſtudioſus. *Plutarchus* & *Ovidius* Pythagoræ ſectatorem fuiſſe tradunt. *Clemens* etiam Alexandrinus apud *Euſebium* lib. 9. προπ. cap. 3. Pythagoricum fuiſſe & Moſaica nixum Doctrina legem dediſſe Romanis, nullam imaginem Deo attribuere. Quod quomodo conſiſtere poſſit, illi viderint, qui demum Tarquinii Superbi tempore Pythagoram in Italiam veniſſe tradunt. Is *Numa* Pompi-

Pompilius jam non contentus bellicis laudibus, quibus Roma ſibi & imperium & famam ſub Romulo quæſiverat, animum ad pacis artes adjecit. Inſtituere feroces animos Religione numinis, ſapientiaque viſum eſt. Igitur, quæ ad Theologiam & Philoſophiam ſpectant, ſedulo excoluit, exculcaque ſuis civibus tradidit. De quo Poëta in mirabili opere lib. 15.

Sacrificos docuit ritus, gentemque, feroci
Aſſuetam bello, pacis traduxit ad artes.

& *ibid.*

—— quæ ſit rerum natura requirit.

Videtur tamen eventus non reſpondiſſe Principis conatui. Nam populus in ferrum præceps, nondum parto Imperio, cui deſtinatus erat, alienior erat à Muſarum otio. Quod cum ſagaciſſimus Numa pervideret, ne tantarum rerum notitia paulatim intercideret, ſcriptis præcepta & placita Philoſophiæ conſignavit: quæ cum demortuo in arca lapidea condita fuerunt, ut *Livius*, *Plut.* & *Plinius* tradunt. Ita uſque ad bellum Punicum II. illa Philoſophiæ pars, quæ in contemplatione poſita eſt, veluti cum Numâ ſepulta jacebat. Donec poſt annos plurimos, Cornelio & Bebio Coſſ. in agro Petilii Scribæ ſub Janiculo, arcæ duæ lapideæ repertæ ſunt à foſſoribus, in quarum altera corpus Numæ erat, in altera ſeptem Latini libri de Jure Pontificio, id eſt, ritu ſacrorum: Itemque Græci totidem de diſciplina Sapientiæ ſcripti, quibus omnem Religionem evertebat. Re ad Senatum delata, libri illi in concione populi à Q. Petilio Prætore Urbano cremati ſunt. Ita rem geſtam tradunt *Livius* Dec. 4. libri ult. *Val. Max.* lib. 1. *Plinius* lib. 13. c. 13. *Auguſt.* lib. 7. de C. V. cap. 14. *Lactant.* lib. 1. Inſt. c. 22. Erant tamen in Italia ante Numam & Pythagoram Philoſophi, qui à regione Hetruſci, à profeſſione, haruſpices, augures, harioli, dicti ſunt. Author ſectæ, ut ipſi Hetruſci

Gg ajunt,

ajunt, *Tages* quidam fuit, qui, arante quodam in agro Tarquinienſi & ſulcum altius adprimente, ſubito è terra extiterit, facie quidem puerili, ſed ſenili prudentia, à quo univerſa Hetruria aruſpicinam edocta ſit. *Tullius* lib. 2. de Divin. *Lucan*. lib. 1.

——————— dii viſa ſecundent
Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

Ovid. lib. ultimo:

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Amm. Marcell. lib. 21. Quæ quam futilia ſint, nemo non videt. Magna tamen ſemper authoritas Hetruſcorum fuit, neque aliunde Romani, fortaſſe & ipſe Numa Pompilius, ſuam religionem hauſere. *Cic*. lib. 2. de Legg. *Hetruria Principes diſciplinam docet*. & lib. 1. Divin. de Principum filiis ſex ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam traditos docet. *Valerius Max*. decem fuiſſe aſſerit. Primi Italiæ cultores *Aborigines* fuere, populus rudis, ſine legibus, ſine ſapientia. Quorum Rex *Ianus* fuiſſe memoratur, vir celebris memoriæ: qui incompoſitos populi mores ad honeſtatem & bonam frugem revocavit. de quo vide ſupra lib. 2. cap. 1. Paulo poſt *Saturnus* Cretâ, metu filii, profugus, in Italiam venit, & Jani hoſpitio ſuſceptus, rudes illos homines & agreſtes multa docuit, literas imprimere, numos ſignare, inſtrumenta conficere, leges quoque ad conſervandam juſtitiam condidit. *Virgilius* lib. 8.

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis,
Compoſuit, legeſque dedit.

Vide *Lactant*. lib. 1. c. 13. *Minucium* in Octavio, *Cyprianum* lib. de Idolorum vanitate. Poëtæ ad ejus imperium aurea tempora referunt: quibus

——————————— vindice nullo

Sponte

Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebant.

Fabula ex eo orta, quod Rex Saturnus *tanta juſtitiæ fuerit, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint, velut unum cunctis patrimonium eſſet. Juſtin.* lib. 43. Memorant etiam *Faunum* Aborigenum Regem à belluina vita Italos ad manſuetiorem cultum traduxiſſe; cujus Philoſophia tradebatur rudibus & ruſticis carminibus, de morum & Reipublicæ conſtitutione. *Virgil.*

Carmina quæ antiqui Fauni Satyrique canebant.

Unde etiam Pici uxor Canens dicta eſt, quod collapſum illud Philoſophiæ Muſicæ ſtudium reſtauraret in Italia. *Ovidius* lib. 14. Met.

Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi,
Unde Canens dicta eſt: ſylvas & ſaxa movere
Et mulcere feras & flumina longa morari
Ore ſuo, volucreſque vagas retinere ſolebat.

Regnante Fauno *Euander* cum mediocri turba Arcadum in Italiam venit; cui Faunus & agros & montem, quem ille poſtea Palatinum appellavit, benignè aſſignavit. *Juſtin.* lib. 43. Hic Euander, vir integerrimæ vitæ, poſt mortem inter Deos indigetes relatus, etiam non parum ſapientiæ ſtudium promovit. Sabini autem Lacedæmoniorum coloni fuerunt, teſte *Plut.* qui etiam primi Romam tranſierunt. Unde Lacedæm. Philoſ. ibi ex parte quoque hæſit. Et *Dionyſius* Græcas non Barbaras gentes fuiſſe vult quæ primo Romam convenerunt. Tandem, poſt deſtructum à Græcis Aſiæ imperium, *Æneas* Trojanus in Italiam colonias duxit, & in unum cum Latinis populum coivit. Unde colligimus etiam Aſiaticam Philoſophiam eò conceſſiſſe, quæcunque tandem illa fuerit. Nam Æneas apud Poëtas pro ſingularis & pietatis & ſapientiæ viro habitus, nunquam conceſſurus fuit Majorum placita, quorum imprimis tenaces

ſumus, interire. Quænam illa fuerint, non conſtat, niſi tamen ex Homero & Virgilio quædam eruas. Nam cum Politia Trojana optime conſtituta fuerit, ibique viri fortes & egregii vixerint, dubium non eſt, quin melioris ſapientiæ cultus publice obtinuerit. Nec obſtat, Phryges ſtuporis, ruditatis, ac inſipientiæ accuſari: nam ab hoſtibus & invidis & glorioſis & mendacibus ea accuſatio procedit. Qua ratione etiam ipſi Batavi olim proverbio locum fecerunt, quibus tamen hodie nihil cultius, nihil ingenioſius eſt. Sed redeundum eſt Romam: quæ, in Sapientiæ honorem, ipſam MENTEM conſecravit. *Cic.* lib. 2. de Legg. *Olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cœlum, MENTEM, virtutem, pietatem, fidem: earumque laudum delubra ſunto.* ibid. *Bene vero, quod MENS, pietas, virtus, fides, conſecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publicè templa ſunt.* & lib. 2. de N. D. teſtatur Mentem in Capitolio dedicatam à M. Æmylio Scauro. Erant autem hæc tenuia tantum ſapientiæ initia, intra quæ (mirum dictu) aliquot ſeculis ſubſtitit. Punico demum ſecundo bello cum humanioribus literis, etiam ipſa Philoſophia quæ in rerum θεωρίᾳ verſatur, & à Græcis jam multis ſeculis expolita erat (nam, inde paulatim & ipſa Græcia à Romanis devicta, Romanos cœpit ardor plura ſciendi) emerſit. Quo ſpectant verſus Servii de Romanis à *Gellio* lib. 17. cap. 21. laudati:

Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Horatius lib. 2. epiſt. 1.

Græcia capta ferum victorem cepit, & arteis
Intulit agreſti Latio.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis,
Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit,
Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylus utile ferrent.

Perſ. Sat. 6.

— poſt-

Digitized by Google

———————— *poſtquam ſapere urbi*
Cum pipere & palmis venit.

Vide *Lactant.* l. 3. c. 16. Contemta tamen erat & parvæ authoritatis apud populum bellis natum & Imperio, nondum domita Carthagine. Videbatur enim priſcæ ſeveritatis hominibus nimium levitatis habere & ad otia vocare juvenum animos: de quo vide Senatuſconſultum Romanum apud *Agell.* l 15. c. 11. *C. Marius* apud Salluſtium in Jugurtha: *Neque literas græcas didici. parum placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem Doctoribus nihil profuerunt. Salluſtius* Orat. ad C. Cæſ. de Rep. ordinanda. *Vnius M. Catonis ingenium verſutum, loquax, callidum haud contemno. parantur hæc diſciplina Græcorum, ſed virtus, vigilantia, labos apud Græcos nulla ſunt. quippe cum domi libertatem ſuam per inertiam amiſerint, cenſeſne eorum præceptis imperium haberi poſſe?* Præcipuè tamen *M. Cato* orator, Græcis infenſiſſimus, omni modo Philoſophiam Græcam Romanis ſedibus arcebat. Cujus rei exemplum hoc eſt. Venerant Romam Athenienſium Legati tres, Carneades, Critolaus & Diogenes Babylonius. Auditi à ſenatu, tanta facundia cauſam egit Carneades, ut omnes in ſtuporem daret. Cumque ſubinde ad populum Academico more diſſereret, & aliquot ἀκροάσεις faceret, factum eſt, ut juventus Romana undique ad eum audiendum conflueret. Dici non poteſt, quantum Cato Græcam facundiam, ne quid ex ea Reſpubl. & juventus Romana damni caperet, pertimuerit. Quare ſtatim procuravit, ut, expeditis rebus, in Græciam remitterentur. *Plin.* l. 7. c. 10. *Gellius* lib. 17. cap. 21. qui etiam ita de Græcis ad filium ſcripſit: *Dicam iſtis alio loco, Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam & quod bonum ſit illorum literas adſpicere, non perdiſcere.* Et mox: *Quandocunque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet, tunc etiam magis ſi medicos ſuos huc mittat.* Ipſe tamen Cato merito ſa-

Digitized by Google

pientiſſimus habetur, qui, ſi quiſquam alius, certe ſolide & plane Romana Philoſophia inſtructus fuit. Unde & SAPIENTIS cognomen tulit. *Quintil.* lib. 12. cap. 6. Quid de Scipione dicam qui Africam devicit? Is enim

Non ſine Pieriis exercuit artibus arma.

ut de eo *Claudianus* præfat. in lib. 3. de laud. Stil. teſtatur. Quo ſpectabant ejus cum viris eruditis, præſertim Ennio, converſationes. Neque à Græcis abhorruit. *Vellejus* lib. 1. *P. Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ & author & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit, & aut corpus periculis aut animum diſciplinis exercuerit.* Nondum tamen ad ullam vanitatem oſtentationis, litium, ſectarum, & quæ ſunt hujus generis Græcorum propria, deſcendebat Romana gravitas: ſed ſapientiam ſolidam, Practicam, utilem patriæ, utilem imperio, qua domi, qua foris, in pace & bello uti poſſent, affectabant. Quo reſpicit Sagaciſſimus Poëtarum lib. 6. Æn. ubi de his Belli Punici temporibus agens inquit:

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius; cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciſque imponere morem;
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Sed præ cæteris *Flaccus* id oſtendit in Satyris ſuis ingenioſiſſimis. Nam ad partes vocaturus putidas & glorioſas Græculorum ſectas, primò Romani hominis incultam ac robuſtam ſapientiam deſcribit: quæ ſine ulla inſtitutione aut accuratis præceptionibus in ſola actione, ſicut olim Spartanorum, conſtaret: ut *Heinſ.* lib. 1. de Sat. Horat. erudite annotavit. De quo inquit:

— Oſel-

——————————————— *Ofellus*

Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minerva.

Abnormis autem, ut idem ille notat, eſt ἀνάγωγος, ἀδίδακτος, & qui præceptores non agnoſcit, ut jam verum ſit illud,

Cive Romano per orbem nemo vivit rectius,

Quippe malo unum Catonem quam trecentos Socratas.

Erat iis, antequam Græca innoteſceret Philoſophia, ejus loco, ſtudium Legum XII. tab. quas pueri in ſcholis ediſcebant. *Cicero* 2. de Legg. *Diſcebamus pueri duodecim tabulas ut carmen neceſſarium, quas jam nemo diſcit.* Unde & Sapientiſſimi Viri, Scævola, Sulpicius, Varro, Cato, Cæſar, & alii plurimum operæ in Legibus poſuerunt, quarum periti Sapientes dicebantur. *Gellius* 4. cap. 1. *Veteres Iuris Magiſtri qui ſapientes appellati ſunt.*

CAP. IV.

Catalogus Philoſophorum Romanorum poſt ſecundum bellum Punicum. Ennius Pythagoræus. Plautus. Sulla. Varro duplex. Atracinus. Lucretius. Catones. Iulius Cæſar. Nigidius Figulus. Pompejus Magnus. Virgilius. Ovidius. Horatius.

NUnc Catalogum aliquem Romanorum Philoſophorum qui poſt Punica bella ad Chriſti ævum vixerunt, ſed ſtrictim, texamus. Primas dabimus ENNIO, cujus patria Rudiæ. *Mela* 2. 4. Natus A.V.C. IↃ XCIV. C. Maurilio Turino & Q. Valerio Faltone Coſſ. Obiit IↃ XXCIII. Q. Marcio Philippo & Cn. Servilio Cæpione Coſſ. Erat Pythagoræus. *Perſius:*

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe

Mæonides Quintus, pavone ex Pythagoræo.

Unde initio ſtatim Annalium de Metemphychoſi & Metenſomathoſi ſua egit. *M. Accius* Plautus, ut in omni literatura, ita & in Philoſophia Græca doctiſſimus fuit: quod

ex

ex illis XX. eruditiſſimis Comœdiis, quæ ſolæ ſuperſunt, apparet, inſignem Dialecticum fuiſſe, *Rudente* act. 4. ſc. 3. & *Aulul.* act. 2. ſc. 6. ubi varia artificia Dialectica exhibet. Ex quo tamen & illud obſervamus, probroſum circa ea tempora fuiſſe, Philoſophum appellari, nondum priſtino rigore depoſito. Ita enim quidam, Tranionis nugas moleſte ferens, eum Philoſophum vocat, quod aliàs ei nugivendus., nugidoloquidus eſt. Et Pſeudolus de ſuis technis diſputans, *Iam & ſatis eſt*, inquit, *Philoſophatum*. *Sullam* literis Græcis atque Latinis juxta doctiſſumum *Salluſtius* in Jugurtha vocat: *VARRO*, *quo nemo unquam doctior neque apud Græcos neque apud Latinos fuit*. *Lactant.* lib. 1. cap. 6. *Vir Romanorum eruditiſſimus*. *Quintil.* lib. 10. cap. 1. *Vir accuratiſſime doctus atque eruditus*. *Apul.* Apol. Fuit autem præcipuè totius Philoſophiæ Græcæ promus condus & alter Latinorum Plato ſive Ariſtotelem dicere malis. *Quintil.* lib. 1. Inſt. cap. 4. *Varro ac Lucretius in Latinis qui præcepta Sapientiæ verſibus tradiderunt*. Niſi tamen ibi Varronem alium intelligas: duorum enim meminerunt antiqui, M Terentii Varronis, de quo impræſentiarum agimus, & Varronis Atracini, de quo *Fabius* lib. 10. cap. 1. cum de Lucretio ante egiſſet: *Atracinus Varro in his per quæ nomen eſt aſſecutus, interpres operis alieni, non ſpernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples*. *Euſebius* in Chronico: *P. Terentius Varro vico Atrace in Provincia Narbonenſi naſcitur, qui poſtea* XXXV. *annum agens Græcas literas ſummo ſtudio didicit*. Idem tamen & alius Atracini meminit, qui ſub Auguſto floruit, his verbis: *Atracinus, qui ſeptendecim natus annis Celium accuſaverat, clarus inter Oratores habetur, ad extremum voluntate exanimatus hæredem reliquit Auguſtum*. *Lucretius* Carus, Epicuræos ſecutus, eorum Philoſophiam ſex libris deſcripſit. Qui ſoli fere ex omnium Epicuræorum

rum ſcriptis hodie ſuperſunt. Epicurum ſummis laudibus ſupra omnes Philoſophos effert:

Hic eſt ille, inquit,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus ut ætherius ſol.

Quos equidem verſus, inquit *Lactantius* lib. 3. cap. 17. *nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat; qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius deliravit. Itaque Poëta inaniſſimus leonis laudibus murem non ornavit, ſed obruit, & obtrivit.* Primus autem apud Romanos ex profeſſo Philoſophiam deſcribere aggreſſus eſt: prout ipſe teſtatur apud *Lactant.* lib. 3. cap. 16.

Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc, primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſum vertere voces.

De Majori *Catone* diximus: de utroque audiamus *Quintilianum* l. 12. c. 7. *Alter appellatus Sapiens, alter niſi creditur fuiſſe, vix ſcio cui reliquerit hujus nominis locum. Lactant.* lib. 3. cap. 18. *Ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua vita Socraticæ vanitatis imitator.* Nemo non videt mendum eſſe. Nam & Cato non Socraticus ſed Stoicus fuit, & totum illud caput non de Socraticis ſed de Pythagoræis & Stoicis agit. Paulo etiam poſt de eodem inquit: *Cato videtur mihi cauſam quæſiſſe moriendi, non tam ut Cæſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur, nomenque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret. Euſebius* in Chronico ad A. M. 5120. *M. Portius Cato Stoicus Philoſophus agnoſcitur.* Legendum igitur in Lactantio: *Cato Stoicæ vanitatis imitator.* De cujus virtutibus & eruditione, qui inſtar omnium eſt, unus *Plutarchus* videri poteſt. *Lucanus* de eo nervoſe lib. 2.

——————— *hæc duri immota Catonis*

Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriaque impendere vitam:
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulæ, viciſſe famem: magnique penates,
Submoviſſe hyemem tecto: pretioſaque veſtis,
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: Venerisque huic maximus uſus,
Progenies; Vrbi pater eſt, Vrbique maritus:
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti:
In commune bonus.

Iuvenal.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Quo ſenſu alibi dixit:

——— *è cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.*

Nam ſolemus eos quorum virtutem miramur, aut eos qui repentine advenerint, de cœlo cecidiſſe dicere, inquit *Minucius* Felix apud *Lactant.* lib. 1. cap. 11. De Cicerone ſeqq. cap. agemus. *C. Iul. Cæſar*, nulli Romanorum ſecundus, præter cæteros, eximius Philoſophus fuit. Præcipue tamen diſciplinas Mathematicas ſectatus eſt. Mirum dictu eſt, hominem bellis à juventute maximis innutritum, tamen raro exemplo, non ſecus ac ſi in mediis Athenis vixiſſet, Philoſophiæ operam dediſſe. Apud *Lucanum* cum Achoreo, filio Memphis, Ptolemæi Junioris conſiliario, Sacerdote & inſigni Philoſopho, de rebus ſecretiſſimis, imprimis Nili origine diſſerit: ad quem de ſeipſo inquit:

——— *ſi Cecropium ſua ſacra Platonem*
Majores docuere tui: quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hoſpes?
——— *media inter prælia ſemper*
Stellarum cœlique plagis ſuperiſque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur Faſtibus annus.
Sed cum tanta meo vivat ſub pectore virtus,

Tantus

Tantus amor veri, nihil eſt quod noſcere malim
Quam fluvii cauſſas per ſecula tanta latentes.

Cujus ævo etiam Nigidius Figulus, inſignis Mathematicus Romanus, floruit. De quo idem Poëta lib. 1.

At Figulus, cui cura Deos ſecretaque cæli
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra.

Euſebius in Chronico A. M. 5150. *Nigidius Figulus Pythagoricus & Magus in exilio moritur. Pompejus* M. triumphans ad Poſſidonium Stoicum audiendum, licet ægrotum, divertit, & fores de more percuti à lictore vetuit: ſed faſces Imperii ſubmiſit is cui ſe orbis ſubmiſerat. *Cic.* 2. Tuſcul. *Plin.* l. 7. cap. 30. Sed emerſit *P. Virgilii* Maronis ingenium velut ætherius Sol. De quo antiquorum judicia potius quam mea apponam. *Macrob.* lib. 1. in Somn. Scip. *Virgilius diſciplinarum omnium peritiſſimus.* & lib. 5. *Virgilius, præter Philoſophiæ & Aſtronomiæ amplam illam copiam, non parva ſunt alia quæ traxit à Græcis, & carmini ſuo tanquam illic nata inſeruit. Columella* lib. 9. cap. 2. de Re Ruſtica: *Virgilius veterum authorum placita Poëticis floribus illuminat. Ioh. Sariſberienſis* lib. 2. Policratiæ: *Quod & Virgilius, in libro quo totius Philoſophiæ rimatur arcana, ſenſiſſe viſus eſt.* Agit autem de libro 6. Æn. & lib. 6. cap. 22. *Poëta Mantuanus, ſub imagine fabularum, totius Philoſophiæ exprimit veritatem. I. Cæſ. Scal.* lib. 3. Poët. cap. 20. *Nullis profectò Philoſophorum præceptis aut melior aut civilior evadere potes quam ex Virgilii lectione.* Eobanus *Heſſus* in 1. & 3. Georg. obſervavit, *Virgilium omnis naturæ conſultiſſimum fuiſſe.* De ſeipſo verò teſtatur Virgilius quod Philoſophiæ amore arſerit:

Me vero, inquit, *primum dulces ante omnia Muſæ,*
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore,
Accipiant cælique vias & ſidera monſtrent,
Defectus Solis varios, Lunæque labores,

Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumeſcant
Objicibus ruptis, rurſuſque in ſe ipſa reſidant.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

& mox:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Florebat tum Neapolis doctiſſimorum hominum concurſu: ubi Virgilius Philoſophiæ & Medicinæ operam dedit. Quod ſub finem lib. 4. Georg. his verbis fatetur:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.

Proximum ab hoc locum cæteri Poëtæ viri clariſſimi tenent, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Horatius*, *Ovidius*, *Gallus*, *Macer*, & alii quorum monumenta vel amiſſa vel præſentia ſunt. *Horatius* initio Epicuræus, inde Stoicus, modo liberrimus Academicus fuit. Nam quod Athenis inter Academicos ſe operam navaſſe ſcribit lib. 1. ep. 4. & lib. 2. ep. 2. id de veteri Academia intelligendum eſt. Putat vero *Daniel Heinſ.* lib. 2. de Sat. Horat. eum non Academicum ſed Eclecticum fuiſſe: qui ex omnibus meliora ſeligebant, de quibus ſupra. Sed omnino parum intereſt. In eo autem error latet: Academicos prorſus nihil ſtatuiſſe, ſed tantum omnes confutaſſe. Nam utut in rebus obſcuris & Phyſicis id agebant, tamen moralia habebant placita. Sed idem Heinſius Epicureum fuiſſe negat. Nam non permanſit in ea ſecta, ſed eam ejuravit. lib. 1. *Od.* 34. ejuſque ſectatores acerrime redarguit. Fuiſſe autem initio talem, non eſt obſcurum, non tantum ex lib. 1. ep. 4. quem locum Heinſius ita explicat, ut agi velit de curatione corporis voluptaria, cui qui ſervit, etiamnum Epicureus dicitur, ſed etiam, & maxime quidem, ex lib. 1. ep. 1. & 17.

Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor.

Fuit

Fuit enim Ariſtippus Epicureorum deterrimus, de quo ſupra c. 16. Idem Poëta Peripateticos quoque æmulatur non uno loco, quæ profert Heinſius quem de Philoſophia Horatiana diſſerentem lib. 2. de Satyra Horat. latè vide. Id peculiare fuit Horatio, quod Satyrica licentia omnes Græculorum ſectas ad partes vocavit. Nam aliquando introducit Ofellum ruſticum, qui pro maſcula Romanorum Sapientia contra Damaſippi & Catii præcepta ſtat. Inde Stoicos & Epicureos ſub Damaſippi & Catii perſona vexat. Ille enim Catius Epicureus ſectæ ſuæ dogmata deſcripſit, teſte *Fabio* lib. 10. cap. 1. eumque levem, non tamen injucundum vocat. Qualis autem fuerit Philoſophus Horatius, ipſum audiamus 1. Epiſt. ad Mæcen.

Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos rigiduſque ſatelles,
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, ſubjungere conor.

Epiſt. 4.

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

& Serm. 1. Sat. 5. circa finem, Deum & Providentiam negat. Præceptore uſus eſt Stertinio, 2. Serm. 3.

Si quid Stertinius veri crepat: unde ego mira
Deſcripſi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus juſſit ſapientem paſcere barbam.

& ead. Epiſt.

Hæc mihi Stertinius ſapientum octavus amico
Arma dedit.

Erat autem Stertinius Stoicorum ſectator, ut ex ea epiſtola patet: unde & alibi acumen ei adſcribit, lib. 1. epiſt. 12.

Empedocles an Stertinium deliret acumen?

Sed de Horatii Philoſophia latius vide *G. Fabr.* præfat. in eum Poëtam.

CAP. V.

M.T. Cicero. Defenſus contra invidos qui Philoſophum fuiſſe negabant. Ejus peregrinationes. Academiam inſtituit. Palladem conſecrat. Academiæ, Platonis, & Ariſtotelis, & Stoicorum ſectator. Ejus ſcripta. Conſolatio ſuppoſititia. De Republica. Hortenſius. Pomponius Atticus Epicureus. Ejus Gymnaſium Amalthæum. Britanni barbari.

DE M. Tullio CICERONE ampliore folio agendum eſt. Qui non, ut cæteri plerique, ſparſim tantum & ſtrictim de Philoſophia, ſed ex profeſſo, immortalitate digniſſima volumina, ſcripſit. Initio igitur iis reſpondendum eſt, qui Ciceroni invidentes, omnem hanc laudem, quæ maxima eſt, ei auferre auſi ſunt, non recentioribus tantum ſed & antiquis. Omitto *Caſtium*, qui adeo Ciceroni infeſtus erat, ut neſciſſe eum literas jactaret. *Quintil.* lib. 10. cap. 5. *M. Sen.* lib. 3. controverſ. præfat. ſuaſ. 7. Quem uno ore omnes redarguunt. Sed *Auguſtinus* ſua jam ætate, & ante quoque fuiſſe ſcribit, qui de Ciceronis Philoſophia ſequius judicarent: *cujus,* inquit lib. 3. Confeſſ. cap. 4, *linguam ferè omnes mirantur, pectus non ita.* Ubi quid pectus notet, jam ſupra lib. 1. cap. 7. & in Pſychologia expoſitum, & apud eundem *Ciceronem* lib. 1. contra *Acad.* cap. 2. cuidam dicenti: *Temerè dedi Ciceronem fuiſſe ſapientem*; cui alter reſpondet: *Ergone Cicero ſapiens non fuit, à quo in Latina Lingua Philoſophia & inchoata eſt & perfecta?* Unde adoleſcens adhuc Philoſophus Græcus à P. R. appellatus eſt. *Plut.* Succeſſit diu poſt *Argyropylus* Byzantius, qui Græcas Muſas, igne Turcico ereptas, Italiæ intulit; æmulatione motus, quod nollet Romanum ullum priſcis ſuis Græcis præponi, Ciceronem nec Philoſophiam ſciſſe neque literas Græcas publicè Romæ docuiſſe plurimis perſuaſit. *An-*

gelus

Digitized by Google

gelus Politianus lib. Miſcell. cap. 1. de quo dixeris illud Senecæ:

Hunc Graia tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchuſve Phaſis?

Quorum omnium vanitatem *Apollonii* Molonis, qui & ipſe Græcus fuit, eulogio convincere poſſumus. Eo enim præceptore bis uſus eſt Cicero. *Quintil.* lib. 12. cap. 6. Is igitur, audita Ciceronis inſigni cum ſtupore dicendi facultate, velut deplorans Græciæ ſuæ fata, cum eruditionem & eloquentiam Græcis ereptam Romam tranſtuliſſe dixit. *Plut.* in vita Ciceronis. Idem peregrinationes Ciceronis, ſuſceptæ diſcendi ſtudio in Aſiam, in Græciam, & diuturnæ cum præſtantiſſimis Philoſophis converſationes, teſtantur. Nam Romæ apud *Philonem* Academicum & *Diodorum* Stoicum (qui apud eum habitavit & mortuus eſt) omnes Philoſophiæ partes penitus hauſit: neque his doctoribus contentus, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque & Aſiam peragravit, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. *Cic.* in Bruto: author Dialogi de Oratoribus, ſive *Quintil.* ſive *Tacitus*. *Quintil.* l. 12. c. 6. Athenis autem ſex ipſos menſes cum *Antiocho*, veteris Academiæ Philoſopho, verſatus eſt. *Plut.* in Cicerone. Sed & *Phædrum* atque *Zenonem* Epicuræos ſe audiſſe ſcribit. lib. 1. de finibus. Succeſſerunt poſt Tullii noſtri conſulatum ea tempora quæ ipſum in exilium pepulerunt. In quo, cum Græciam incoleret, maluit ſe quoque Philoſophum quam Oratorem appellari. *Plut.* in Cicerone. Tandem acrius inſurgente Tyrannide, cum nullum ſibi, oppreſſa Republica, locum ſupereſſe videret, ſeceſſit ab urbe in villas ſuas & totum ſe Philoſophiæ dedit, aperto Ariſtotelis æmulatione ludo, in quo maximas è media Philoſophia quæſtiones copioſe ornateque ſenili prudentia tractabat. 1. *Tuſcul.* Quæſt. Ibique nata ſunt illa Philoſophiæ Romanæ inſignia monu-

monumenta, Tuſcul. & Academ. Quæſt. & quæ ſunt ejus generis: quibus, quæ alias ſparſim & diffuſe ſcriptis ſuis inſeruerat, velut in compendium redegit. Itaque *hercle* (addit author Dialogi) *in libris Ciceronis deprehendere licet, non Geometriæ, non Muſicæ, non Grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis ei ſcientiam defuiſſe. Ille Dialecticæ ſubtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus cauſaſque cognovit.* Adjungimus & alia veterum & recentiorum teſtimonia. *Aurel.* Macrob. l. 1. in Somn. Scip. c. 27. & l. 2. c. 17. *Tullius nullius ſectæ inſcius veteribus approbatæ. Quintil.* l. 10. cap. 1. *Superſunt qui de Philoſophia ſcripſerunt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes literæ Romanæ tulerunt. Idem igitur M. Tullius, ut ubique, ita etiam in hoc opere Platonis æmulus extitit.* & lib. 12. cap. 2. *Tullius non tantum ſe debere ſcholis Rhetorum quantum Academiæ ſpaciis frequenter ipſe teſtatus eſt.* & cap. 17. *Romanæ Philoſophiæ principem vocat. Lactant.* lib. 1. cap. 15. *M. Tullius, qui non tantum perfectus Orator, ſed etiam Philoſophus fuit, ſiquidem ſolus extitit Platonis imitator.* & lib. 3. cap. 14. *Studuiſti nempe, M. Tulli, Philoſophiæ, & quidem ſic, ut nullus unquam diligentius: quippe qui omnes cognoveris diſciplinas & Latinis literis illuſtraveris, imitatoremque te Platonis oſtenderis. Hieron.* cap. 1. in Nah. *Cicero Philoſophus pariter & Orator.* Guilh. *Budæus* Annot. in Pandectas: *Cicero univerſa Philoſophiæ dogmata ſinuoſis diſputationum mæandris implicita, primus unuſque, à Græcis accepta, miro compendio explicata nobis tradidit. Salluſtius* ſarcaſtice declam. in Ciceronem: *Quem Minerva omnes artes edocuit, Iup. Opt. Max. in conſilium Deorum admiſit.* Qui Sarcaſmus unde natus ſit, ex Plutarcho patet, ubi de Cicerone ſcribit: τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον ἐτίμα διαφερόντως: *Palladis ſimulacrum domi locatum ſupra modum colebat.* Ejus etiam ope liberatam à ſe urbem, oppreſſo Catilina, dicebat, & in Poëmatis celebrabat. Ideoque

que illud Palladium in Capitolium delatum dicavit ſubſcripſitque:

PALLADI ROMÆ CUSTODI.

Cujus ſimulacri & *Iulius* Obſequens, & ipſe *Cicero* ad Atticum ſcribens, meminit. Sequebatur autem imprimis Academiam. *Lactant.* lib. 1. cap. 2. *Tullius, Academicæ diſciplinæ defenſor.* Non veterem illam, quæ fidem ſuam authoritati Doctorum mancipat: non etiam novam illam σκεπτικὴν & Pyrrhoniam: ſed eam, quæ, libertatis ſuæ ſibi conſcia, amicum habebat Socratem, magis tamen amicam Veritatem. Unde error *Lactantii* patet, qui lib. 3. cap. 14. ita ſcribit: *Cedò Cicero quid didiceris, aut in qua ſecta veritatem deprehenderis? In Academia ſcilicet, quam ſecutus es, quam probaſti? At hæc nihil docet, niſi ut ſcias, te nihil ſcire.* Non enim hanc ſecutus Cicero. *Ioh.* Sariſberienſis lib. 7. c. 2. de Nugis Curialium: *Adverſus iſtorum* (Academicorum) *ineptias, magnus pariter & fidelis Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, ſed & Cicero validis rationibus & ſermone elegantiſſimo copioſius diſſeruit.* Academicum autem ſe nominavit, non quod etiam illis ubique ſe addixiſſet, ſed quod præ cæteris eorum libertatem probaret & ea uteretur. Quo fine *Hortenſium* quoque ſcripſit, quo dehortatus eſt, ne quis ſectarius, præſertim pertinax, fieret: ſed ut ipſam ſapientiam diligeret, ut ex *Aug.* lib. Confeſſ. cap. 4. patet. Cumque civilis Tyrannidis æſtu in villas ſuas ejectus eſſet, cœpit ibi, doloris minuendi cauſſa, Academiam ſibi condere, certus, quod reliquum erat vitæ, illis potiſſimum meditationibus impendere. *Villa enim eſt ab Averno lacu Puteolos tendentibus, impoſita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibique compoſuit volumen ejuſdem nominis*, ut utar *Plinii* verbis lib. 31. cap. 2. Qui adducit in eam rem politiſſimum Laureæ Tullii Ciceronis liberti carmen, in quo inter alia de hac villa:

Atque Academiæ celebratam nomine villam.

Quanquam autem Platoni propior fuerit & addictior, tamen & Ariſtotelem magni fecit: ut ex encomiis patet quibus eum ſubinde celebrat. *Sev. Boëtius* Comment. in Top. Ciceronis: *Tullius ne quidem Ariſtoteli conſentit, ſed ab eo in nominum Interpretatione diverſus eſt, qui non tam propriis nominibus quam notioribus utitur.* Stoicos quoque ſibi lib. 1. de Legibus imitandos propoſuit, ut *Adr. Turnebus* in Commentario ejus libri & Apologia pro eo contra quoſdam luculenter probat. In libris de Officiis Panætium Stoicum ſecutum ſe eſſe & ipſe teſtatur & *Lactantius* lib. 6. cap. 5. comprobat. Scripta ejus Philoſophica partim amiſſa ſunt, partim etiamnum extant. Ex iis, quæ ſuperſunt, clariſſimi nominis Officia ſunt, de quibus *Lactant.* lib. 3. c. 28. *Cicero in libris officialibus* (ita etiam lib. 6. cap. 11.) *opere valde ſerio, in quo præcepta vitæ depromta ex Philoſophia dat.* Ea officia *Ambroſius* in Chriſtiano de officiis ſcripto imitatus eſt. Amiſſi ſunt plurimi inſignes libri: de *Conſolatione, de Republica, Hortenſius*, & alii. Conſolationem ſuper morte Tulliæ ſuæ ſcripſit, in qua præcipuè de contemnenda morte agebat, quem librum valde laudat *Lactant.* lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 18. in quo opere *Crantorem* ſecutus eſt, qui & ipſe volumen ea de re ſcripſit, ut teſtatur *Hieronymus* epiſt. 3. ad Heliodorum. Superiori tamen ſeculo quidam imponere orbi conatus, in lucem produxit hunc librum: ſed fraus à ſagacioribus ſtatim detecta eſt. Plerique eruditorum, inter quos & *Lipſius* erat, augurabantur ejus authorem C. Sigonium fuiſſe. Amiſſi etiam libri de *Republica*, quos imprimis viri eruditi deſiderant. *Lud. Vives* in lib. 2. *Aug.* de C. D. cap. 9. *Si quos antiquorum libros ex iis qui vel omnino amiſſi ſunt, vel certe non extant, vellem extare, ſunt ſex Ciceronis de Republica. Neque enim dubito quin opus fuerit admirabile: facio ex his fragmentis, quæ vidi, conjecturam.*

ram. In *Hortenſio* juventutem Rom. voce ſua ad capeſſendum Philoſophiæ ſtudium hortabatur: vide lib. 2. de *Divin.* lib. 3. *Tuſc.* lib. 1. *de Fin. Lactant.* lib. 3. cap. 6. Hic eſt ille liber, cui Auguſtinus tantum non ſalutem ſuam acceptam tulit, cum in ejus lectionem vix anno ætatis undecimo (alii legunt undevigeſimo) incidiſſet: de quo vide ſic eum lib. 8. *Confeſſ.* cap. 3. & 7. & libro de *beata vita*, imprimis tamen lib. 3. *Confeſſ.* cap. 4. Qui locus quia inſignis eſt, & à *Cælio* quoque Rhodigino lib. 25. A. L. cap. 3. nec non *Angelo* Baſſo ſive Politiano cap. 1. Miſc. laudatus, non gravabimur eum referre. Ita igitur inquit Sanctus Pater: *Perveneram in librum quendam cujuſdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non item. Sed liber ille ipſius exhortationem continet ad Philoſophiam & vocatur Hortenſius. Hic verò liber mutavit affectum meum, & ad te ipſum Domine mutavit preces meas, & vota ac deſideria fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana ſpes, & immortalitatem Sapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere jam cœperam ut ad te redirem.* Et paulo poſt: *Quomodo ardebam Deus mi, quomodo ardebam evolare à terrenis ad te, & neſciebam quid ageres mecum; apud te enim eſt Sapientia. Amor autem ſapientiæ nomen Græcum habet Philoſophiam, quo me accendebat ille liber.* Ex quo patet, quam inſignis liber *Hortenſius* fuerit. Illud autem vel ſolum ſatis oſtendit quantus in Philoſophia vir fuerit, quod, cum ab Ariſtotelis & Theophraſti temporibus ad Ciceronem uſque nullum Syſtema Logicum prodiiſſet, ſive apud Græcos, ſive apud Latinos, ipſe primus inſigne ea de re opuſculum Trebatio inſcriptum ediderit. Ciceronis intimus erat *Pomponius* Atticus, quem Epicuræum fuiſſe ex *Cic.* lib. de Legg. patet: qui & ipſe in villa ſua Gymnaſium nomine *Amaltheum* habebat, vel *Amaltheam*, ab Amalthea capra nominatum. Ita enim legendum cenſet *Turn.* Comm. in 2. de Legg. ubi corrupte

legitur *Emathium*. *Cic.* l.1. ad Att. *Ego te arbitror, caſis apud Amaltheam tuam victimis, ſtatim eſſe ad Sicyonem oppugnandum profectum.* Eodem libro: *Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo poſuiſti, contenti erimus.* Et paulo poſt: *Velim ad me ſcribas, cujuſmodi ſit* Ἀμαλθεῖον *tuum: quaſque hiſtorias de* Ἀμαλθείᾳ *habes, ad me mittas.* Tempore *C. Cæſaris*, qui Britanniam debellavit, Britannia habebatur barbara plane & rudis. *M. Tull.* lib. 4. ad Atticum epiſt. 16. *Cognitum eſt nullam eſſe ſpem prædæ* (Britannicæ) *niſi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te literis aut Muſicis eruditos expectare.* *P. Mela* lib. 3. cap. 6. *Britanni ſunt inculti.* Et paulo poſt de Hibernis: *Cultores ejus inconditi ſunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.*

CAP. VI.

Romana Philoſophia ſub Impp. degenerat in ſectas. Auguſtus Arei diſcipulus. Anaxilaum Pythagoricum pellit, ob Magiæ ſtudium. Græci Romam migrant. Annæus Cornutus. Nero Magiæ ſtudioſus. Seneca Stoicus. Varia de eo judicia. An Pauli auditor? Epictetus. M. Antoninus. Philoſophiæ mutationes. Alex. Aphrodiſeus, à quo Alexandrei. Plutarchus Celſus. Philoſophi Roma pulſi aliquoties.

SEd ſequamur hoc narrationis filum, &, quæ porro de claris Romanorum Philoſophis dicenda reſtant, attexamus. Conſtituto Cæſarum Imperio, ut Reſpublica ita mores quoque civitatis & ingenia non levem mutationem ſenſere. Omnia magis magiſque ſervituti ſe dabant, quaſi nulla, vel ſaltem exigua, ſub Impp. Imperio libertas ſupereſſe deberet. Quod ſatis diſcrimen in Philoſophia oſtendit. Illa quæ libera adhuc civitate florebat, maſcula quodammodo & toroſa, nec coloris expers erat. Certe inter Græcam vanitatem & inconditam Barbariem medium tenebat curſum. *Quintilianus* huc alludit lib. 12. cap. 2. *Ego illum quem inſtituo Romanum quendam velim eſſe ſapientem, qui non ſecretis*

cretis diſputationibus, ſed rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat. & lib. 11. cap. 1. *At vir civilis vereque ſapiens, qui ſe non otioſis diſputationibus ſed adminiſtrationi Reipublicæ dediderit, à qua longiſſimè iſti, qui Philoſophi vocantur, receſſerunt.* *Cicero* quoque ejuſmodi civiles viros Philoſophiæ Doctoribus præfert, apud *Lactant.* lib. 3. cap. 16. At mox ſub Impp. cœpit cum libertate vigor ille & ſanguis decreſcere: inſecuta eſt ſervitus ingeniorum, ſectis nomina ſua dantium: audita *Stoicorum*, *Platonicorum*, *Epicureorum* nomina: inſecuta eſt macies & contentioſum diſputandi genus, magis pro opinionibus ſuis quam veritate pugnans. Atque ego quidem ſæpe mecum mirari ſoleo tam crebras & pugnantes plane dixerimne ingeniorum mutationes an everſiones? quæ ſicuti initio Græciam turbarunt, mox everterunt: ita Romanis quoque ſatis oſtenderunt præteriiſſe jam illam Sapientiæ veræ & ſolidæ ἀκμὴν; ſenectutem autem imbellem, querulam, ſiccam, morbis inteſtinis laborantem, magno malo ſucceſſiſſe. Cauſam tanti mali præcipuam fuiſſe putarim mutatam Rempublicam: quæ ſicuti ad unius Domini arbitrium relata erat, artibus potius & calliditate, addo etiam ſævis & injuſtis ut plurimis imperiis firmandum; ita nullum locum Sapientiæ ejuſque ſtudioſis reliquit, ſed eos, privatis parietibus incluſos, Scholaſticas potius quam civiles diſſertationes habere coëgit. Incipiemus autem narrationem ab ipſis Imperatoribus. C. Cæſari ſucceſſit *C. Octavius* Auguſtus: in juventute ſua optimis artibus Eloquentia & Sapientia inſtitutus. Cui in Græcia & Aſia operam dedit. *Suetonius* in ejus vita cap. 89. *Eruditione varia repletus, Arei Philoſophi contubernium inivit.* Satis quoque toto illo Imperii ſui curſu, quantum ingenio & ſapientia valuerit, oſtendit. Nihil enim, quod optimi Imperatoris eſſet, omiſit, & unum ſi addidiſſet reſtitutæ in integrum Reipublicæ nomen, potuiſſet

ſuper omnes Romulos & Auguſtos jure meritoque collocari. Initio ſtatim Imperii ſui *Anaxilaum* Lariſſæum, Pythagoricum & Magum, urbe Italiaque pepulit. *Euſeb.* in Chron. A. M. 5170. Erant enim Pythagorici plerique omnes, præſertim autem circa hæc tempora, Magiæ ſtudioſi. Talis etiam *Nigidius* Figulus fuit, & ipſe in exilio mortuus. Quo factum, ut plerique odio eſſent Rerumpublicarum Rectoribus, adeoque in exilium pellerentur. Erant alii inſignes Philoſophi Romæ, qui ex Græcia Romam velut in alteras Athenas migrarant. Quod factum eſt, deſtructis à *L. Sulla* Athenis, à *Mummio* Corintho, clariſſimis Græciæ urbibus. Ea enim occaſione non tantum Græcia in ſervitutem redacta, ſed etiam plurima Græcorum, imprimis autem Platonis & Ariſtotelis monumenta, in Italiam delata, ipſæque Muſæ, quaſi captivæ abductæ ſunt: Certe ab eo tempore Græcæ diſciplinæ non amplius Athenis ſed Romæ habitare videbantur. Ipſius etiam Græcæ Linguæ ſtudium, à quo ante hac Romani alieni erant, tunc Romæ efflorescere cœpit. *Iuvenalis* Sat. 6.

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt,
De Sulmonenſi mera Cecropis? omnia Græce,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.

Quintil. lib. 1. Inſt. cap. 1. *à ſermone Græco puerum incipere malo.* Sumus enim omnes novitatis ſtudioſi & pulchrius videtur alienam linguam, quàm ſuam, æmulari: quod hodieque fieri ſolet Germanis, qui pleraque jam ex Gallorum lingua in ſuam traduxerunt. Quod non mediocriter Græculos erexit ad ſtudium, mores, inſtituta, placita, Philoſophiam, Romæ velut in altera Græcia, propagandi. Inter cæteros Romani *Annæum* Cornutum celebrant, cujus laudes *Perſius* Sat. 5. prolixe deſcribit. Inter alia inquit:

Cultor enim es juvenum, purgatas inſeris aures

Fruge

Fruge Cleanthea.

Unde Stoicum fuiſſe patet. Commentator priſcus: *Ad Annæum Cornutum Philoſophum, egregium virum, loquitur. Gellius* eum vocat virum doctum & prudentem. *Macrobius* magnum virum & literarum Græcarum doctiſſimum. Ejus etiam *Euſebius* in Chronico meminit: *Nero cum cæteris viris inſignibus & Octaviam uxorem ſuam interfecit, Cornutumque Philoſophum.* Præceptorem Perſii in exilium fugat. Vulgo huic Cornuto adſcribunt Commentaria illa priſca quæ extant in Perſium, ſed falſo. In Bibliotheca Mediolanenſi Ambroſiana Codex ille Mſſ. antiquiſſ. extat, in quo ita ſcriptum eſt: *ACRON in Perſium.* Florebant ibi quoq; *Muſonius, Plutarchus, Socion* Senecæ Præceptor. Sub Nerone, impuriſſimo homine, refloruit Magia, aliquoties jam urbe & Italiâ ejecta. Nulli enim arti tam addictus fuit Nero quam Magiæ, & Magos ex omnibus orbis partibus Romam accivit. *Plinius* lib. 30. cap. 1. Initio tamen Seneca Præceptore uſus, bonam ſpem orbi dedit, fore ſtrenuum & virtute potentem. Quam opinionem integrum quinquennium ſuſtinuit. Inde ad vitia immaniſſima prolapſus, omnium crudelitatem & luxuriam vicit. Viros pleroſque ſapientes & eruditos, crudeliſſime vel necavit, vel in exilium egit. Denique dubium non eſt, quin, ſi diutius crudelem vitam ei fata prorogaſſent, humaniores literas fuerit exciſurus. Prorſus ſimilis voto Tiberii & C. Caligulæ anteceſſorum & majorum, qui in perniciem & excidium humani generis conjurarant. Celeberrimus ejus Imperio SENECA fuit, Stoicæ diſciplinæ acerrimus ſectator & acutiſſimus. *Lactant.* lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 9. Nam ſub Imperatoribus præcipuè Stoici Romæ florebant: quæ ſecta illo ævo & celebrior & frequentior erat. Nec Romæ tantum, ſed & in toto Romano imperio velut ſedes ſuas habebat. *Iuvenalis* Sat. 15.

—*ſed*

——————— ſed Cantaber unde
Stoicus, antiqui præſertim ætate Metelli?
Nunc totus Grajas noſtraſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.

Fuit autem Seneca vir excitati & audacis ingenii, morum vitiorumque publicorum & deſcriptor veriſſimus & accuſator acerrimus. *Lactant.* lib. 5. cap. 9. De cujus tamen virtutibus & eruditione variè ab antiquis dubitatum & judicatum fuit. Huic fractus & mollis ac effœminatus in dicendo: illi Indoctus & ex ſuccus: alteri alius viſus eſt. Quorum ſententias *Gellius* lib. 12. cap. 2. compendio refert: *De Annæo Seneca partim exiſtimant, ut de ſcriptore minimè utili. Cujus libros attingere nullum pretium operæ ſit. Quod oratio ejus vulgaris videatur & protrita. Res atque ſententiæ, aut inepto inanique impetu ſint, aut levi & quaſi dicaci argutia. Eruditio autem plebeia & vernacula, nihilque ex veterum ſcriptis habens, neque gratiæ neque dignitatis. Alii vero elegantiæ quidem in verbis parum eſſe non inficias eunt. Sed & rerum quas dicat ſcientiam doctrinamque ei non deeſſe dicunt: & in vitiis morum objurgandis ſeveritatem gravitatemque non invenuſtam.* Vide etiam *Quintil.* lib. 10. c. 1. De quibus omnibus judiciis videri poſſunt Commentatores Senecæ, quos inter eminet *Juſtus* Lipſius. Illud certum eſt, Scriptorem illum eſſe elegantem, nervoſum, vitiis inimicum, cujus altas & erectas mentes lectio facit & delectat. In Philoſophia quoque verſatiſſimum fuiſſe eadem ſcripta ſatis arguunt, plena rerum naturalium, & quæ ad Philoſophiam pertinent, ardua eruditione. Stilus, quia novitatem quendam multis inimitabilem præ ſe fert, judicia multorum iniquiora provocavit. Qui tamen ſcire debebant, eſſe, ut ingeniorum, ita ſermonis quoque magnam differentiam. Ut *Quintiliani* cenſura mihi quidem plane frigere videatur qui lib. 10.

lib. 10. cap. 1. de eo inquit: *in Philoſophia parum diligens, egregius vitiorum inſectator fuit.* Nam in Philoſophia parum diligentem fuiſſe manifeſtus error eſt, cum omnia ejus ſcripta ſingularem ἀκρίβειαν & diligentiam præ ſe ferant. Sed certum eſt illud Venuſini Poëtæ:

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Nonnulli nimium tribuentes Senecæ ſcriptis, augurati ſunt eum à Paulo ad Chriſtum fuiſſe converſum: vel ſaltem ex ejus auditione tam ſublimem Sapientiam ſibi comparaſſe. Cauſa conjecturæ potiſſimum duplex. Primò, quod *Paulus* in Epiſtola ad Philippenſes cap. 4. verſ. 22. mentionem faciat Sanctorum ex Cæſaris domo: *ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας.* Jam, inquiunt, quis major in Cæſaris Neronis domo quam Præceptor Seneca? Secundò, quod hodieque extent epiſtolæ quædam, inter Senecam & Paulum tranſmiſſæ. Prius illud *Hieronymum* adeo fefellit, ut Senecam catalogo Sanctorum annumerarit. Alterum autem imperitis & indoctioribus plane firmum ad hujus rei teſtimonium viſum eſt. Tum tanta, inquiunt, doctrinæ Pauli celebritas fuit & admiratio, ut etiam ex Cæſaris familia & aula molles illi & plerumque degeneres animi eum ſecuti ſint. An igitur Seneca, ſapientiæ laude celebris, tantum audire virum recuſaſſet? Quæ tamen omnia plane imbellia ſunt & frivola. Nam & multis & magnis erroribus Senecæ ſcripta ſcatent; nuſpiam Chriſti, nuſpiam Pauli Apoſtoli nomen obvium: nullus etiam, qui Hiſtoriam ejus temporis ſcripſit, hujus rei mentionem uſpiam facit. Sane fuiſſe nonnullos ex aulicis Neronis ad Chriſtum converſos certum eſt etiam ex Epiſt. ad *Philipp.* cap. 1. ℣ſ. 13. ſed unquamne probari poterit inter eos etiam Senecam fuiſſe? qui, quæ fuit ſemper Philoſophorum αὐθάδεια, ſprevisset potius & condemnaſſet Pauli doctrinam, etiam audito eo. De qua re ipſe *Paulus* inquit 1. *Cor.* 1. 32. 33. Ἰουδαῖοι

σημεῖον αἰτοῦσι, καὶ ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν· ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν χριστὸν ἐσταυρωμένον, ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἕλλησι δὲ μωρίαν. Vide tamen *Bezam* in Annot. Major. ad Phil.4. ℣ſ.22. qui totam hanc rem confictam dicit. Epiſtolas quod attinet quæ Senecæ & Paulo adſcribuntur, ſunt illæ ridiculæ, ineptæ, barbaræ, Seneca & Paulo indignæ, commentum Monachi rudioris: qui plurima ejuſmodi, dum in clauſtris ſuis ſedebant ſoli Bibliothecarum poſſeſſores, indoctis ſeculis obtruſerunt. De quibus videri poſſunt viri eruditi. Mihi ne illud quidem *Lactantii* probatur lib. 6. cap. 24. *Seneca potuit eſſe verus Dei cultor ſi quis illi monſtraſſet: & contemſiſſet profecto Zenonem & magiſtrum ſuum Socionem, ſi veræ ſapientiæ ducem nactus eſſet.* Nimis enim delicatæ Philoſophorum aures erant, qui ſtultitiam prædicationis faſtidientes, *λογισμοῖς* ſuis planè, ut Sirenum ſcopulis, affixi erant. Cæterum Hieronymo ſi quis impoſuit homini nimis credulo, ſive ipſus non recte ceperit locum illum Pauli ex Epiſtola ad Philippenſes, certum quoque nos non poſſe aures dare. Ex Stoicis quoque *Epictetus* Romæ celebris fuit, qui ibi ſervitutem ſerviit, Stoicorum maximus. *Gell.* lib. 1. cap. 2. de quo hæc apud eundem lib. 2. cap. 18. leguntur:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην καὶ σώματι πηρὸς
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Hadrianus quoque Imperator Epicteto, Heliodoro, Favorino aliiſque multis Philoſophis, & ipſe Philoſophus, familiariſſimus erat. *Ælius* Spartianus in Hadriano. Hic Epictetus, cum aliquando Philoſophi Roma pellerentur, & ipſe inde ſecedere coactus eſt: de quo paulo poſt. Celebres etiam propter Sapientiæ laudem multi Imperatores fuere, ut *Veſpaſianus*, *Hadrianus*, *M. Antoninus*, qui ob ſummum Philoſophiæ ſtudium *Philoſophus* dictus eſt, quem in titulo quodam libri pro Chriſtianis ſcripti Juſtinus ita compellavit: *Imperatori Ælio, Adriano, Antonino Pio, Cæſari Auguſto & veriſ-*

veriſſimo Philoſopho, & Lucio Philoſopho, Cæſaris proprio filio, ac Pii adoptivo, amatori Sapientiæ. apud *Euſebium* lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 12. Theodoſius & alii antiquorum ſcriptis celebrati. M. Antonini tempore vixit Romæ *Galenus*, Philoſophus ſubtiliſſimus: & *Alexander* Aphrodiſeus, qui intermortuam aliquot ſeculis & ignotam fere Philoſophiam Ariſtotelicam rurſum ad lucem & æſtimium revocavit. Nam ſunt, uti Rerumpublicarum, ita & Sapientiæ mutationes, incrementa, decrementa. Ariſtotelis & Theophraſti ſeculum fuerat Philoſophicum & Theoreticum: tempora verè *διδακτικὰ, ἀκροαματικὰ ϗ νοητικά*. Paulo poſt ſecuta ſunt tempora Oratoria, quæ uſque ad Alex. Aphrodiſeum & Averroëm duraſſe videntur. Igitur circa tempora *ἐπιθυμητικὰ* & *ῥητορικὰ*, Peripatetici, qui ſemper accuratis & ſubtilibus ſpeculationibus operam dabant, non ita magno in pretio erant. *Alexander* autem Aphrodiſeus adeo inclaruit, ut olim nemo Ariſtotelei nomen conſequi potuerit qui Alexandrejus non haberetur: unde peculiarem quaſi Sectam conſtituit, cujus ſectatores *Alexandrei* vocantur. Id quod *Scaligero* bilem movet Exerc. CCCVII. Sect. 12. ubi inquit: *Vnde inſcitia pertinaciæ deliramenta deſtruas eorum, qui ſe Alexandri eſſe ſectatores malunt quam principis veritatis. Quorum in Italia maxime ingens copia eſt; qui inter alia cum Magiſtro ſuo animæ mortalitatem propugnant.* Commentatus eſt in totum fere Ariſtotelem ejuſque ſcripta rurſum priſtino nitori reſtituit. Floruit etiam ſub Trajano *Plutarchus*, Peripateticæ Philoſophiæ amator. Quid de *Plinio* dicam, ſagaciſſimo totius naturæ exploratore, qui exiſtimatus eſt eſſe ætatis ſuæ doctiſſimus? *Gell.* lib. 9. c. 16. Quid de *C. Celſo*, qui de omnibus fere diſciplinis eruditè ſcripſit, *Quintiliano* teſte lib. 12. cap. 11. Nunc quædam recenſenda ſunt quæ Philoſophiæ Romanæ impedimento fuerunt. Philoſophi enim, præſertim Græci, Roma aliquo-

 ties

ties ejecti ſunt. De quo vide Senatuſconſultum, apud *Gellium* lib. 15. cap. 11. Viſi enim modò illicitas & Magicas artes tractare: aliquando Imperatorum barbaries etiam Sapientiæ bellum intulit. Quod factum *C. Caligulæ*, *Neronis*, ſed præcipuè *Domitiani* & *Baſſiani* Caracallæ ævo. *Domitianus* enim, qua erat barbarie, omnes Philoſophos Roma & Italia tota ejecit: inter quos etiam *Epictetus* fuit. Cauſam ei dediſſe videtur ſuſpicio Magicas artes Philoſophorum inventa & profeſſiones eſſe. Quam auxit impietas *Apollonii* Tyanæi, qui coram ipſo Imperatore Magię ſuæ ſpecimina edidit. De quibus omnibus vide *Agellium* l. 15. c. 11. *Suet*. in Domit. cap. 10. *Philoſtrat*. lib. 7. cap. 4. 5. *Lucianum* in Peregrino, *Euſebium* in Chronico & lib. adv. Hieroclem. Bis à Domitiano Philoſophos & Mathematicos Roma expulſos, primitus IX, deinde XV, qui ei peremtorius fuit, Imperii anno, Idem *Euſebius* in Chronico refert. *Baſſianus* autem Caracalla Ariſtotelis omnia ſcripta voluit abſumere & abolere, quia falſo perſuaſus erat, veneno ab Ariſtotele præparato Alexandrum Magnum, cujus ille in omnibus ſimia videri volebat, ſublatum eſſe. Hæc de Romanorum Philoſophia paucis dicta ſunto.

HISTO-

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

Chriſtus veræ Sapientiæ inſtaurator. Calumnia Iudæorum, quod Magiam in Ægypto didicerit, refellitur. Duodecennis cum Doctoribus diſputat.

VEntum eſt ad ejus tempora, qui cum Salutem humano generi reſtitueret, etiam Sapientiæ, in Adamo & amiſſæ & corruptæ, autor eſt. De quibus temporibus etiam gentiles aliquid prænoviſſe videtur. Huc enim referri poteſt illud Maronis ex Sibyllinis oraculis hauſtum:

—— *Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.*

Notum quippe eſt, Græcos ipſis Phœnicibus maxime admirabilem & divinam Sapientiam adſcripſiſſe. Ab iis enim omnia ſe accepiſſe fatebantur, & quæ de Deo & quæ de animarum immortalitate Græca Theologia tradebat. Unde augurabantur, circa Chriſti tempora, quæ hactenus uti myſteria paucis nota fuerant, plurimis nota fore. Ut ſenſus ſit, Phœnicum Philoſophia vulgo ubique propagabitur.

CHRISTUS igitur Sol Sapientiæ, quam à Patre ſine menſura accepit, *Joh.* 3.34, verè ille eſt,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit & omnes
Præſtrinxit ſtellas, exortus ut ætherius Sol.

Quanquam non probari poſſit eorum ſententia, qui Chriſtum ſtatim ab infantia & conceptione omniũ rerum ſcientiam habuiſſe volunt. *Alb. Magn.* in 3. Sent. diſt. 14. q. unica, & ibid. *G. Biel* omnium rerum ſcientiam habuiſſe volunt. De illo tamen dubitandum non eſt, quin tempore juventutis ante inchoatum miniſterium, quod natali demum trigeſimo factum eſt, diligenter in rerum cognitione ſe exercuerit. Judæi ſuo more mendaciſſimè nugantur, Chriſtum in Ægypto Magiam didiciſſe. Ita autem ſcribunt: *Dicitur in Euangelio quod fuerit in Ægypto duobus annis & didicit Magiam.* Cui blaſphemiæ ita reſpondet Munſterus: *Falſum hoc: non eſt ſcriptum apud nos quod Ieſus didicerit Magiam in Ægypto. Et quomodo quæſo potuiſſet puer & infans duorum annorum diſcere Magiam? Quod ſi in pueritia didicit artem illam, quare non fecit ſigna ante 30. vitæ ſuæ annum?* in cap. 2. Euang. Matth. Vide & *Buxt.* in rad. מגר. Inſigne eſt quod *Lucas* annotavit, vix annos duodecim natum, cum maximis Judææ Philoſophis & ſapientibus *Mecar*, in ipſo Jeroſolymitano templo diſputationem habuiſſe, de qua cap. 2. Euangel. agit, ℣ſ. 46. 47. Dicitur autem ibi de eo: καθεζόμενον ἐν μέσῳ. Quod quid ſignificet, ex more Philoſophandi apud Judæos conſtare poteſt. Non enim putandum eſt, quod Chriſtus, puer etiamnum & in forma ſervi, ordinem immutarit: quin potius & ipſe, more תלמידים ſive diſcipulorum, projectùs ad Doctorum pedes erat. Hoc Euangeliſta vocat: καθεζόμενον ἐν μέσῳ. Clarius idem ex ſeqq. patet. Mox enim additur: καὶ ἀκούοντα αὐτῶν καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς. Audivit igitur docentes & prælegebat iis quæ explicarent ipſi. Hoc enim ἐπερωτᾷν eſt. Diſcipulus legebat

vel

vel explicanda proponebat, projectus in ſolo, *Act.* 22. 3. Doctor autem interpretabatur propoſita. Non enim putandum, quod quidam crebro inculcant, Chriſtum ibi Doctoris officio functum. Ridiculi etiam pictores, qui Chriſtum de cathedra docentem fingunt & pingunt. Scopus autem Chriſti erat, proponere Doctoribus Jeroſolymitanis difficillimas quæſtiones, & eorum ſententias audire: non diſcendi ſed explorandi gratia. Neque aliud volunt ſequentia verba ỳſ. 47. *ἐξίσταντο δὲ πάντες οἱ ἀκούοντες αὐτοῦ, ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ.* Nam prius illud à ſublimitate quæſtionum à Chriſto motarum originem traxit: *ἀπόκρισις* autem idem eſt quod alias *ζήτημα* dici ſolet. Uti & apud Ebræos vox ענה non *reſpondet* tantum & *dixit*, ſed & *locutus eſt*, notat 1. *Sam.* 9. 17. neque quicquam crebrius in N. T. ubi *ἀποκρίνομαι* frequentiſſime ita ſumitur. Vide *Bezam* ad Matth. 28. 5. Niſi tamen, cum Doctores ad tam ſublimes Quæſtiones reſpondere non poſſent, dicamus eum ipſum *ἀπόκρισιν* adjunxiſſe. Quicquid hujus ſit, malo ita ſentire, quam cum illis, etiam, utut magnis viris (*Scal.* cap. 10. Elench. Trihæreſ.) qui putant Chriſtum *δωδεκαέτη* inter doctores ſediſſe & docuiſſe propter ſtupendam eruditionem. Nam & ipſe *Origenes* nobis adſtipulatur Homil. 19. in Lucam: qui quod Chriſtus ſederit Doctores interrogans, non aperte docens, *exemplo ſuo docuerit, ut Magiſtros ſuos diſcipuli potius audiant quam doceant & ſe vana oſtentatione jactent.* Inde quid egerit quamvis annotatum non ſit, tamen certum eſt, eum tempus illud in ſalutis negotio conſumſiſſe. Nam præcipuæ partes ejus fuerunt revelare voluntatem Patris, ſive exequi munus ad quod miſſus erat.

CAP.

CAP. II.

Magi ab Oriente, unde venerint? Saba duplex. Fuerunt Perſæ. Ex Schola Danielis, non Bileami. Qualis eorum Magia? Teſtimonia gentilium de Chriſto. Luciani blaſphemia.

CUm vix biennium in terris tranſegiſſet, venerunt ex Oriente Magi, qui offerentes dona eum adoraverunt. Monuit autem *I. Camero* in Myrothec. in cap. 2. Matth. ἀπ' ἀνατολῶν jungi & conſtrui debere cum μάγοι, non verò cum παρεγένοντο: ut μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν ſint Sapientes Orientales; phraſi ſimili iſti quæ eſt Job 1. ℣ſ. 3. בני קדם. De quibus quamvis & mira & diſcrepantia tradant antiqui, nemo tamen hactenus inventus qui oſtenderet, qui fuerint: an Reges? an numero tres? ut plane res frugiperda ſit, iis nugis recenſendis immorari. Unde venerint, duplex potiſſimum opinio eſt. Quidam eos ex Saba veniſſe volunt. Cujus ſententiæ origo ſive ex hiſtoria Reginæ Schebæ 1. *Reg.* 10. à qua Judæorum colonias in Sabam traductas eſſe *Ioſephus* author eſt: ſive ex *Pſal.* 72. ubi Reges Schebæ ad Chriſtum venturi dicuntur adorandi cauſſa, originem traxit. Hi tamen in duas partes abeunt. Nam cum duplex Saba fuerit, in Arabiâ una vergens ad ſinum Perſicum, quod Jobi 1. & Orig. 10. שבא ſcribitur: altera vergens ad ſinum Arabicum, cujus author erat Saba cum Samech, *Gen.* 10. סבא, fit ut inde etiam diverſæ opinionum ſectæ ſint. Quæ ſententiæ quia vel ea de cauſſa conſiſtere non poſſunt, quod Arabia reſpectu Judææ non ad Orientem ſed ad Meridiem ſita ſit, fit ut doctis minus probentur. Probabiliſſimum eſt, fuiſſe Sapientes ex Perſide ſive Babylonia & Suſis, quos proprio nomine *Magos* dicebant. Quæ ſententia fundamento non caret. Legimus in Hiſtoria Danielis, à Nebucadnezare eum Prophetam propter ſomnii expoſitionem conſtitutum eſſe רבסגנין על כל בבל. Inſtituit igitur, qua erat

pietate

pietate & prudentia, Scholas in Perſide purioris Sapientiæ, rejectis vel ſaltem correctis priſcorum Magorum placitis. Unde magna ejus authoritas, ſubinde florentibus qui Danielis placitis contra veterum errores ſtarent. Unde etiam circa Chriſti adhuc tempora fuiſſe ejus Scholæ rudera quædam patet. *Beza* ad cap. 2. Math. *Danielis apud Magos & dignitate penè Regia & Prophetiis divinis celebratiſſimi ſcripta dubium non eſt quin fuerint apud Perſas gratioſa ac fortaſſe accuratius quam apud Iudæos ipſos obſervata.* Inde enim effluxiſſe jam Septimanas Septuaginta; veniſſe magnum Juſtitiæ Regem, in Judæa natum, accedente divina revelatione, intellexerunt. Quæ Sententia doctiſſimorum virorum eſt. Ut plane frigidum ſit, quod nonnulli de Schola neſcio qua Bileami, nefarii hominis, obtrudunt. Inde enim prodiiſſe Magos volunt, edoctos à Præceptore jam inſtare tempus quo exoriri debeat ſtella ex Jaacob, trahentes huc illud: *vidimus ſtellam ejus*: & verba Bileami ex Numeris. Quem tamen Bileamum cum ſuis paulo poſt occiſum Joſuæ 13. 22. legimus. Omitto illud quod oracula Bileamus non intellexerit: quomodo ergo quicquam de eo ſuis tradere potuiſſet? Multa & diſcrepantia de iis tradunt Scriptores. Nugæ ſunt quod *Paracelſus* ſcribit, eos, Magica vi equorum, Hieroſolymam veniſſe. Sane Magiæ illicitæ ſtudioſos fuiſſe, imprimis autem Aſtrologiæ, quæ futurorum notitiam ſibi adſcribit, ex ipſorum verbis patet. De altero illo commento nihil cognoſcimus. *Scaliger*, Exerc. CCCXXVII, *Magiæ divinæ ſtudioſos & ex ea Chriſti nativitatem cognoviſſe* vult. *Hinc*, inquit, *Dominum Ieſum fuiſſe promiſſum Regem cognoverunt illi qui ad eum adorandum longinquis è regionibus profecti fuerant.* Fruſtra ſane: nam & illa Magia divina nulla eſt; quod ſupra nobis demonſtratum lib. 2. c. 3. & cap. 8. &, ſi eſſet, ex ea tamen neutiquam cognoſcere potuiſſent mundi Salvatorem natum eſſe. *Camero* d. l. vult

vocem *μάγοι* apud Matthæum voci Hebrææ אשפים reſpondere, à qua Græcum σοφοί. *Male. Nam* אשפים *notare Magiam illicitam & Diabolicam notum eſt.* Ergo ex Danielis diſciplina circa ea tempora expectaſunt Regem qui maximas res gereret: divinoq; motu agitati eum jam veniſſe certiores facti ſunt. Quo ſpectat illud Taciti, qui circa ea tempora in toto Oriente percrebuiſſe dicit, *Judæos imperio orbis potituros*. Cæterum, quantum Chriſti apud ſaniores Judæos & Romanos quoque æſtimium fuerit, cum ex inſigni eulogio Joſephi, tum ex Epiſtola Lentuli, (quanquam ea pro ſpuria habeatur) in Nicephoro deſcripta, abunde; tum ex ipſo Tiberii facto, quem Chriſtum inter Deos voluiſſe referre, Romana hiſtoria tradit. *Lucianus* tamen furiis agitatus, ſive ipſi potius pagani alii, eo potiſſimum nomine acerrime perſequebantur Chriſtianos, quod, rejectâ πολυθεΐᾳ, ἀνασκολοπισμένον σοφιστὴν colerent. *Lucianus* in vita Peregrini. Nimirum σοφιστὴν vocat hic canis, quo nemo unquam divinior fuit, & magis ingenuæ Sapientiæ.

CAP. III.

Apoſtoli in quas Provincias ſinguli profecti? Eorum Philoſophia. Quatenus rejecerint Philoſophiam gentilium? Eorum nonnulli literis exculti. Imprimis Paulus, Apollo. Eunuchus Candaces Æthiopum reginæ. Græca Philoſophia tum corruptiſſima. Epheſii Magiæ ſtudioſi.

EX hujus Magiſtri Schola profecti Apoſtoli, rejectis priſcorum Magiſtrorum placitis, ſobriam ſapientiam univerſo orbe propagarunt. Ita enim antiqui Provincias diſtribuunt, ut *Thomæ* quidem Parthos, *Matthæo* Æthiopiam, citeriorem Indiam *Bartholomæo*, *Andreæ* Scythiam, Aſiam *Johanni*, *Petro* Galatiam, Pontum, Bithyniam & Cappadociam accenſeant. *Euſeb.* lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 9. Quorum tamen Philoſophia quæ fuerit, haud difficulter ex ipſorum ſcriptis cognoſcitur. Rejiciebant omnes contentiones,

ſectas,

ſectas, λογομαχίας, fucum, oſtentationes, illas innumerabiles de rebus abſtruſiſſimis opiniones: exponebant clare quænam eſſet tenenda doctrina de Anima, de origine, conſervatione & interitu Mundi, de Vita & Morte, de Moribus, de Republica & Oeconomia. Quas laudes qui ab ipſis tollunt, næ aut valde iniqui, aut inſcientes ſunt. Certe nihil ipſis commune fuit cum ſingularibus placitis ſectarum aut nugis quibus tum Græca Philoſophia ſcatebat: neque tamen ignorabant quid verum, quid falſum eſſet; ſapientiæ & eruditionis domi inſtructiſſimi: neque veritatem de his capitibus, quæ ſcire hominis intereſt, ſilentio prætermiſerunt. Ethnicam autem Philoſophiam ſumme deteſtati ſunt, ut nullius bonæ frugis. Memorabilis eſt locus *Pauli* ad Coloſſ. 2. 8. ubi expreſſe Philoſophiæ meminit (quam vocem & Syrus retinuit) eam, qualis tunc in Græcia fuerit & floruerit, vivis coloribus depingens. Cui loco alluſit *Auguſtinus* lib. 3. Confeſſ. cap. 4. qui erat: *Sunt qui ſeducant*, inquit, *per Philoſophiam, magno & blando & honeſto nomine colorantes & fucantes errores ſuos. Et prope omnes, qui ex illis & ſupra temporibus tales erant*, *notantur in eo libro* (agit autem de Ciceronis Hortenſio) *& demonſtrantur: & manifeſtatur ibi ſalutifera illa admonitio Spiritus tui, per ſervum tuum bonum & pium:* videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum. Hæc *Auguſtinus*. Ipſi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, utut non omnes operam dederint ſtudiis accuratioribus, fecerunt tamen id nonnulli, *Paulus, Apollo, Timotheus, Lucas* Medicus, & alii. *Paulus* enim eruditus fuit in Cilicia, ubi Tarſus, vetus literarum domicilium, erat; in ea ipſa urbe, cujus Gymnaſium adeo laudat *Strabo*. Ipſe quoque teſtatur ſe ad pedes Gamalielis ſediſſe & αἵρεσιν ἀκριβεστάτην Phariſæorum, qui multum in Philoſophia operæ ponebant,

Digitized by Google

ſecutum eſſe. Sed quod *Ioh.* Mandevill. cap. 45. Itiner. ſcribit, Paulum Damaſci Medicinam exercuiſſe, eamque ibi docuiſſe in Schola, cæteris ejus fabulis annumerandum eſt. *Apollo* quoque, inſignis Philoſophus erat: qui in Actis c. 18. 24. commendatur quod fuerit λόγιος ἀνήρ: quod non ſolum ad vim orationis ſed etiam ad magnam literaturam referendum puto, inquit *L. Danæus* cap. 7. Enchiridii ad Laurentium. Memorabile eſt quod cap. 8. Actorum legimus de Eunucho Reginæ Candaces. Ita enim vocabantur Reginæ in Æthiopia. *Strabo* lib. 17. Geogr. *Plin.* lib. 6. cap. 20. vel 26. Quem proſelytum fuiſſe patet ex cap. 9. 27. ut dubium non ſit, quin plures fuerint in illo regno proſelyti, quod vocatur *Aſtabarorum* Æthiopum corrupte: cum dicendi ſint *Aſcabari*, ut *Iunius*; vel *Aſtabareni*, ut *Poſtellus* vult: vel potius, ut idem *Iunius* notat, *Chaſcaboræi*. Triplici enim nomine Nilus in Æthiopia vocatur: *Chaſcapuſch*, è tenebris profluens; *Chaſcabora* vel *Chaſcavora*, fons è tenebris fluens; vel *Chaſcatzaphes*, è tenebris exundans. Alludunt eò, quia caput Nili latet. Hodie iis regionibus præeſt Princeps Nubianorum, quem dicimus Preſbyterum Johannem aut Preſtanum. Hæc ſententia Poſtelli eſt. *Beroaldus* autem hanc reginam Candacem in Arabia versùs ſinum Perſicum habitaſſe putat. Ex hujus regionibus oriundus Satrapa hic, quia diligentem operam Legis lectioni dedit, & in ipſa via à Philippo converſus eſt, procul dubio ut ante puriorem Philoſophiam, ita & tunc inter Æthiopes profeſſus eſt. Philoſophia autem Græca tunc omnium corruptiſſima fuiſſe videtur, laſcivientibus jam animis & otio ad peſſima quæque inventa abutentibus. Nihil tam abſurdum erat, cujus authores & defenſores non eſſent. Tum ad artes illicitas, Magicas & ludicras deventum, quarum nec modus nec finis: ut jam nihil de inaniſſimis contentionibus & declamationibus dicam. Imprimis tamen Epheſii,

propter

propter Philoſophiam Magicam male audientes, etiam Proverbio, ἐφέσια γράμματα, occaſionem dedere. De quorum Magia luculenter teſtantur *Acta* cap. 19. cujus ſtudioſi verſ. 19. vocantur à divino ſcriptore, οἱ τὰ περίεργα πράξαντες; quos etiam Syrus חרשא, Arabs *Magos* exerte vocat. Fortaſſe ex Pythagoræ aut Platonis Schola fuerunt: qui Philoſophiam ut plurimum cum Magia conjunxerunt. Et habebant tunc plurimos aſſenſores, etiam ipſis Chriſtianis non adeo alienis: quo ſpectant verba Pauli 1. *Cor.* 1. & 2. nec non gravis illa contra Philoſophos *Col.* 2. 8. admonitio. Ipſam etiam Philoſophiam Paulus 1. *Tim.* 6. 20. vocat ψευδώνυμον γνῶσιν: quod, ut *Lactantius* paſſim oſtendit, imprimis lib. 3. cap. 3, imo ipſe Paulus *Rom.* 1, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Neque tamen unquam majores criſtas erexerunt Græculi quam tunc cum minimum ſapientiæ haberent. Quo *Paulus* reſpicit 1. *Cor.* 1. 22. Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι, καὶ ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν. Et erant Philoſophi præſtantes, qui Ammonii exemplo Platonem cum Arte junxerunt; ut *Iamblichus*, *Porphyrius*, *Boëthius*, *Simplicius*, *Philoponus*: vel alterutrum duntaxat explicarunt; ut *Proclus*, *Olympiodorus*, *Themiſtius*, *Pſellus*, aliique: donec Ariſtotelica Philoſophia Platonicæ antepoſita, ſola, à Græcis primum ad Arabes, ab his tandem ad Latinos migravit.

CAP. IV.

Philoſophiæ Chriſtianæ propagatio. Quæ mox Platoniſmo corrupta. Gentiles Philoſophi Chriſtianis ſe opponunt. Apollonius, Porphyrius, Celſus, Plotinus, Iamblichus. Origenes. Iuſtinus Martyr. Tertullianus.

POſt exceſſum Apoſtolorum ita propagari cœpit, cum Religione Chriſtiana, Philoſophia ſanior, ut per totum orbem jam recepta videretur. *Quis enim jam immortalem eſſe animam non credit? Quis non ſperet eſſe apud Deum, cum naturæ conceſſerimus, virtuti depoſita præmia? quibus inducti*

 noſtri,

noſtri, hanc vitam omnino ita contemſerunt ut priſcos & illuſtres Philoſophos mulierculas putes, ſi ad hos conferas, ludumque puerorum non injuria exiſtimes omnia, quæ de contemnenda morte aut verbis aut exemplo priſci Philoſophi docuerunt, fœminæ apud nos & infantes virique barbari Philoſophi dicerentur; inquit *Euſebius* lib. 1. προπ. cap. 3. *Iuſtinus* Martyr in Paræneſi ad Græcos teſtatur inter alias converſionis ſuæ cauſſas & hanc fuiſſe, quod Chriſtianos de anima adeo unanimiter docere videret. *Auguſtinus: Quis jam aut idiota aut impius immortalitatem animi non credit?* Cœperunt inde ingenia ſua exerere Eccleſiæ lumina, quos *Patres* dicimus. Qui, cum eo tempore Ethnica Philoſophia ſola in pretio eſſet, & eorum plerique ex Scholis Ethnicorum ad Chriſtianam Religionem ſe converterent, factum exinde eſt., ut Philoſophiæ, præſertim Platonicæ, tunc omnium excelſiſſimè florenti, plus quam par, adſcriberent. Cujus dogmati ad ſuperſtitionem dediti fuere: quæ etiam cauſſa tot horribilium erratorum, quæ hinc inde commiſerunt, rectiſſimè ſtatuitur. *Iuſtinus* Martyr eo audaciæ venit propter nimiam Platonicorum reverentiam, ut *Apol.* ad Antòn. Socratem μετὰ τοῦ λόγου vixiſſe & *Apol.* ad Senatum ἀπὸ μέρους agnoviſſe Chriſtum dictitarit. *Dionyſius* Areopagita (utamur enim recepto nomine) non aliunde tot Angelorum claſſes quam ex Platonicorum myrotheciis depromſit. Et converſi quoque, non poterant exuere illa Philoſophiæ corruptæ placita, quibus jam diu adſueverant. Opus etiam ea notitia habebant contra immanes gentiliũ calumnias. Qui quamvis initio Euangelii, & Apoſtolorũ temporibus, non modo diſputarint adverſus Euangelium, ſed etiam tum Judæos, tum Chriſtianos deriſerint (*Beza* ad Art. 9. 29.) tamen cum viderent creſcere multitudinem & totũ orbem peragrare, velut furiis agitati, cœperunt virus ſuum evomere. Emerſerunt enim nefaria illa capita, *Apollonius* Tyaneus,

neus, *Celſus*, *Iamblichus*, *Plotinus*, & illa cohors quam Eunapius deſcribit. Qui omnes deſperatam Paganiſmi cauſſam acturi, Chriſtianos ad Philoſophiæ ſtudium compulerunt. Ea enim proferebant quæ non niſi ex Philoſophia refelli poterant. Unde antiqui Patres tantum operæ impenderunt cognitioni Philoſophiæ antiquæ. Sane *Irenaeum* omnium doctrinarum curioſiſſimum fuiſſe exploratorem *Tertullianus* memorat. Ipſe etiam *Tertullianus*, lib. de reſurr. carnis, refert ſe ab adverſariis fuiſſe ad Philoſophandum provocatum. Cui etiam *Lactantius* omnium diſciplinarum peritiam tribuit. Nam ut *Iſid*. Peluſ. inquit: χρεία τοῦ λόγου διὰ τοὺς τῶν αἱρεσέων ἐλέγχους. lib. 2. ep. 235. *Origenes* vero, qui contra ſacrum illud caput, Celſum Stoicum, ſcripſit, omnes nes ſectas accurate rimatus, doctiſſimus Philoſophus fuit. *Euſeb*. 6. Hiſt. Eccl. cap. 15. apud quem paria teſtimonia extant de *Didymo* Alex. lib. 11. cap. 7. de *Meletio* lib. 7. cap. 29. de *Gregorio* & *Baſilio* lib. 11. cap. 9. Imprimis Origenes in Platonica Philoſophia excelluit, quanquam plerique Patres eclectici eſſent. Cl. Alex. 1. στρωμ. φιλοσοφίαν οὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε καὶ Ἀριστοτελικὴν; ἀλλὰ ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρεσέων τούτων καλῶς. Unde cum Romæ Plotini, ſui quondam ſub Ammonio Chriſtiano condiſcipuli, Scholam audiendi gratia ingrederetur, Plotinus ei adſurgens, vehementer erubuit, & diſputationem intermittens, dixit: *languere tunc ac plane ceſſare ſtudium loquendi, cum, qui diſſerit, eos habeat auditores qui eadem norint*. *Porph*. in vita Plotini cap. 8. *Iuſtinus* Martyr in Tryphone teſtatur, ſe, dum Ethnicus eſſet, omnes omnium Philoſophorum Scholas perreptaſſe, ſtudio quærendi ſummi boni, Stoicorum, Peripateticorum, Platonicorum, Pythagoreorum, nuſpiam tamen inveniſſe illud. Et in *Apologia* ad Sen. Rom. de ſe inquit: ἐγὼ τοῖς Πλάτωνος χαίρων διδάγμασι. Cui tamen falſo adſcribitur liber ille qui everſionem

nem dogmatum Ariſtotelicorum continet. Obſervavit enim *Perionius*, hunc librum in Ariſtotelem multo eſſe prolixiorem eo quem Photius à Juſtino ſcriptum dicit.

CAP. V.

Ethnici Theologiam revocant pro defenſione Idololatriæ. Abnebo. Ptolemæus. Bardeſanes. Chriſtiani ignorantiæ accuſati. Apollonius præſtigiis Magicis Chriſto ſe aſsimilat. Hierocles. Plotinus Platonicæ Philoſophiæ inſtaurator. Numenius.

ETHnici, Chriſtianis ita urgentibus, relicta otioſa ac inutili Philoſophia, quæ jam per multa ſecula Græcos velut morbus ſonticus exercuerat, Theologiam priſcam, jam longo tempore velut intermortuam, cœperunt in lucem revocare. Conabantur πολυθείας imprimis, & Idololatriæ ſuæ rationes reddere, Deorum ſuorum hiſtorias defendere contra Chriſtianos. Quo in genere præcipue laborarunt *Plotinus*, *Iamblichus*, & *Porphyrius*. Nam illo tempore *Porphyrius* ad Abnebonem, ſacerdotem Ægyptium, prolixam epiſtolam περὶ τελεϛῶν ſcripſit; cui *Iamblichus* reſpondit. *Abnebo* autem non tam perſonæ quam muneris apud Ægyptios nomen eſt. Ut enim in Sacris qui præerat Scholæ Propheticæ אב נביאים dicebarur: ita quoque apud Ægyptios ſummum Pontificem, ſive cæteris præfectum, *Abnebonem* dictum putem. Nam eorum Sacerdotes imprimis Prophetæ dicti ſunt, ut ſupra lib. 2. cap. 7. oſtendimus. Circa illa tempora etiam *Ptolemæus* Ægyptius Mathematicus vivebat. Quem plerique inceſſere non deſinunt tamquam parum Philoſophiæ peritum, ut qui ſæpe tot admittat errata quot ſuper re aliqua verba ciet. *Cæl.* lib. 1. A. L. c. 15. *Bardeſanes* etiam circa ea tempora florebat, genere quidem Syrus, doctrina vero cœleſtium corporum omnium Chaldæorum excellentiſſimus, teſte *Euſebio* lib. 6. πρϲπ. cap. 8. Inter alias calumnias præcipue objiciebant Chriſtianis

ſtianis ἀπαιδευσίαν & inſcitiam. Videbantur enim ignorantiæ patroni eſſe, qui neglectis accuratiſſimis Philoſophorum diſputationibus, doctrinam, uti putabant, novam & abſurdam docerent. Unde eos vocat *Octavius* homines ſtudiorum rudes, expertes artium niſi ſordidarum. Et *Lucianus* in Peregrino ἀνθρώπους ἰδιώτας vocat. *Paulus* quoque ipſe ab Athenienſibus nil niſi σπερμολόγου nomen abſtulit. Cui calumniæ præter cæteros graviter reſpondit *Auguſtinus* in Enchir. ad Laur. cap. 9. 16. 17. Succedebat cæteris omnibus nequior Tyaneus *Apollonius*, qui Magicis artibus inſtructus toti fere orbi impoſuit. Cætera hoc imprimis ſpectabat, ut Chriſti divinitatem, quæ miraculis & propriis & Apoſtolorum valide confirmabatur, in dubium vocaret. De quo cum *Hierocles* integrum librum, in quo Tyaneum cum Chriſto comparabat, ſcripſiſſet, *Euſebius* eum erudite refutavit. Mirum dictu eſt, quantum nequam impoſtor ſibi adſcripſerit. Omnium artium & ſcientiarum innatam ſibi ſcientiam jactitabat: volucrum linguas interpretari volebat: quibus nugis *Philoſtratus* libros de ejus vita ſaburravit. Sicuti autem in Alexandro Aphrodiſeo Ariſtoteles, ita in Plotino revixit ipſe Plato: qui, ut Auguſtinus loquitur, *ita Platoni ſimilis judicatus eſt, ut ſimul eos vixiſſe, tantum autem intereſſe temporis, ut in hoc ille revixiſſe putandus ſit*. lib. 3. contra Acad. cap. 18. Qui inter Platonicos tanquam majorum gentium, ab Apolline vivus in Sapientium, vita functus in Deorum numerum relatus eſt. *Cæl.* lib. 1. A. L. cap. 3. Ejus præceptor *Ammonius* fuit, vir Chriſtianæ, uti ferunt, profeſſionis, cætera doctiſſimus Philoſophus, coætaneus Origenis & Porphyrii, teſte *Euſeb.* in Hiſt. Eccl. Cujus commentationes in Ariſtotelem magnæ authoritatis ſunt. In quem cum *Plotinus* incidiſſet, dixiſſe fertur: *Hunc ipſum ô amici quærebam. Porphyr.* in vita Plotini cap. 1. Idem Plotinus tanti fecit Numenium Pytha-

Digitized by Google

goricum, ut ejus Philoſophiam, Porphyrio teſte, centum commentariorum libris explicare non dedignatus ſit. *Porphyrius* quoque ingenii acumine excelluit, cætera homo audaciſſimæ inſaniæ. Deditus imprimis erat Pythagoricis & Platonicis nugis: reliquit etiam utilem librum de Prædicabilibus ad Chryſaorium.

CAP. VI.

Themiſtius Chriſtianus. Apulejus. Lucianus. Philoponus. Mallius Theodorus. Boëtius. Baſilius. Auguſtinus. Academici turbant Neophytos, unde ab Auguſtino confutati. An libros Ariſtotelis legerit? Eumenius Rhetor. Ioh. Chryſoſtomus. Theodoſius Iunior. Claudianus Mamercus.

CIrca tempora Valentiniani, ſive, ut *Suidas* vult, Joviani, vixit *Themiſtius*, Chriſtianus & ipſe, magnus Peripateticæ ſectæ defenſor, qui paraphraſes utiliſſimas in Ariſtotelem ſcripſit. Eo præceptore *Auguſtinus* uſus eſt, prout ipſe libro de Categoriis teſtatur. Vixerunt etiam circa Valentis & Valentiniani tempora illi Sophiſtæ, quorum vitas *Eunapius* ſcripſit, plerique Magi. Sub Divo Pio, ut *P. Pithœus* l. 2. adverſ. ſubſec. cap. 10. vel, ut alii, ſub Antonino Philoſopho *Apulejus* Platonicus floruit. Natus is Madauræ, Africæ civitate, in ipſo Numidiæ & Getuliæ confinio ſitæ: unde ſeipſum & Semi-Numidam & Semi-Getulum vocat, in *Apol.* Philoſophiæ operam dedit Athenis: Magiſtrum ſuum 1. Met. *Vaſtium* (niſi tamen locus corruptus eſt) vocat. Doctrinam Platonicorum præcipue ſecutus & adſecutus. Ariſtotelem quoque & Theophraſtum ſtudioſe ſecutus eſt lib. de Mundo; Pythagoræ tamen plus deditus. *Florid.* XV. *In pluximis æquè & ipſe in nomen ejus* (Pythagoræ) *à Magiſtris meis adoptatus.* Scripſit de animalium natura Græcè & Latinè; nec non naturales Quæſtiones: & primus Arithmeticam Latinis literis illuſtravit, ſi Caſſiodoro credimus. Profeſſus eſt Carthagine, ubi publicè ei ſtatua poſi-
ta.

ta. *Florid.* XVI. & valde erexit ibi Philoſophiæ ſtudia. *Florid.* XX. *Quæ major laus aut certior quam Carthagine benè dicere, ubi tota civitas eruditiſſimi eſtis? penes quos diſciplinam pueri diſcunt, juvenes oſtendunt, ſenes docent.* Præ cæteris Magiæ deditus fuit: propter cujus ſtudia accuſatus, cum ſe defenderet, aliud nil egit quam quod connexionem Philoſophiæ cum Magia oſtendit. *Lucianus* Scepticus fuit: ut ipſe teſtatur epigrammate præfixo libri initio, in quo τὴν διάκρισιν ϗ τὸ νόημα contra Dogmaticos tollit. Sub Juſtiniano *Simplicius* vixit, & *Philoponus*, inter quos mordaces controverſiæ interceſſerunt. Errat ergo *Nicephorus* lib. 18. cap. 46. qui Philoponum in tempora Phocæ reponit. *Claudianus* etiam *Mallium Theodorum*, Romanum conſulem, ab inſigni Philoſophiæ peritia laudat, in Panegyri ejus nomini ſcripta:

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo,
Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.
——————— *uno ſe pectore cuncta vetuſtas*
Condidit.
In Latium ſpretis Academia migrat Athenis.

Quem & de origine Mundi & Anima ſcripſiſſe teſtatur:

Qualem te legimus teneri primordia mundi
Aut partes animæ ſcribentem.

Hunc Mallium cum *Auguſtinus* l. de Beata vita valde commendaſſet, eam ſibi laudem diſplicere poſtea lib. 1. Retractationum cap. 2. profeſſus eſt. Cumque circa ea tempora Muſis non magnus honos haberetur Romæ, ſub Stilicone eaſdem refloruiſſe lib. 2. de ejus laudibus teſtatur:

—— *egregios invitant præmia mores.*
Hinc priſcæ redeunt artes: felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, deſpectaque Muſæ
Colla levant, opibuſque fluens & pauper eodem

Digitized by Google

Nititur ad fructum ſtudio, cum cernat uterque,
Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis.

Boëtius omnium poſt Ciceronem ingenia, etiam jam barbaro ſeculo, extinxit, qui primus apud Latinos in Ariſtotelem commentatus eſt. Neque *Plutarchus* omittendus, qui omnium Philoſophorum ſcripta in compendium quaſi redegit. Unde *Th. Gaza* interrogatus, quemnam authorem, ſi cæteris omnibus carendum eſſet, reliquum fieri vellet, *Plutarchum* elegit. Inter Patres *Nazianzenus* Baſilio tribuit quod præter cæteros excelluerit in ratiocinandi & recte diſſerendi ſcientia. Apud Latinos *Auguſtinus* omnes Philoſophica cognitione ſuperavit, qui ipſe lib. 3. contra Acad. cap. 13. profitetur, *artem hanc* (Philoſophiam) *magnum ſibi adjumentum attuliſſe ad hæreticorum argumenta diſſolvenda.* Scripſit varia opuſcula Philoſophica, quæ Tomo 1. Operum ejus continentur. Idem de ſe ſcribit quod *omnes artium liberalium libros evolverit, & artem diſſerendi, Mathemata, Muſicam, Arithmeticam, ſine difficultate, nullo præceptore intellexerit, impensè etiam Aſtrologiæ deditus fuerit.* IV. *Confeſſ.* XVI. & VI. III. Ejus temporibus *Academici* imprimis urgebant ἀκαταληψίας monſtrum. Unde multis ad Chriſtum convertendis ſcrupulus injectus, aliquidne tanquam verum credere deberent & religionem profiteri: quo ſe neophytum adhuc valde commotum fuiſſe *Auguſtinus* 1. Retract. 1. ſcribit. Unde tres libros contra Academicos edidit, quibus omnia ἀκαταληψίας fundamenta ſubruuntur. Ejus Categorias *Alcuinus* commentariis illuſtratas Carolo Magno dedicavit, in quo libro *Themiſtium* eximium Philoſophum & Magiſtrum ſuæ ætatis appellat. Dubium eſt, num ipſius Ariſtotelis volumina legerit, an, quæ ex eo citat, aliunde hauſerit. Nam *L. Vives* ad XXII. de C. D. cap. XI. *Auguſtinus*, inquit, *Ariſtotelis de anima*

anima ſententiam, non ex ipſius Ariſtotelis voluminibus, quæ tunc rara erant, nec niſi ferè in Græcia, ſed Cicerone referente cognovit. Hæc *Vives.* Supra etiam lib. 3. cap. 15. nonnulla de raritate librorum Ariſtotelis diximus. Cum quo fortaſſe conſiſtere non poterit illud, quod *Apulejus* in Apologia ſua habet, ubi ad Æmilianum, *niſi*, inquit, *Ariſtotelis libros Bibliothecis exegeris & ſtudioſorum manibus extorſeris, accuſare me non potes.* Loquitur enim ibi Madaurenſis de libris Ariſtotelis, ut notis & frequenti uſu ab omnibus tritis. Et ipſe Auguſtinus lib. 4. Confeſſ. cap. 16. de ſe ſcribit, *quod, annos natus viginti, Ariſtotelis Categorias ſolus legerit & intellexerit.* Fortaſſe Latinè eos legit. Nam Græcas literas ſe odiſſe lib. 1. de Ordine cap. 13. ſcribit, earumque non adeo peritus fuit. Sub Conſtantio *Eumenius* Rhetor bonas literas docuit, imprimis Geographiam. Sed de loco, ubi docuerit, quæſtio eſt. Quidam in Gallia Belgica apud Clivenſes docuiſſe volunt, ubi Eumenii ſtatua hodieque extat; ut *Rhenanus*, qui Orationes aliquot Panegyricas edidit & inter eas unam Eumenii, in qua Conſtantii Cæſaris fuit epiſtola, continens ipſius donationem factam Eumenio ad conſtitutionem Scholæ: *C. Sigonius* lib. 1. de Imperio Occid. & *Stephanus Pighius*: Quidam apud Auguſtodunenſes, ut *I. Lipſius*, cujus rationes ſunt 1. Quia ante Rhenanum ita editus ſit locus à Cuſpiniano Viennæ anno 1513. 2. Quia ſtatua Eumenii, quæ apud Clivenſes eſt, ſit ſuppoſititia. 3. Quia hoc loco nulla Schola fuerit. *Ioh. Chryſoſtomus* Andragathio in ſtudiis Sapientiæ uſus eſt. Circiter annum decimum octavum in Academiam Athenienſem ſe contulit ac tantum profecit, ut omnibus eſſet admirationi. *Sozom.* lib. 8. cap. 2. Imp. *Theodoſius* Junior quoque ad miraculum uſque in literis aſſiduus & accubuus erat. Lucernam habebat artificioſiſſime factam, quæ ſibi ipſi continenter oleum inſtillans, in duraturum uſum nocturni ſtudii per-

 petuum.

petuum lumen alebat. *Sozom.* præfat. Hiſt. Eccl. *Niceph.* lib. 14. cap. 13. Tempore Sidonii Apollinaris floruit *Claudianus* Mamercus Viennenſis Gallus, quem Sidonius *excelluiſſe* ait *in omni Poëtica, Philoſophia & Theologia*, lib. 4. ep. 3. & 11. Ejuſdem *Gennadius* in libro illuſtrium virorum meminit. *Gyraldus* de Lat. Poëtis Dial. 4. *legi*, inquit, *hujus Claudiani librum de ſtatu animæ, in quo multa bonæ frugis documenta ac doctrinæ recondita reperi.*

CAP. VII.

Domitianus Philoſophos pellit. Caracalla Ariſtotelis volumina abolet. Antoninus Pius non niſi quatuor ſectas tolerat. Iulianus Scholas Chriſtianas claudit. Prohæreſius. Hæretici abutentes Philoſophia. Valentiniani. Artemonitæ. Aëtiani. Arriani. Manichæi. Vnde Patres in Philoſophiam invecti. Ethnici multa à Chriſtianis didicerunt. Inſula Lerina famoſa Academia.

SIne aliquo ordine aut temporis diſtinctione quoſdam, qui poſt Chriſtum natum uſque ad Barbara tempora floruerunt, recenſuimus. Nunc, quinam Philoſophiæ magnum aut dedecus aut detrimentum intulerint, addendum eſt. Initium autem à Domitiano & Baſſiano Caracalla faciamus. *Domitianus* barbari ac feri homo ingenii, quod videret multos Philoſophos Magicis artibus operam dare, omnes Philoſophos ſeveriſſimo edicto tota Italia proſcripſit. *Baſſianus* autem *Caracalla* omnia Ariſtotelis ſcripta voluit abſumere & abolere, quia falſo perſuaſus erat, veneno ab Ariſtotele præparato, Alexandrum Magnum, cujus ille in omnibus ſimia videri volebat, ſublatum eſſe. *Antoninus Pius* publice nonniſi has quatuor ſectas Philoſophorum admiſit: Platonicos, Stoicos, Epicureos, Peripateticos. *Lucianus* in Eunucho. Sed numerus publice docentium non eſt conſtitutus ab Antonino Pio, l. ſi duas, §. 7. D. de Excuſationibus, ſed à Marco. Vide *S. Petitum* lib. 4. Miſcell.

Miſcell. cap. 1. prolixe. Succeſſit *Iulianus*, nefarius Apoſtata, qui Chriſtianos prohibuit Sapientiam profiteri. Cujus minis adacti *Prohæreſius, Victorius* & *Muſonius* Romæ Scholas ſuas clauſerunt. *Eunap.* in Prohæreſ. *Socrates* lib. 3. c. 11. *Theodorus* lib. 3. cap. 8. *Ammian.* lib. 22. & 26. *Euſebius* in Chronico: *Prohæreſius Sophiſta Athenienſis, lege data ne Chriſtiani liberalium artium Doctores eſſent, cum ſibi ſpecialiter Iulianus concederet ut Chriſtianos doceret, Scholam ſponte deſeruit.* Idem lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 32. *Licinius* Imp. literas virus & peſtem publicam appellavit. *Eutrop.* in Hiſt. Succeſſerunt perditiſſimi hæretici, qui abſurdiſſima ſua παράδοξα ex Philoſophia palliabant. *Valentiniani*, & illi contra quos Irenæus ſcribit, Epicuræi erant & Cynici. *Iren.* lib. 2. cap. 58. *Epicuri Philoſophiam & Cynicorum indifferentiam æmulantes.* Et de iiſdem lib. 2. cap. 19. *Minutiloquium & ſublimitatem circa quæſtiones, cum ſit Ariſtotelicum, inferre fidei conantur. Tertullianus*, lib. de præſcript. adv. hæreticos, tradit Valentinum fuiſſe Platonicum, Marcionem Stoicum. *Artemonitæ* Ariſtotelem & Theophraſtum in admiratione habebant. Galenus à nonnullis eorum adoratur. *Euſeb.* 5. Hiſt. Eccl. 28. *Aëtius* quoque acutus Philoſophus. 10. Hiſt. Eccl. cap. 25. Qui, poſtquam Alexandriam venit, operam dedit Ariſtotelico cuidam Philoſopho ac Sophiſtæ, & cum Dialecticas ab eo argutias didiciſſet, nihil aliud cogitavit quam quomodo effingeret de verbo Dei expoſitionem ex Ariſtotelicis ac Geometricis ſyllogiſmis doctrinam de Filio Dei & Sp. S. perverteret. *Epiphan.* hæreſ. 76. Ita *Arriani* in Concilio Nicæno Philoſophos diſertiores ſecum adduxerunt, qui contra Orthodoxos pugnarent: quorum unus à viro pio & ſimplici converſus (*Euſeb.* 10. in Hiſt. Eccl. cap. 3.) alius autem nomine *Phædon* pertinaciter reſtitit. *Epiphanius* hæreſi 66. meminit Scythiani cujuſdam Saraceni, in Arabia nutriti & Philoſophiâ eruditi,

eruditi, qui primus fundamenta Manichæiſmi jecit, quibus *Teronithus* ſuperſtruxit, abſolvit *Manes.* Qua de cauſſa factum eſt, ut Philoſophia ſummè ab antiquis Patribus nonnunquam deſpiciatur. *Tertull.* l. contra Hermog. ait: *Philoſophorum ingeniis omnes hæreſes ſubornari.* lib. 1. adv. Marcionem *Philoſophos* vocat *Patriarchas Hæreticorum* : & in Apologetico dicit: *Nihil poſſe eſſe convenientiæ inter Philoſophos & Chriſtianos.* Idem l. de præſcript. hæret. *miſerum eſſe* inquit *Ariſtotelem, qui hæreticis Dialecticam inſtituerit ſtruendi & deſtruendi artificem verſipellem.* & ibid. *Quid Athenis cum Hieroſolymis? Quid Scholæ Philoſophorum cum Eccleſia Chriſtianorum? Nazianzenus* alicubi Dialecticos cum Ammonitis & Moabitis comparat. Plurima ejuſmodi legentibus Patrum ſcripta occurrunt. Quę omnia eo non ſpectant, quaſi ſanam Philoſophiam rejecerint Patres, quâ & ipſi ſe uſos, & cum fructu, teſtantur, ejuſque inſignia elogia producunt: ſed culpant tantum abuſum & horribiles hæreſes, quæ cum non intelligerent Philoſophiæ uſum, ejuſque fines cum Theologia confunderent, tot errores introduxerunt & commenti ſunt. De quo vide *Ant.* Sadeel præfat. lib. de verbo Dei ſcripto. Illud addendum eſt, quoſdam putare Ethnicis Philoſophis multa ex Chriſtianis innotuiſſe, quorum exemplis meliores doctioreſque redditi fuerint. Patet id ex Seneca, Plutarcho, Plinio Juniore, Epicteto, & aliis in quibus multa occurrunt, quæ neque Plato, neque Ariſtoteles, neque quiſquam veterum habet. Imprimis apud Plutarchum libris de tranquillitate animi, de ira coërcenda, de vitanda uſura, de utilitate ex inimicis capienda, de ſera numinis vindicta, inſignia reperiuntur. Clara fuit his temporibus Inſula *Lerina* vel *Lirina*, in mari Liguſtico ſita, quam hodie Inſulam S. Honorati vocant. Fuit Academia, ex qua plerique docti viri in Gallia prodierunt. Sub Martiano Imp. anno circiter 450. in ea vixit

xit *Vincentius* Lirinenſis; operibus eximiis hodieque clarus.

CAP. VIII.

Barbaris ingruentibus Philoſophia deficit. Bibliotheca combuſta. Symmachus & Boëtius. Averſatio bonarum literarum. Græci & ipſi degeneres. Michaël Pſellus & alii. Iudicium de Philoſophis Græcis poſterioribus.

SUcceſſerunt tandem ea tempora, quæ ut Romano Imperio, ita & Philoſophiæ totique literaturæ finem attulerunt. Nam cum Gothi, Hunni, Vandali, Longobardi, aliique feri ac barbari populi Italiam tanquam diluvio quodam inundaſſent, oppidorum, civium, linguæ & ſapientiæ miſeranda ſtrages edita eſt. Eo tempore infinita doctiſſimorum monumenta antiqua perierunt. Acceſſerunt & alia infortunia. Nam circa A. C. 473. ſub *Zenone* Imp. Muſæ magnum detrimentum in Græcia ceperunt. Nam Conſtantinopoli centum viginti millia librorum incendio perierunt, inter quos Opera Homeri, inſcripta inteſtinis draconis, longis 120. pedes, aureis literis. Remanſerunt tamen, præcipue circa initia, qui dignitatem priſcæ ſapientiæ utcunque ſuſtinerent. Quales fuerunt *Symmachus* & *Boëtius*. De Symmacho ita *Auſonius* lib. 1. ep. 32. *Symmachi eſt ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio.* Boëtio autem quantum tribuatur hodieque notum eſt. Tandem occiſus à Gothorum Rege. Erant etiam mentes juvenum fatali quadam rerum converſione à literis & doctrina alienæ, de quo etiam *Marcellinus* lib. 28. conqueritur: *Quidam deteſtantur ut venena doctrinam. Iuvenalem & Marium Maximum curatiore ſtudio legunt; nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes.* Innuit autem 6. Satyram Juvenalis, ubi fœminarum ſcelera recenſet & peſſimo exemplo aperit, quod reprehendit *Heinſ.* 2. de Sat. Horat. Cumque neque modus neque finis ingraveſcentis

barbarici ullus eſſet, Philoſophia tandem, collectis ſarcinulis, Alpes tranſvolavit, in Gallias, Germaniam, Angliam, Hiſpanias delata: in qua fuga decus omne priſcæ Latinæ Linguæ amiſit, quo etiam per aliquot ſecula caruit. Florebat quidem eo adhuc tempore Imperium Græcum: ubi tamen Philoſophia ita neglectim tractabatur, ut cum priſcis temporibus mater, tum verè noverca Philoſophia dici potuerit. Atque hinc elucet ingeniorum varietas & mutationes crebræ. Quis antiquis temporibus potior Græcis in Philoſophia? Qui ſoli omnis ſapientiæ laudem merito ſibi acquiſiverunt. Paulatim tamen dilapſa eſt illa *ἀκμὴ*, primo quidem ad turpe & fractum Philoſophandi genus, inde ad argutias & *λογομαχίας*, tandem vero ad inanes Rhetoricationes & verborum ampullas. Accurata rerum contemplatio nulla, vel valde rara. Tandem circa A.C. 1059. floruit Conſtantinopoli *Michaël* Pſellus, qui in Geometricis, Arithmeticis, Muſicis & Logicis plurima accurate elaboravit. Quem pauci quidam inſecuti ſunt, *Georgius* Pachymeras vel Pachymerius, *Nicephorus* Monachus, *Blemmidas*, & alii qui in Auguſtana Bibliotheca extant. Ita factum, ut non in Græciam ſed Germaniam & alias regiones dilapſa ſit ſedibus ſuis pulſa Philoſophia. Judicium autem de Græcis Philoſophis hoc eſt *Pici* Mirandulani in Apolog. xc. theſium: *Eſt*, inquit, *apud Græcos nitida imprimis & caſta Philoſophia, apud Simplicium locuples & copioſa, apud Themiſtium elegans & compendiaria, apud Alexandrum conſtans & docta, apud Theophraſtum graviter elaborata, apud Ammonium enodis & gratioſa. Et ſi ad Platonicos te converteris, ut paucos percenſeam, in Porphyrio rerum copia & multijuga religione delectaberis, in Iamblicho ſecretiorem Philoſophiam & barbarorum myſteria veneraberis, in Plotino privatum quicquam non eſt quod admireris, qui ſe undique præbet admirandum, quem de divinis divine, de humanis humane, longe ſuper hominem do-*
cta

cta ſermonis obliquitate loquentem ſudantes Platonici vix intelligunt.

Cap. IX.

Philoſophia Arabum antiquiſſima. Iob quis & ubi? Inſignis Philoſophus. Χειρομαντεία quando cœperit? Zingari. Muhammed lege artes liberales ſuis prohibet. Saraceni Philoſophiæ ſtudia recipiunt ſub Almamone. Ejus rei occaſio quænam? Leonis Philoſophi authoritas. Academia Saracenorum.

INterea lacertos movere cœperunt hactenus ſpreti & barbari *Arabes*. De quibus, quia ita merentur, paulo altius repetita re, nunc agemus. Quando primum Arabes cœperint Philoſophari, non ſatis conſtat. Antiquiſſimis tamen jam temporibus Sapientiæ ſtudio deditos fuiſſe, haud obſcura indicia ſunt. *Lactantius*, lib. 2. Inſtit. c. 14, Chamum cum filio Chanaan expulſum à Noacho & maledictum, in Arabia conſediſſe narrat & Palæſtina. Certum autem eſt, utrumque Philoſophiæ Cainiticæ deditum fuiſſe, de qua ſupra lib. 2. cap. 8. actum eſt. Paulo poſt exortus *Iob*, vir in ſacra & profana Hiſtoria celebratiſſimæ memoriæ. Nam & *Ariſteas* in Judaica Hiſtoria de Job ſcribit, ipſum Eſavi filium fuiſſe, habitaſſeque in Idumæa atque Arabiæ finibus. apud *Euſebium* l. 9. πρ. ευ. c. 5. De quo tamen, quis aut unde fuerit, non conſtat. Unde Rabbinorum commentum: איוב לא היה ולא נברא. Qui etiam exempli tantũ cauſa למשל ejus librum ſcriptum eſſe nugantur. Sacra Scriptura habitaſſe eum in terra Uz ſcribit. Quæ ubi ſita fuerit, ambigitur. Sunt qui volunt eum deſcendiſſe à Nachor, fratre Abrahami, & terram Uz non longe abeſſe à Charan Meſopotamiæ. Alii putant terram Uz eſſe Idumæam, juxta illud *Thren*. 4. *gaude filia Edom quæ habitas in terra Vz*. Ab aliis Auſanitis dicitur, regio vel Syriæ vel Arabiæ quæ dicitur Scenitis, vergens ad Chaldæam & Sabæam. Ita *Ier*. 25. 20. pro *regibus*

terræ Huz, Latinus dixit, *Reges terræ Auſanitidis.* Probabile eum ante natum Iſaac & Jacob vixiſſe: quia terra Uz demum ab Eſavo *Edom* dicta, eſt. Fuit inſignis Philoſophiæ doctor, cui neque antiquior, neque doctior, neque ſublimior ex tota antiquitate, opponi poteſt. *Lipſius* Cent. 1. ep. 99. *In Platone*, inquit, *Triſmegiſto*, *Epicteto*, *Arriano*, *altas præclaraſque multas voces reperio, quid refert à quo eæ profuſæ, ſi ab uno illo Spiritu veritatis? Quem inſpiraſſe ubi libuit priſca illa etiam pectora & oracula edidiſſe per viros vanos & profanos nihil ambigo. Inter vetuſtiſſimos Iob vide, quem è gente electa fuiſſe non cenſent, & tamen ſcripſiſſe omnia electa.* Ejus liber Dialecticus eſt. Nam ut *Hieronymus* ad Paulinum inquit: *Omnes leges Dialecticæ, propoſitione, aſſumtione, concluſione determinat. Quin & rationem ſolvendi vitioſa argumenta oſtendit.* Amici ejus & ipſi in Philoſophia doctiſſimi, procul dubio ex Jobi Schola profecti, cum perpetuis paralogiſmis ludant, egregie à Jobo convincuntur. Qui non tantum inter ſuos hanc ſapientiam propagavit, ſed & publicas Scholas aperuit, uti cap. 4. ejus libri Eliphaz Themanites teſtatur. Inquit enim inter alia elogia יסרת רבים quod *Munſterus* vertit: *Caſtigaſti multos:* melius autem *Iunius: Erudiviſti multos.* Nec antiquiores diſputationes habemus quam quæ in ejus opere mirabili occurrunt. Amici ejus ſunt, uti nunc loquuntur, opponentes, ipſe autem reſpondet. Quod diſputandi genus inventum à Jobo *Ambroſius* tradit. Locus ejus extat lib. 1. de Officiis cap. 12. *Laudatur in Platone quod in Politia ſua poſuit eum qui contra Iuſtitiam diſputandi partes recepiſſet, poſtulare veniam dictorum quæ non probaret, & veri inveniendi atque examinandæ diſputationis gratia illam ſibi impoſitam perſonam dicere. Quod eouſque Tullius probavit, ut ipſe in libris, quos ſcripſit de Republica, eam ſententiam dicendam putaverit. Quantò antiquior illis Iob, qui hæc primus reperit?* Sed de Jobi origine, ſede, totaque

que

que Hiſtoria ex profeſſo aget *Frid.* Spanhemius Junior. Hujus jam temporibus viguiſſe χειρομαντείαν quidam ex illis vulgatæ verſionis verbis colligunt: *Qui ſignat in manu omnia opera eorum.* Sed in Ebræo nihil hujus legitur. Quanquam non eſt dubium, illam artem & antiquiſſimam eſſe & in Oriente natam, ubi illud inſanum Aſtrologiæ ſtudium vigebat. Cum enim deprehendiſſent cœli in hæc inferiora actiones, reliquum erat ut convenientiam inferiorum cum ſuperioribus oſtenderent. Priſcum enim illud eſt: *Inferius eſt ſicut ſuperius.* Igitur hominem parvum mundum ſtatuentes, ſingulas ejus partes ad cœleſtia, ut ſic dicam, lineamenta revocarunt. Unde nata illa diſciplina, quam Græci φυσιογνωμίαν appellantes, in μετωποσκοπίαν, ὀφθαλμοσκοπίαν & χειρομαντείαν diſtribuerunt: quæ omnes longo temporis intervallo aut planè amiſſæ aut ludicrè corruptæ ſunt à circulatoribus quibuſdam. Ut non immerito tale Phyſiognomi cum Syſtema *Keckermannus* inter deſiderata utiliſſima referat, lib. 4. Phyſ. cap. 1. Hodie impoſtores quidam, quos Germani *Zingaros*, Itali *Cilices* vocant, ea ſe arte imprimis jactant. *Polydorus* Virgilius, lib. 7. de Inv. Rerum cap. 7, Aſſyrios eſſe putat, qui, ritu ſacerdotum Deæ Syriæ, fraudibus & mendicitatis aucupio vivant. Sed ut ad Arabes revertamur, poſt Jobi ætatem, per multa ſecula, obſcura Philoſophiæ Arabicæ fama fuit: ac fatetur *Gregorius* Abulfaraius Malatienſis, de Origine & Moribus Arabum, ejus notitiam à Deo ipſis negatam fuiſſe. Donec tandem ſub Heraclio, Romanorum Imperatore, monſtrum illud *Muhammed* ex obſcuro angulo in medium fatiſcentis orbis Theatrum erumperet. Qui omnium, non dico Philoſophorum, ſed ſomniantium nugas longè ſuperavit. De cujus tamen vita & obitu nunc quidem dicendi locus non eſt. Literarum prorſus expers erat, adeò ut ne ſcribendi quidem artem teneret. Cætera ſagax, fallax, ſummus ſi-

mulandi & diſſimulandi artifex. Uſus eſt inſtitutione & conſiliis *Sergii* Monachi Neſtoriani, Arrianorum & Judæi cujuſdam. Ex quorum collatitia opera natus eſt ille liber qui dogmata Mahometi complectitur, *Alcoran* dictus. Lege lata ſancivit: *ne quiſquam Mahommedanus, cujuſcunque tandem conditionis & ſtatus, diſceret ullam ex ſeptem artibus liberalibus: ſecus qui faceret, mortis damnas eſſet:* ratus nihil facilius eſſe quam tantas nugas, ſi quidem artes vigerent, ex hominum animis brevi exſtirpare. *Ghiſtele* lib. I. Itiner. cap. 4. Cujus tamen legis, an in vita Muhammedis mentio extet, valde dubitem. Certe communi poſtmodum Muſlimorum conſenſu abolita fuit. Mirum autem fortaſſe cuidam videbitur, cur *Muhammedem* catalogo Philoſophorum accenſeamus, qui tamen omnes literas omneque ſtudium diſciplinarum Philoſophicarum publico edicto & armis proſcripſerit. Cujus inſtituti noſtri hanc rationem damus. Quemadmodum Academici, Pyrrhonii & Sceptici, ea de cauſſa quoque Philoſophis accenſentur, quia aliorum Philoſophorum placita & dicta confutarunt vel rejecerunt; ita Muhammedem quoque Philoſophis accenſeri, non quod aliquid magni invenerit, ſed quia, quæ ab aliis bene conſtituta erant, omnia rejecerit. Cumque malum initio intra Arabiæ terminos contineretur, mox tamen & in Aſiæ & Africæ latiſſimas terras diffundi cœpit. Sub *Califatu Almamonis* Arabes omnem Græcam pariter ac Latinam Philoſophiam ad ſe traduxerunt, de quo peculiari commentario agendum eſſet. Cujus rei occaſionem fuiſſe Arabum ſcriptores referunt, ſpectrum quoddam, Ariſtotelis perſonâ, Almamoni in ſomnio oblatum. Unde quaſi divinitus ſe impelli ad Sapientiam Græcorum amplectendam promovendamque ſentiebat. In quem finem, victo Imperatore Michaële III, inter alias pacis conditiones etiam hanc tulit, ut copiam obtineret petendi quicquid vellet de ſcientiis

tiis veterum, quæ in Romano orbe incultæ jam jacerent. Quo conceſſo, miſſi à Mamone in Romaniam Haghagh Matri filius, Ibn Batrik, Sullama præſes domus Sapientiæ, & alii qui libros attulerunt & verterunt. Dicitur etiam Johannes filius Maſuiæ ex eorum cenſu fuiſſe quos Romam (Conſtantinopolin) ablegarit. Ait *Muhammed* filius Iſaaci: *Inter eos qui occupati fuerunt in deferendis libris ex regione Romanorum, numerantur Muhammed & Ahmed & Haſen filii Schaces, Aſtrologi.* Horum operâ rariſſimi in Philoſophia, Geodeſia, Muſica, Arithmetica & Medicina libri ad Arabes pervenerunt. Quemadmodum Iſaacides prolixius exponit. Non deerant tamen quibus hæc peregrinitas diſpliceret, tanquam Iſlamiſmo noxia: unde Almamonem ſtatuebant damnatum. Sic enim de eo loquuntur: *Fieri non poteſt quin Deus certas de Almamone pœnas ſumat, quod, ſcientiis Philoſophicis introductis, Muhammedanam pietatem corruperit.* Sed longe aliter Græci de hac Philoſophiæ ad Saracenos ſub Almamone tranſlatione ſcribunt. Quorum traditiones ex Saracenica *Cælii* Auguſtini Curionis Hiſtoria huc apponemus; eſt enim elegans & ad rem præſentem apprimè facit. Ita igitur ille lib. 2. *Fuit Mamunus vir certè multis præclaris virtutibus ornatus, nam cum ipſe doctus eſſet, viros etiam doctos vehementer amabat, magnoq; honore afficiebat: cujus rei præclarum exemplum hic narrare lubet. Erat Byzantii inſignis quidam Philoſophus, Leo appellatus, qui cum Theſſalonicenſium eſſet Epiſcopus, inde ob imaginum controverſiam, quæ tunc Latinam & Græcam exagitabat eccleſiam, pulſus, Byzantium ſe contulerat: ibique vili quadam in domo degens, quibus quiſque vellet artibus homines inſtituebat, unde multi ex ejus privata Schola inſignes in artium & Philoſophiæ ſtudiis prodierunt: ac inter cæteros juvenis quidam, ſummam ex ejus diſciplina Geometriæ peritiam adeptus, à Sarracenis in bello captus fuit, & in ſervitutem cujuſ-*

dam

dam clari inter eos viri venit: quem cum Mamumus Mathematicis diſciplinis inſtructum audiviſſet, coram ſe ſiſti jubet: cumque certamine propoſito is Arabas Geometras eatenus viciſſet, quod, quarum rerum illi ſolum uſum habebant, ipſe etiam cauſas & rationes adferebat: Mamumus vehementer admiratus (putabat enim artem illam apud ſolos Arabas vigere) à quo ea didicerit, & num præceptor ejus adhuc viveret, quærit. Reſpondet ille: Leonem ſibi fuiſſe Præceptorem, inopem adhuc vitam agentem, & nulli alii rei quam ſtudiis deditum. Statim ergo ad Leonem literas in hanc ſententiam Mamumus ſcribit: Vt ex fructu arbor judicatur, ſic nos ex diſcipulo præceptorem cognovimus. Ergo tu, qui tanta rerum ornatus ſcientia, ignotus tuis civibus, nullum ſapientiæ fructum percipis, ne dedigneris ad nos venire, tuæque nos doctrinæ participes facere. Quod ſi feceris, omne Saracenicum genus tibi colla ſubmittet: iiſque divitiis & donis cumulaberis, quibus nemo unquam hominum. Has literas juveni, libertate & multis muneribus donato, Byzantium perferendas tradit. Quibus literis acceptis, Leo rem totam ad Imperatoris familiares refert: ſicque Imperatori innotuit, qui eum ditatum publicè docere juſſit. Mamumus, autem Leonis ad ſe adventu deſperato, Geometricas aliquot, Aſtronomicaſque & aliarum ſcientiarum quæſtiones ei diſcutiendas mittit: quibus à Leone optimè ſolutis, & inſuper ſignis quibuſdam ad futura prædicenda adſcriptis, cum eas Leonis literas legiſſet, ſummo ejus deſiderio ardens fertur exclamaſſe: O beatos illos, qui tua, divine Leo, conſuetudine fruuntur. Indeſtatim legatos cum donis ad Imperatorem miſit, eique in hunc modum ſcripſit: Statueram (ut candidum amicum decet) ipſe ad te venire, ſed cum à Deo, cujus ſumma eſt poteſtas, mihi commiſſum imperium, populuſque ſubditus ferociſſimus, id non concedant: peto ut Leonem, virum Philoſophia aliiſque ſcientiis præſtantem, quem habes, ad me mittas, quo exiguum tempus mecum degens, ſua me doctrina, cujus amore flagro, participem faciat.

faciat. Neque ob religionis & gentis diverſitatem hoc differas: ſed mecum amicè agas rogo, quod ſi præſtiteris, tibi mille auri pondo dabimus, pacemque & fœdus perennè tecum inibimus. Cui petitioni Imperator, ne ſcientiæ, quarum cauſa Romani cunctis gentibus admirationi erant, barbaris proderentur, non annuit: quin potius Græcus ipſe, & Chriſtianus, à barbaro impioque homine virutem colere didicit, quod utinam & noſtri principes hoc exemplo edocti facerent. Is enim Leonem deinceps, magnis divitiis locupletatum, ſummo in honore habuit, Theſſalonicenſique iterum eccleſiæ paſtorem dedit, ubi & ſummopere, propterea quod Theſſalonicenſem agrum in ſummam ſterilitatem redactum, adeò ut incolis aut fame moriendum, aut alio migrandum eſſet, ſuo ingenio, & ſcientiarum, quas callabat, ope ad frugem convertiſſet, fertilemque reddidiſſet, eum omnes venerabantur. Hodie in Imperio Turcico & Perſico Academias plurimas habent: in ſola Africa, ſi Leoni fides eſt, ſupra XXX. numerant, quarum nobiliores ſunt: *Marocci, Feſæ, Hubeddæ, Oraniæ, Conſtantinæ, Tuneti, Tripoli, Alexandriæ, Alcahiræ.* Occupaverant etiam ante ſecula aliquot totam fere Hiſpaniam, continuis irruptionibus, in qua celeberrimi Arabes Philoſophi vixerunt, de quibus quæ ſunt memoratu digna, compendio, quod inſtitutum noſtrum poſtulat, referemus.

CAP. X.

Incrementa Philoſophiæ Arabicæ in Hiſpania. Avicenna. Qua fraude ſcripta ſua obtinuerit? Ejus cum Averroë contentiones. Averroës commentator. Alpharabius. Abi Abdilla. Defectus Philoſophiæ Arabicæ. Academiæ Fezana & Tunetana. Muleaſſes Averroiſta. Rabbini recentiores Paradoxi. Philoſophiam Arabum amplectuntur.

DE quorum Philoſophia quędam cognoſcenda ſunt. Non enim ea eſt ridicula ex Alcorani aut Sunæ fabulis, non etiam ex commentis veterum conflata aut novitatibus incruſtata,

cruſtata, ſed uſi inſtitutione præſtantiſſimorum & probatiſſimorum authorum, Ariſtotelis, Galeni, eorum veſtigia ſedulo ſecuti ſunt. Cum enim, jam prolatis Imperii Arabici terminis, deguſtare cœpiſſent Græcas literas, à quibuſdam quædam Græcorum opuſcula in Arabicum ſermonem converſa ſunt. Eſt enim Arabica gens, uti patrii ſoli, ita & Linguæ ſuæ amans: peregrinas noſſe quidem, non tamen uſurpare decorum. Igitur cum incidiſſent in Scripta Ariſtotelis Græca, jam penè apud ipſos Græcos ignota, cœperunt inde quædam, mox pleraque vertete in patriam linguam; unde ad alia progreſſi, plurima præſtantiſſima Latinorum & Græcorum monumenta verterunt. Imo etiam quædam Thomæ Aquinatis. *Clenardus* l. 1. epiſt. Quæ cum inciderent in homines ingenio ſagaciſſimos, cœpit paulatim ſubtiliſſimæ Philoſophiæ ardor eos urere. Nimirum jam per multa ſecula habebat quidem ea regio homines ingenio alto, otii & literarum amantes, qui Mathematicis ſpeculationibus, neque illis tantum, ſed & aliis dediti, poterant quantumvis capaciſſima ingenia implere. Erat tamen illa ipſa ſapientia quaſi duce deſtituta, qui totum agmen componeret, confuſa ordinaret, daretque ipſi corpori certum ſtatum. Quod cum divinus Ariſtoteles apud Græcos vel ſolus præſtitiſſet, factum inde, ut non Græcis modo, ſed & (quis putaſſet?) Arabibus author emendandi confuſiſſimam congeriem fuerit. Neque nunc res altius, quam nobis notæ ſunt, arceſſamus. Certe, quamvis Bibliothecas habeant Arabes & Afri, innumerabilium librorum copia florentes, in quibus plurima veterum ipſorum Philoſophorum monumenta latent, nobis tamen præter *Averroëm*, *Avicennam* & alios nulli fere noti ſunt. Incipiamus autem ab *Avicenna*. Qui tantum labore ſuo aſſecutus eſt, ut vel ſolus inter omnes Ariſtotelis interpretes palmam auferat: neque quiſquam tam bene aſſecutus mentem

tem

Digitized by Google

tem Philoſophi atque Avicenna videatur. Monuit autem jam olim diligentiſſimus Avicennæ verſor, qui ejus linguæ ſtudio xxx. annos in Syria conſumſit, *Andr.* Alpagus in ſua Avicennæ editione, corrupte ſcribi *Avicenna:* ſcribendum eſſe *Ebenſina. G. Sionita* Maronita è monte Libano cap. 3. Arabiæ ita ejus nomen refert: *Honain Abu Ali Benſina, quem Latini Avicennam vocant.* De quo quid idem eo in loco referat, quia notatu dignum eſt, paucis exponemus. Tradita enim res eſt priſcis Arabum ſcriptoribus, Avicennam ſcripta ſua plagio Præceptori & Domino, cui ſerviebat, ſurripuiſſe. Res autem ita geſta eſt. Bochara (non Arabiæ ſed Mawaralnahhræ urbs) Avicennæ patria eſt. In ea celeberrimi nominis Medicus vivebat, qui tamen neminem eruditionis ſuæ hæredem eſſe volebat. Igitur famulis utebatur literarum rudibus, ſcripta quoque omnia diligentiſſime cuſtodiebat. Avicennæ mater, ſollicita de filii ſui præclara educatione, dolum comminiſcitur. Filio perſuadet ut ſurdum ſe & mutum fortiter ſimularet. Ipſa, Medicum aggreſſa, famulitium pueri & commendat & ſuadet. Impetrabilis res erat, quia ſurdus & mutus, ineptus ad omnia ſtudia videbatur. Sed tamen Medicus explorandum puerum ratus, & ipſe dolo utitur. Aliquoties enim maſſas æneas magni ponderis prope aures ignorantis pueri projiciens, ſic ſe, num quæ fraus lateret, expiſcaturum ratus eſt. Omnia tamen perſeverans pueri dolus vicit. Medicus, tot experimentis conſumtis, nihil ſubeſſe fraudis ratus, negligentius ſchedas ſuas habere, & incuſtoditas fere abituriens relinquere. Qua occaſione Avicenna uſus, eas ſurripere, deſcribere, & tandem ſub nomine ſuo, Medico defuncto, edere cœpit. Ariſtoteli ita addictus fuit, ut multi referant eum totam ipſius Metaphyſicam memoria tenuiſſe. Coætaneum habuit *Averroëm* & ipſum Arabem, qui Cordubæ in Hiſpania vixit, ac graviſſimas cum Avicenna

Oo 2 con-

contentiones exercuit, & quamvis uterque ſe Ariſtotelis ſectatorem profiteretur, nihil tamen, quod ab altero diceretur, rectum putabant. Ejus ſectatores *Averroiſtæ* dicuntur, quorum cum aliis Philoſophis præcipuè in Italia & hodie & olim magnæ ſemper fuerunt contentiones. Scripſit & ipſe in pleraque Ariſtotelis, tanto ingenio, ut doctiſſimi interpretis nomen & *Commentatoris* titulum κατ' ἐξοχὴν obtinuerit. Ex quo pleraque poſteriores Scholaſtici mutuati ſunt. Ariſtotelem pro Deo Sapientiæ habebat & opinabatur erroribus plane caruiſſe. Invenimus & alios celebrati nominis Philoſophos. Qualis erat *Alpharabius* Arabs, qui cum in Haran Meſopotamiæ Ariſtotelis librum de auditu inveniſſet, quadragies perlegit & ei ſuperſcripſit, *vellem iterum legere. Sionita* c.2. Arabiæ. Damaſci Philoſophus ſummus *Abi Abdillas* profeſſus ſuſtinuit *omne contrarium convenire cum ſuo contrario aliqua in re, excepto Deo qui nulla in re cum creaturis poſſit convenire*: ſcripſit ingens volumen, de unitate exiſtendi principiorum. De Arabum Philoſophis ita judicat *Ioh. Picus* Mirandulanus, in Apologia pro xc. theſibus: *Eſt*, inquit, *apud Arabes in Averroë firmum quiddam & inconcuſſum in Avenpace, in Alpharabio grave & meditatum, in Avicenna divinum atque Platonicum. Celebris* quoque *Alboaſar* eſt, quem tamen falſo, ut idem Picus docet, *Albumaſarem* vocant. Utinam vero, quod omnino opus ad accuratam Philoſophiam, habuiſſent linguarum & Philologiæ ſubſidia. Sed omnino homines in media barbarie nati, quid aliud quam ingenium & induſtriam ad Philoſophiam attulerunt? Accedebat & alterum malum, quod, dum Ariſtotelem pro Deo quodam ſapientiæ, qui errare non potuerit, habent, ſæpius cum ipſo Ariſtotele errante errent. Illud vero plane peremtorium eſt, quod cum Ariſtotelicæ Philoſophiæ nomen dediſſent, Ariſtotelem neque in ſua lingua, ac ne tolerabili quidem verſione, cognoſce-

re

re potuerint. Extabant verſiones Arabum, ſed multis in locis mutilæ, perverſæ, corruptæ. Quod partim temporum, partim hominum, partim Linguarum culpa factum eſt. Tempora erant adeo barbara, ut ipſa Græcia ferè Platonem ſuum ac Ariſtotelem ignoraret. Homines linguarum non adeo periti. Ipſæ linguæ nimium diſtantes & ἀμετάβλητοι. Nam ut difficile eſt Ariſtotelem ex Græco vertere, propter conciſum & interruptum dicendi genus: ita Arabibus id difficillimum eſſe, quorum dictio quam longiſſime à Græca conſtat, quis non videt? Inde factum, ut commentatores ſæpius impingerent: de quo *Cœlius* lib. 2. A. L. c. 2. qui ita de Avicenna judicat: *Is in Hiſpania natus* (falſo tamen, *uti Sionita* oſtendit, qui *Bocharam* ei patriam fuiſſe docet) *& Arabum idiomate imbutus cum Græca literatura ne apices quidem imbibiſſet, Ariſtotelis libros in barbarum ſonum non tranſlatos quidem ſed mutilatos, decurtatos perverſoſque cum lectitaret, in iis quæ altioris ſunt ſcientiæ & interioris ſenſus, authorem eminentiſſimum, ſtudio brevitatis ita ſæpe conciſum, ut ſenſuum acumina ſudantes Philoſophos diſtineant, diu multumque minus minuſque conſequi valuit.* Hæc *Cœlius*. Quanquam dubium non ſit, quin, ſi ipſos Arabes ſua lingua, qua ſcripſerunt, lectitaremus, aut purior ſaltem verſio adornaretur, propius ad mentem Ariſtotelis acceſſuri eſſent. Hodie præcipuè in Africa & Numidia florent literæ; ſed ita ut quotidie remittant de illa contentione animi & refrigeſcant. Præcipuè floret *Academia Feſenſis & Tunetana.* Feſæ poſt Grammaticam toti ſunt in Alcorano & Doctoribus Scholaſticis, hoc eſt, qui de Sacrorum ceremoniis & Theologia tractant. Tuneti florent cæteræ omnes diſciplinæ, *Clenardo* teſte. Collegia ibi, in quibus ſtudioſi artibus, Medicinæ, legibus, operam dant, multa ſunt. Superiori ſeculo Rex *Muleaſſes*, exactiſſimè Philoſophiæ Averrois peritus, cum Philoſophis Italis de natura univer-

ſi, motu cœli, poteſtate ſiderum diſputavit. *P. Iovius* lib. 34. & 44. Hiſtor. *Feza* unum præ cæteris nobile, in quod extruendum *Habu Henon* quadringenta octoginta aureorum millia effudiſſe dicitur. Ipſorum Doctores *Alphakii* vocantur. *Clenardus* lib. 1. epiſt. quod eſt idem ac ſi dicas σοφοί. De Rabbinorum recentiorum Philoſophia id in univerſum obſervamus, eam Paradoxis delectari. Unde *Heinſius* 2. de Sat. Horat. obſervat, *non ovum ovo ſimilius, quam Rabbinorum Paradoxa Paradoxis Stoicorum:* id quod allatis exemplis probat. *Maimonides* tamen & *Aben Tibbon* Ariſtotelem ferè ſequuntur, ſed ſecundum traditiones & verſiones Arabum. Judæi enim poſteriores, cùm Saracenis fere permixti viverent, ab iis etiam Philoſophiam acceperunt. Unde commendabant ſapientiam Iſmaëlitarum. Sed tum de *Arabum* tum *Rabbinorum* Philoſophia hæc non niſi ἐν παρόδῳ: prolixiorem enim operam utraque requirit. Id quod aliàs fiet.

Digitized by Google

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

Liber Sextus.

Cap. I.

Seculi Noni Barbaries. Sylveſter Magus habitus. Ioh. Patricius Erigena. Origo Scholaſticorum. Miſcent Theologiam cum Philoſophia. Petrus Abelardus.

INterea Chriſtianus orbis, inter denſiſſimas tenebras, velut animam agebat. Nam circa nonum à nato Chriſto ſeculum tam indocta erant tempora, ut, qui Philoſophiæ operam navabat, vulgo Magus putaretur. *Bellarm.* 4. de Pont. Rom. cap. 12. *Sylveſter* tamen ſecundus (& hic eſt ille qui Magiæ inſimulatus fuit) Pont. Rom. Arithmeticam, Muſicam, Geometriam in Gallias revocavit. Abacum primus à Saracenis accipiens, regulas dedit quæ à ſudantibus abaciſtis vix intelliguntur. *Guilh.* Malmeſburienſis de geſtis R. Angl. l. 2. cap. 10. Circa A. IↃCCC LXXX in Britannia floruit *Iohannes* Patricius Erigena (id eſt Hibernus, *Erin* enim Hiberniam hodieque indigenæ appellant) vir & linguarum Orienta-

rientalium & Philoſophiæ & Theologiæ peritiſſimus, qui primus in Oxonienſi Academia, ab Alfredo Magno, Angliæ Rege, fundata, bonas artes docuit. Diſcipuli eum, cum Miſſam taxaret, graphiis confoderunt A. Iↄccc LXXXIV. *Balæus Cent.* 2. Brit. Script. cap. 24. *Philippus* Chron. lib. 4. Tandem exorti ii quos hodieque SCHOLASTICOS vocamus. Qui cum initio Theologiæ in cœnobiis operam navarent, mox toti ad Philoſophiam abrepti, eam ſupra Theologiam extulerunt. Certe *Scotus* in 3. Sent. diſt. 24. quæſt. 1. tradit: *Scholaſticos doctores tandem Theologiam cum Philoſophia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Quod primus fecit *Petrus* Abelardus, de quo agens *Trithemius* inquit: *ab hoc tempore Philoſophia ſecularis Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit.* Et oſtendit *Ant.* Sadeel præfat. in lib. de Verbo Dei ſcripto: *Scholaſticos illos, ob Philoſophiæ cum Theologia confuſionem, dicendos potius Philoſophos quam Theologos.*

CAP. II.

Ioh. Damaſcenus. Quando vixerit? Ejus opera. Lanfrancus. Gilbertus Porretanus. P. Abelardus. P. Lombardus. Scholaſticorum princeps. Philoſophiæ Scholaſticæ periodi tres. Vetus à Lombardo ad Albertum Magnum. Alexander de Ales.

SCHOLASTICORUM apud Græcos caput *Iohannes* Damaſcenus, apud Latinos *Petrus* Lombardus fuit. *Iohannes* patriam Damaſcum habuit, ac vixit non circa Theodoſii I. tempora, nec circa A. CCCXC, ut quidam volunt, ſed demum A. IↄCCXL, ut *Petrus* Martyr contra Gardinerum probat. Erat inſignis Philoſophus, ut ex ejus rudimentis Logicis accurate ſcriptis patet. Ejus opera Syriace ſcripta ex Oriente cum attuliſſet *Guilh.* Poſtellus, ea Ottoni Henrico, Electori Palatino, cum aliis Mſſ. oppigneravit. Primum ad Scholaſticam Philoſophiam gradum ſtruxe-

ſtruxerunt in occidente *Lanfrancus* Papienſis ac Cantuarienſis Archiepiſcopus, omnium ſuo tempore in Dialectica doctiſſimus habitus, *Trithemio* teſte. A. cIↃ c x l. floruit *Gilbertus* Epiſcopus Pictavienſis, cognomine Porreta, quem magnifice doctum, ingenio ſubtilem, novitate confuſum vocat *Trithemius.* Ei coætaneus *P. Abelardus,* magni acuminis vir, *Dialecticus* cognominatus. PETRUS autem natione Italus, patria Novarienſis, cognomento *Lombardus*, Epiſcopus Pariſienſis, frater Gratiani & Petri Comeſtoris, quorum ille Jus Canonicum, hic Hiſtoriam Scholaſticam condidit, primus illorum, qui Scholaſtici appellantur, author & conditor cenſetur, circa A. Ch. cIↃ c x l v. Sed de Lombardo ac Scholaſticis L. *Danæus* in ſuis Prolegom. ad 1. ſentent. operam præoccupavit, quo etiam lectorem remittimus. In univerſum Periodi ac ætates Scholaſticorum obſervandæ ſunt, quarum tres recenſentur, vetus, media & nova. *Vetus* ſive à *Lanfranco,* ſive potius *Petro* Lombardo ad Albertum M. per cc vel cxv. annos decurrit, quo tempore, niſi quod barbaries omnia late occuparet, major adhuc Philoſophiæ puritas. Nam Theologiam quod ſpectat, ejus veritatem fontemque puriſſimum cœno quæſtionum rivuliſque opinionum conturbavit *Lombardus*, ut de eo recte *Aventinus* loquitur. Inter omnes hujus periodi Scholaſticos celeberrimus fuit *Alexander* de Ales, primus in Lombardum commentator, dictus propterea *Doctor irrefragabilis.*

CAP. III.

Media ætas ab Alberto ad Durandum. Sub ea gliſcit Ariſtotelis authoritas. Ab Alberto Albertiſtæ. Philoſophiam ante obitum oblitus. Simile exemplum in Thurravo Anglo.

SEcunda ætas eaque media Scholaſticorum ab *Alberto* Magno & A. Ch. cIↃ cc. ad *Durandum* de S. Portiano

per centum annos duravit. Quo quidem intervallo Philoſophia Ariſtotelica ad ſummum dignitatis & authoritatis faſtigium conſcendit. Quippe *Albertus* Magnus, prima Scholaſticorum ſecta, quæ *Albertiſtarum* dicitur, condita, Ariſtotelis Philoſophiam Sacræ Scripturæ æquiparavit. Erat cætera vir ſummi ingenii, admirandæ induſtriæ, nulli ſuo tempore in Philoſophia ſecundus, *Trithemio* teſte. Quas laudes *Scaliger* ſuo ſuffragio comprobat. Dictus eſt & *Magnus* & *Divus* propter ſtupendam eruditionem. De quo ingens miraculum inſuper narrant, quinquennio ante mortem omnia, quæ in Philoſophia didicerat, oblitum; idque à B. Virgine precibus impetraſſe, ne ſe in Philoſophorum opinionibus ſed ipſa Chriſti fide ac charitate ſineret mori. *Ferdinandus* Caſtillus cent.1. Hiſt. Dominic. & ex eo *Ant.* Poſſevinus de cultura Ingeniorum cap. x. Simile exemplum de *Simone* Thurvavo Anglo, Pariſienſi Doctore & Dialectico acutiſſimo, qui A. Ch. cIↃ cc. vixit, referunt. Is enim cum blaſphemus eſſet in Chriſti doctrinam eamque facillimè ſe refutaturum diceret, omni non modo eruditione ſed & loquela privatus fuit. Cumque vox rediret, neque literas noverat amplius, neque precationem Dominicam, ac à filio prima alphabeti elementa denuo diſcere conabatur. *Ioh.* Balæus Cent. III.

CAP. IV.

Thomiſtæ à Thoma de Aquino. Qui Bos Mutus dictus. Ejus ſumma Theologia in Græcum, Arabicum & Sinenſem ſermonem verſa. Petrus Hiſpanus. Iohannes Duns Scotus conditor Scotiſtarum. Dictus Doctor ſubtilis. Impugnat Thomam. Tabula de ejus in ecſtaſi ſepultura.

EX Alberti Magni Schola & diſciplina prodiit THOMAS de Aquino, qui ſecundæ Scholaſticorum ſectæ, quæ THOMISTARUM dicitur, nomen impoſuit. Hoc neque in ſtudendo diligentior quiſquam, neque parcior

in

In loquendo fuit, unde à condiſcipulis contemtim *Bos mutus* appellabatur. Sed Albertus perſpecto Thomæ ingenio, *Bos hic*, inquiebat, *ſi mugire cœperit, totum orbem boatu ſuo implebit*. J. B. *Fulgoſus*. Scripſit quamplurima, inter quæ *ſumma Theologiæ* eminet, tantæ æſtimationis hodieque, ut eam non modo Græci in ſuum ſermonem verterint ac ſtudioſe legant, teſte D. *Chytræo* de ſtatu Eccl. in Græcia, verum etiam Arabes ac Sinenſes. Thoma non multum recentior fuit *Petrus* Hiſpanus, initio Cardinalis, poſtea Pontifex dictus *Iohannes* XXI. qui magnam famam aſſecutus eſt ſummulis ſuis Dialecticis, quas tamen ex Michaëlis Pſelli Synopſi Organi Ariſtotelis compilavit. Poſt hos ſubtiliſſimum *Iohannis* Duns Scoti ingenium emerſit, qui tertiæ Scholaſticorum ſectæ, quæ SCOTISTARUM dicitur, nomen & auſpicium dedit. De Patria ejus, non ſecus ac de Homeri, ambigunt, his Anglum, illis Scotum aſſerentibus, quod propius vero eſt. Mertonenſem alumnum fuiſſe conſtat. Dictus eſt vulgo *Doctor ſubtilis*. Præcipuè Thomam ſibi impugnandum ſumſit tanta ſubtilitate, ut in illo Scholaſtico dicendi genere, nihil acutius, nihil accuratius, nihil abſolutius ſit. Cui ſi tempora elegantiorem cultum non invidiſſent, ſummis proculdubio in Philoſophia viris accenſeri potuiſſet. Obiit Coloniæ A. Ch. CIↃCCCVIII. Vulgo tradunt in Ecſtaſin, familiarem morbum, lapſum, cum à diſcipulis pro mortuo haberetur, elatum ſepultumque vivum adhuc fuiſſe. Quod fabuloſum eſſe contendunt illi qui nuper opera ejus omnia publicarunt.

Digitized by Google

CAP. V.

Tertia ætas Scholaſticorum à Durando ad Gabrielem Biel. Guilh. Occam conditor Occamiſtarum. Origo Nominalium. Rixæ inter Nominales & Reales. Proverbium, Logica victa eſt à Rhetorica, *unde originem ſumſerit? G. Biel ultimus Scholaſticorum. Rogerus Bacon. Ioh. Baconthorpius. Magiſter Alanus. Iudicia varia de Philoſophia Scholaſtica.*

TErtia ætas eaque nova à *Durando* ad *Gabrielem Biel* extenditur, quo tempore neque finis neque modus commentandi in Magiſtrum ſententiarum & Ariſtotelem fuit. Floruit tum inter alios *Guilhelmus* OCCAM Anglus, dictus primo *Venerabilis inceptor*, deinde *Doctor ſingularis*, tandem verò *Doctor invincibilis*, Scaligero *lima veritatis*. Qui cum omnium ingenia ſubvertiſſet, quartæ Scholaſticorum ſectæ, quæ OCCAMISTARUM dicitur, nomen dedit. Appellabantur etiam NOMINALES, propterea quod *Occam* & *Rucelinus* quidam Univerſalia mera eſſe nomina, non res, contra Scotiſtas, defenderent. Hinc duæ novæ Scholaſticorum ſectæ, *Nominales* & *Reales*, originem traxerunt, inter quas tantæ contentiones & odia, ut crebro à verbis ad verbera, à ſyllogiſmis ad ſaxa deveniretur. Id quod Heidelbergæ factum fuiſſe, ubi contigua habebant Collegia, ſive, ut tum loquebantur, Burſas, *Aventinus* lib. VI. Annal. teſtatur. Erat tum miſerabilis Philoſophiæ facies, quæ ab hominibus, otio abundantibus & ingenio, portentoſis rixis & tenebris pluſquam Cimmeriis involvebatur. Id quod ejus ævi volumina, non mole minus quam barbarie tremenda, oſtendunt. Accidit A. Ch. CIↃCCCLXIV. quod riſum meretur, & Philoſophicis bellis accenſeri poteſt. Cum enim *Gerhardus* Baro à Berg Magnum Brunſvicenſium Ducem prælio ſuperaſſet, inter alios captivos etiam Albertus Halberſtadienſis Epiſcopus fuit. Unde natum proverbium: *Logicam victam eſſe à Rhetorica.* Erat enim

enim Albertus ſubtilis Logicus, Gerhardus bonus habebatur Rhetoricus. Ultimus hujus ætatis cenſetur *Gabriel* Biel Spirenſis, cæterorum omnium fucus. Fuerunt & alii clariſſimi viri, quos præterivimus: veluti *Rogerus* Bacon Anglus, qui floruit A. MCCLXX. In Matheſi peritiam incredibilem habuit. Multi eum Magiæ inſimulant & *νεκρομαντείας*, ut & *Balæus* editione Centuriarum prima; quam tamen cenſuram monitus retractavit in poſtrema. Vir erat ultra quam ſeculum ſuum tulit doctus. *Iohannes* quoque Baconthorpius & ipſe Anglus, Oxonienſis Profeſſor, *Doctor reſolutus* vulgo dictus, celebris eſt. *Trithemius* eum de *Bachone* appellat, ſed Baconthorpe ei nomen erat, à cognomine villæ in agro Norfolcienſi, unde oriundus erat, ut *Balæus* monuit. De quo præclare *Baptiſta* Mantuanus:

Iſte tenebroſi damnat veſtigia Scoti,
Et per ſacra novis it documenta viis.
Hunc habeant quibus eſt Sapientia grata, redundat
Iſtius in ſacris fontibus omne ſophon.

Anno 1430. florebat in Gallia Magiſter *Alanus*, titulo docti & ſapientis viri decoratus. Eum dormientem, quanquam omnium mortalium deformatiſſimus eſſet, diſſuaviata eſt propter ſapientiam, Margareta Lud. XI. Gall. Regis conjux. Fr. *Belleforeſto* in hiſtor. Philoſophia autem illorum temporum uſque ad renatum Euangelium tam erat barbara, obſcura, confuſa & ſpinoſa, ut vix titulum Philoſophiæ tueri ullo modo poſſit. Infinita obtinebat ſcribendi licentia. Ariſtoteles non niſi ingenti chartarum mole obrutus proponebatur, edebant tricubitalia annotata, quotlibetarias quæſtiones, ſummas, & quæ ſunt alia nugarum genera. Obtinebat litigioſa ſubtilitas: formabant ſuper unaquaque re objectiones & earum ſolutiones, quæ ut plurimum diſtinctiones tantum erant. Adeo ut Scyllæ genus ad vivum expreſſerit hoc genus Philoſophorum, cujus

os & pectus Virginem formoſam præ ſe ferebat, infra vero fuiſſe ajunt,

Candida ſuccinctam latrantibus inguina Monſtris.

Interim id fatendum eſt, ſi Scholaſtici, ad inexplebilem ſitim veritatis & continuam agitationem ingenii, varietatem, & elegantiam lectionis & contemplationum adjunxiſſent, inſignia profecto illi extitiſſent lumina, omneſque artes & ſcientias mirificè provexiſſent: quod eſt judicium *Verulamii* lib. I. de augm. ſcient. *Eſt enim* (quemadmodum *Iohan.* Picus in Apologia XC. theſium inquit) *in Iohanne Scoto vegetum quiddam & diſcuſſum, in Thoma ſolidum & æquabile, in Ægidio terſum & exactum, in Franciſco acre & acutum, in Alberto priſcum, amplum & grande, in Henrico ſublime & venerandum.* At vero omnes has dotes corruperunt illæ ſubtiliſſimæ ſubtilitates, *quas ſubtiliores reddebant tot Scholaſticorum viæ, ut citius à labyrinthis temet explices, quam ex involucris Nominalium, Realium, Thomiſtarum, Albertiſtarum, Occamiſtarum, Scotiſtarum. Quis hæc intelligat niſi triginta ſex annos totos in Phyſicis & ultramundanis Ariſtotelis & Scoticis contriverit?* Ut non eleganter minus quam verè *Eraſmus* in Moria judicat. Et eodem ſenſu *Boëtius* III. de conſol. de Philoſophis ejuſmodi dicit *eos inextricabilem labyrinthum rationibus texere.* Omnium ſtultitiam ſuperarunt Magiſtri noſtri Colonienſes, qui Ariſtotelem divis annumerarunt & Johanni Baptiſtæ compararunt. *Corn.* Agrippa de vanit. ſcient. cap. LIV. Quo etiam reſpexit apud Sleidanum *Lutherus* lib. II. comment. ubi inquit: *Ariſtoteles Theologis Scholaſticis in ſummo pretio eſt, & nihil ab eo dictum tam abſurde & alienum à noſtra Religione quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantumvis longe petita, circumveſtiant, quo ſuus illi conſtet honos atquè nominis exiſtimatio.* Et dudum ante ejus tempora *Franciſcus* Petrarcha lib. I. de Remed. utriuſque

que fortunæ Dial. XLVI. conqueſtus fuit: *illos de Deo & natura temerariè fabulari, omnipotentiſſimam Majeſtatem ventoſis Sophiſmatibus circumſcribere, de natura arcanis ita diſputare quaſi è cœlo venerint.* Modeſtiſſimum autem H. *Grotii* judicium eſt, in Proleg. de Jure Belli & Pacis: *Scholaſtici, quantum ingenio valeant, ſæpe oſtendunt: ſed in infelicia & artium bonarum ignara ſecula inciderunt, quo minus mirum, ſi, inter multa laudanda, aliqua & condonanda ſunt.*

CAP. VI.

Græci in Italiam Græcas literas referunt. Emmanuel Chryſolaras. Leonardus Brunus. Conſtantinopolis à Turcis capta. Barbaries Græciæ hodiernæ, imprimis Athenarum. Thomæ Aquinatis ſcripta æſtimant. Græci in Italiam veniunt. Argyropylus ibi Philoſophiam profitetur. Nicolaus V. favet literis. Sixti IV. barbaries. Th. Gaza. Laur. Valla. Ang. Politianus. Hermolaus Barbarus. VVeſſelus Ganſefort. Rud. Agricola. H. Savanarola. Novus orbis detectus.

EX tantis tenebris paullatim clarior lux emergere cœpit. Nam & literæ quaſi renaſcentes, & ipſa Euangelii doctrina, meliora tempora promittebant. Quippe Anno CIↃ CCC XCIX. *Emmanuel* Chryſolaras Byzantinus Græcas literas in Italiam intulit, quæ jam per ſeptingentos ferè annos exulaverant. M. *Palmerius* Florentinus in Chronico A. CIↃ CCCC XV. *Leonardus* Brunus Ariſtotelis Ethicam & Politicam in Latinum vertit. *Idem.* Cum verò Anno CIↃ CCCC LIII. Imperium Græcum, capta Conſtantinopoli, funditus à Turcis exciſum fuiſſet, Philoſophia quoque Græca in Oriente adeò periit, ut nunc ipſis Athenis nihil barbarius ſit. De quo audiamus conquerentem *Theodoſium* Zygomalam, Nauplim Peloponneſium, in Epiſtola ad M. Cruſium Anno 1575. 15. Aprilis Conſtantinopoli ſcripta, ubi inquit: Ἀλλὰ τί τῶν Ἀθηνῶν μνησθεὶς μακρο-

Digitized by Google

μακρολογῶ, δέρμα λειφθεὶζῶν τοῦ πάλαι ποτὲ ζώου. Et cum porro commemoraſſet ſe quidem Heliconem uſque ad verticem conſcendiſſe, neque tamen Muſas aut Pegaſium fontem inveniſſe, addit: ἔγνων πῶς ταῦτα μὲν ἦν ὅτε ἦσαν, τόποι καὶ διατριβαὶ Σοφῶν. Ἀπέστησαν δὲ τὰ καλά. ὡς δ' ὁρῶ, πρὸς τοὺς σοφοὺς γερμανοὺς ὑμᾶς μετῴκησαν. Σοφίαν γὰρ ἢ μαθήματα, νῦν οὐκ ἔχομεν. Athenæ aurem ante Byzantium captæ ſunt. Nam cum *Acciaioli* Florentini ibi imperitarent, & inter *Francum* Acciaiolum & uxorem *Nerii* Acciaioli patrui lites initio, poſt cædes agitarentur de Imperio urbis, Mahomedes, ut finem rixis imponeret, Omarem Theſſaliæ præfectum Athenas occupare & præſidium arci imponere juſſit, ex quo tempore Turcis ſubdita fuit. Plane nunc ibi & tota Græcia Philoſophiæ ſtudium & eruditio exulat, pauciſſimis veterem Græcam Linguam noſcentitur: imo legibus Epiſcoporum alicubi, *ne qui veteres Poëtas, Oratores, Philoſophos alioſve ſcriptores Ethnicos legat*, prohibitum teſtatur *Chytreus* libro de Stat. Relig. in Græcia. A Scholaſtica tamen Philoſophia non plane abhorrent. Idque exinde patet, quia Th. *Aquinatis* ſcripta, Summam præcipuè, in Græcum ſermonem verſam, magna cum ſubtilitatis & acuminis illius admiratione legunt. *Ibid.* Quemadmodum vero literæ in Græcia perierunt: ita quicquid ejus eruditionis ſupererat, tanquam ex magno naufragio, ad Italiæ littus primum enatavit; inde toti Occidenti communicatum fuit. Tum temporis enim *Theodorus* Gaza Theſſalonicenſis, *Demetrius* Chalcondylas Athenienſis, *Marcus* Muſurus Cretenſis, *Georgius* Trapezuntius, *Iohannes* Argyropylus, *Marcus* Marullus & plurimi alii, Romam venerunt & cum Græca eruditione Philoſophiam quoque ibidem ex ipſis fontibus inſtaurarunt, unde paulatim lacunæ & paludes fœtidæ Scholaſticorum exaruerunt. Primus ex Græcis Romæ Philoſophiam pro-

feſſus

feſſus fuit *Argyropylus*, cujus ſectatorem ſe fuiſſe memorat *Angelus* Politianus Miſcell. cap. 1. eumque cùm literarum Latinarum minimè incurioſum, tum Sapientiæ decretorum, diſciplinarumque adeò cunctarum, quæ Cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditiſſimum illis temporibus habitum atque in diſputando acerrimum. Favebant etiam naſcentibus literis plurimi magni viri, imprimis *Nicolaus* v. Pontif. Max. cui plane diſſimilis *Sixtus* fuit, cui quum *Gaza* dedicaſſet librum Ariſtotelis de natura animalium, pulcrè auro & holoſerico ornatum, rogavit *quanti ornatus conſtaret?* Gaza quadraginta coronatis conſtare dixit: quos ei reddi curavit, præterea nihil: cum tamen vir ille in tantà paupertate vixerit, ut, niſi eum ad ſe Dux Ferrarienſis vocaſſet, fame ipſi moriendum fuiſſet. Ediderat quoque jam anno 1440. Dialecticam Latinam *Laurentius* Valla, in qua Ariſtotelem valde exagitat. *Angelus* quoque Baſſus, alio nomine Politianus, ad magnam celebritatem nominis venit, explicationes ſuas in Analytica priora Ariſtotelis, de Dialecticæ à prima Philoſophia diſtinctione, & Dialecticæ compendio edendo. *Hermolaus* quoque,

——— dictus qui Barbarus olim,
Barbariem tamen Italicis procul expulit oris,

bonam operam poſteritati navavit, Plinii recenſione doctiſſima. Idem pro Philoſophia Barbara minimè Barbara ſcripſit. Eaſdem diſciplinas in Germania noſtra, imo Friſia, & hac ipſa urbe in qua hæc ſcribo, Groninga erexerunt *VVeſſelus* Ganſefort, *Rodolphus* Agricola, *Ioh.* Capnio, & *Eraſmus* Roterodamus. *VVeſſelus* Groningenſis parem circa ea tempora non habuit. Eâ enim omnium literarum ac diſciplinarum cognitione erat præditus, ut communi nomine diceretur *lux mundi.* Peritus erat trium Linguarum, Latinæ, Græcæ & Ebrææ. Ad Græcam diſcendam in ipſam Græciam profectus eſt. Cumque A. C. 1477. Elector Pa-

latinus Philippus inſtauraret Heideldergenſem Academiam, eo ad Profeſſionem Theologicam vocatus eſt. Sed cum Doctoratum ſuſcipere non poſſet, propterea quod oſor Monaſtici ordinis eſſet, relicta profeſſione Theologica, Philoſophicam ſuſcepit. Profitebatur autem Philoſophiam Platonicam, quam Chriſtianiſmo utiliorem & convenientiorem exiſtimabat. Cui mox, cum Lutetiam ſeceſſiſſet, ſucceſſor datus eſt *Rodolphus* Agricola Omlandus, qui peragratis pleriſque Europæ Academiis, ad ſummam non tantum eruditionem, ſed & famam pervenerat. Hic edidit mirabiles illos de Inventione Dialectica libros, caligante adhuc & delirante Germania: quibus Logicam non tam ſpinoſis quæſtiunculis inſervire quam in omni vitæ genere uſum habere ampliſſimum monſtravit.

Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Succeſſit *Hieronymus* Savanarola Italus, eximius Philoſophus, qui, relicta errantium caligine, veram Philoſophiam reducere ſerio conabatur. In Græcia vero ab eo tempore adeo deſiit omnis eruditio, ut hodie nulla Barbaria æquè Barbara ſit atque Græcia. Literas ac ſapientiam non tantum non colit, ſed nec intelligit quidem. Emerſit tandem alius quaſi orbis, cum Græcia quidem cultu & humanitate non comparandus, talis tamen qui facile omnium veterum fabulas convincat. Eum circa hæc tempora *Chriſtophorus* Columbus Ligur invenit. Ita impletum illud *Senecæ* ex Medea:

——— *Venient annis*
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet & ingens
Pateat tellus, Tiphyſque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

De

De quorum tamen populorum non Philoſophia ſed Barbarie dici poteſt. Cujus vel hoc exemplum erit. Laborabat cum ſuis penuria annonæ Columbus: Barbari ſpernere imperia. Igitur à Philoſophia Columbus petens auxilium eos aggreditur, denunciat, *ni juſſa faciant*, *excidium & de cælo pœnas. Et ut ſciatis iram numinis, hac nocte Lunam nigrore horrido videbitis.* Barbari hoc miraculo attoniti, cum neſcirent Eclipſin eſſe, Columbum velut numen venerari & juſſa facere cœperunt. Vide *Ferd.* Columbum in vita patris cap. 104. Paulatim tamen, crebro commercio Chriſtianorum, exuta priſtina barbarie, ad humaniorem cultum reducuntur. In qua re *Ieſuitis* non minima laus debetur. Qui delati in terras illas cœperunt literarum fundamenta ponere, præſertim apud feros homiedones Braſilianos. De quo *Dieghus* Payva Andradius præfat. librorum Orthodoxarum explicationum: *Ieſuitæ*, inquit, *in Braſilia ædibus extructis puerorum magnam multitudinem ſibi adſciverunt, quos ſumma cura & perennibus laboribus ex nativa illa feritate ad juſtitiam manſuetudinemq; transferunt, fide inſtruunt, pietate informant, virtutibus excolunt, præclariſſimiſque diſciplinis exornant: ita ut in multis jam cernere liceat patrium ſtridorem potius quam linguam, in Latini ſermonis elegantiam atque lenitatem converſum, & in animo religione & bonis literis exornato neque veſtigia quidem priſtinæ belluarum feritatis reperiri. Vnde illorum puerorum multi ad vicinas villas & caſtella commeant, ut parentes, affines, cognatos atque univerſam denique plebem, divinam legem doceant, & vitia immanitateſque increpent, non ſine magna agreſtis gentis admiratione, divinæque gloriæ amplificatione.*

CAP. VII.

Sinenſium Philoſophia. Antiquis Seres. Medio ævo Cathæi. De quibus M. Paulus Venetus & Ioh. Mandevil. Cataia & Sina unum idemque regnum. Sinenſis Philoſophia rudis. Sed in Politica excellunt. Antiquiſſimus eorum Philoſophus Confutius. Cujus ingens authoritas hodieque. In Sina Philoſophi regnant. Bonzii.

QUis vero in extremis Aſiæ oris & apud remotiſſimos Scythas Philoſophiam quæſiviſſet? Atqui apertæ *Sinenſium* & Japonenſium terræ, ipſam fidem Sapientiæ ſtudio ſuperarunt. Eos antiqui *Seras* appellabant, qui cum juſtitiæ laude celebres ſemper fuerint (P. *Mela* lib. III. cap. 7.) quis dubitet etiam Philoſophiam excoluiſſe? Et conſentiunt Sinenſium traditiones, qui cum ipſa penè gente ſua & literas & ſapientiam cœpiſſe jactant. Poſtea multis ſeculis abditi quaſi & ignoti, Europæorum notitiam fugerunt, donec ſub *Cathæorum* nomine Perſis, inde Saracenis innoteſcerent. Primus in Europam eorum notitiam M. *Paulus* Venetus intulit, eumque ſecutus *Ioh.* Mandevill Anglus, qui Catainorum eruditionem & ſubtilitatem in omnibus attibus immane quantum extollit cap. LXXII. Itinerarii ſui. Et cap. LXXXII. ad Imperatoris, quem Magnum Canem vocant; complures ſedere ait ſapientiſſimos Philoſophos, eruditos in Aſtronomia, Geometria & aliis artibus, quorum quiſque aſtrolabium habeat ante ſe poſitum. Poſt quæ tempora iterum Cataiæ notitiam Occidens amiſit, ita ut diutiſſime dubitatum fuerit de ejus ſitu & conditione, nec niſi incertis rumoribus & ut plurimum fabuloſis celebraretur. Donec navigationes Luſitanorum in Indiam vaſtiſſimum illud Sinenſe Imperium aperirent, à quo diverſum multis Catainum videbatur, ut ex Geographicis Mercatoris & Ortelii aliorumque tabulis apparet. Primi omnium Jeſuitæ obſervarunt, nullam extra Sinenſem

ſem murum reperiri Cataiam, ac qui nobis Sinæ appellentur; eos à Perſis Cataios vocari: unde Nicol. Trigautius concluſit eandem eſſe cum Cataia regionem Sinam. Cujus rei veritas nuper luculenter aſſerta fuit à Martino Martinio, authore Sinici Atlantis, & illuſtribus ex *Naſirodino* Tuſenſi confirmata argumentis à Jac. Golio, Collega noſtro honorando; ut nunc æquè certum exploratumque ſit Sinam eſſe Cataiam ac Hellada Græciam. Quantum autem apud Sinas Philoſophiæ ſtudium ſit, illorum verbis exponam qui diu in ea regione verſati, omnia penitius cognita perſpectaque habebant. *Nicol.* Lombardus in Epiſtola de ſtatu Regni Sinenſis ad Cl. Aquavivam: *Nullam*, inquit, *nationem video tam deditam literis quam Sinenſes. Tot Athenæ ſunt quot oppidula.* Contrarium aſſerere videtur *Ioſephus* Acoſta lib. VI. Indiæ cap. 6. ubi tradit: *Academias in China nullas adhuc compertas: ſtudia ipſorum eſſe linguam Mandarinorum, Hiſtorias, Leges Civiles, Proverbia, Phyſica quædam eos habere & Mathematica, ſed ἀμεθόδικά. Comœdiis & Hiſtoriis deditiſſimos eſſe. Omnem eorum eruditionem revera in legendo & ſcribendo conſiſtere. Theologiam nullam habere.* Sed de Sinenſium Philoſophia imprimis prolixè videri poſſunt J. *Trigaultius* & recentiſſimus Atlantis Sinici author M. *Martinius*. Id in univerſum monuiſſe ſat erit, Sinenſes ante Europæorum adventum in craſſa & rerum naturalium & Coſmographiæ ignorantia verſatos. Arbitrabantur cœlum rotundum, terram quadratam. Elementa eſſe quinque, interque ea metallum & lignum. Doctrinam Ethicam & Politicam ſatis accuratam habent. Scribit *Lombardus*, tam præclarè eos de Republica commentari, ut, ſi ab inferis Plato remearet, alium deſideraturus quam Sinenſem non foret. Maximus omnium Philoſophorum Sinenſium *Confutius* appellatur, qui IↃ LI. ante Servatorem noſtrum annis, id eſt A. Mundi CIↃ CIↃ CIↃ CCCC LIII. re-

gnante apud Perſas Cyro natus, annis amplius ſeptuaginta ita vixit, ita ſcripſit, ut omnibus admirationi eſſet. Et ſane moralibus ſententiis pleroſque Ethnicorum non æquavit modo, verum etiam ſuperavit. Unde ſcripta ejus hodieque eam apud Sinenſes authoritatem obtinent, qualem olim apud ſuos ſectatores Pythagoræ. Nihil iis certius, nihil melius arbitrantur excogitari poſſe, adeoque in ejus verba, tanquam infallibilis Magiſtri, omnes jurant. Hinc ſingula ipſius verba numerant, ne quid de tanto theſauro pereat, &, Maſoretharum inſtar, varias lectiones ſtudioſè conquirunt. Habent duos imprimis libros Philoſophicos, unum *de adultorum diſciplina*, alterum *de medio ſempiterno*, quos Metaphyſicæ loco habent, ajuntque neminem præter Sinenſes poſſe ad eorum intelligentiam pervenire, cum tamen non difficiliores ſint quam Officia Ciceronis. Sed imprimis notatu digniſſimum eſt, univerſum Imperium Sinenſe à ſolis Philoſophis adminiſtrari & apud eos merum miſtumque Imperium reperiri. Hos milites ac duces omnes magna animi demiſſione ac ritu ſingulari venerantur eiſque ſubjiciuntur, & non raro contingit illos ab his non ſecus vapulare, quam apud nos pueri à ludimagiſtro. Ab his Philoſophis omnia pacis bellique negotia adminiſtrantur. Hinc fit, ut ex iis, qui altos ſpiritus alunt, nemo ad res bellicas animum adjungat, & ad infimas potius Philoſophici ſenatus dignitates adſpiret, quam ad maximos in re bellica Magiſtratus; vident enim Philoſophos quæſtu & hominum opinione & veneratione longo præire intervallo. Et quod mirabilius eſt, hi Philoſophi fide erga Regem ac Remp. mortiſque pro patria contemtu palmam ipſis militibus ſine dubio præripiunt. In ſola igitur Sina regnant Philoſophi, ibique voti ſui compos Plato factus eſt. Apud Japonios minor Philoſophiæ cura, quam ferè Bonzii, id eſt, ſacerdotes exercent, quorum

Schola

Schola eſt in oppido Banoum, in qua ſolenni ritu gradus titulusque diſcentibus à præfecto ſtudiorum confertur. Sed de his recentiores & plura & certiora habent.

CAP. VIII.

Marſilius Ficinus Platonicus. Etiam Beſſarion. Ioh. Picus Mirandulanus. Ethnica Philoſophia in Italia gliſcit. Impietas Ang. Politiani, P. Bembi, Leonis X. *Synodus Lateranenſis contra Philoſophos atheos habita. Eorum caput P. Pomponatius.*

IAmque renaſcentibus literis, Philoſophia, exutis pannis, cultior indies & habitior prodibat. Nam *Marſilius* Ficinus Platonicam Philoſophiam, habitu Latino donatam, excoluit, revocavitque veram Eurydicen, hoc eſt, ampliſſimi judicii Platonicam ſapientiam ab inferis. *Polit.* in coronide Miſcell. Circa eadem tempora *Beſſarion*, natione Græcus, Monachus & R. E. Cardinalis, vir apprime de literis meritus, edidit libros eruditiſſimos contra calumnias Platonicorum, ubi Platonem defendit. Intercedebat autem ipſi lis cum *Trapezuntio* de Platonis & Ariſtotelis prærogativa. Ob id vel ſolum immortali nomine digniſſimus eſt, quod fugitivas ex Græcia literas hoſpitio ac tecto ſuſceperit, & ingentibus ſumtibus infinitos optimæ notæ libros ſibi compararit. Veritus ne quidam interciderent, eos ſua manu transſcripſit. Poſt obitum Bibliothecam hanc Venetis legavit. Quis vero ſatis laudarit *Iohannem* Picum Concordiæ & Mirandulæ Comitem? juvenem ſui ævi doctiſſimum, qui, propter exactam omnium fere linguarum notitiam, accuratiſſime Philoſophatus eſt. Imprimis opere admirando contra Aſtrologos inclaruit, quo eorum vanitatem XII. libris eruditiſſime refutavit. Conſcripſit XC. concluſiones de abſtruſiſſimis & ſubtiliſſimis rebus, quas velut à concilio Philoſophorum examinari volebat. Romam definito tempore evocavit ex univerſa Europa Philoſophos.

Digitized by Google

loſophos. Res tamen quorundam invidia neſcio quid tricantium impedita eſt. Inter alia in concluſionibus ſuis poſuit: *Nullum eſſe quæſitum naturale aut divinum in quo Ariſtoteles & Plato ſenſu & re non conveniant, licet verbis diſſentiant.* Quod præter eum P. *Scalichius* & ipſe aſſerebat. Periit juvenis adhuc, maximo rei literariæ damno. Erant tamen circa hæc tempora plurimi, qui Ethnicorum placitis addicti, Chriſtianam Philoſophiam prorſus ſpernebant. Dux & caput factionis *Angelus* Politianus erat, qui interrogatus an Biblia legeret: *Semel,* inquit, *perlegi librum iſtum & nunquam collocavi pejus ullum tempus.* Idem odas Pindaricas Davidis Pſalterio prætulit. Cui ὁμόψηφος erat P. *Bembus,* qui, *ſemel,* inquiebat, *legi Biblia, ſi iterum mihi legenda eſſent, omnem perderem latinitatem.* Idem, cum aliquando P. *Sadoletum* in Epiſtolas Pauli commentantem offendiſſet, *non decent,* inquit, *talem virum tantæ ineptiæ.* Quin ipſum Pont. Max. *Leonem* x. tanti criminis reum faciunt. Qui Pontifex factus, cum indies in Italia creſceret impietas, tandem coactus eſt concilium indicere tollendo malo. Factum idem A. C. 1511. Romæ in Laterano: in quo præcipuè de emendanda corrupta ejus temporis Philoſophia actum eſt. De quo apponemus Leonis x. verba ex Bulla edita. *Cum diebus noſtris Zizaniæ ſeminator nonnullos pernicioſiſſimos errores in agro Domini ſeminare ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis ſit aut unica in cunctis hominibus; & nonnulli temere Philoſophantes ſecundùm ſaltem Philoſophiam verum eſſe aſſeverant: Contra hoc, ſacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, Animam intellectivam mortalem eſſe aut unicam in cunctis hominibus; aut hoc in dubium vertentes: cum illa non ſolum vere, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone felicis recordationis Clementis Papæ, quin & prædeceſſoris noſtri in generali Viennenſi Concilio edito continetur,*

tur, verum & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis & multiplicata & multiplicanda ſit. Cumque verum vero minime contradicat; omnem aſſertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius jubemus: Omneſque hujuſmodi erroris aſtrictionibus inhærentes veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes per omnia ut deteſtabiles & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decrevimus. Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium & alibi publicè legentibus diſtricte præcipiendo mandamus, ut cum Philoſophorum principia aut concluſiones, in quibus à recta fide deviare noſcuntur, Auditoribus ſuis legerint ſeu explicaverint: Quale hoc de animæ immortalitate aut unitate & mundi æternitate ac alia hujuſmodi, teneantur ejuſdem veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere & perſuadendo pro poſſe docere ac omni ſtudio Philoſophorum argumenta pro viribus excludere atque reſolvere. Ordinamus etiam ne quis in ſacris Ordinibus conſtitutus Philoſophiæ aut Poëſeos ſtudiis ultra quinquennium poſt Grammaticam & Dialecticam, ſine aliquo ſtudio Theologiæ aut Iuris Pontificii incumbat. Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateranenſi ſacro-ſancta Baſilica ſolemniter celebrata. Anno 1513. 14. Kalend. Ian. Pontificatus noſtri anno primo. *Bembus.*

Quinam autem fuerint hi, contra quos hæc decreta facta ſunt, nemini poteſt eſſe obſcurum. Sane P. *Pomponatius*, qui publicis ſtipendiis Pontif. Max. in Academia Bononienſi docuit, publice defendit *animam hominis mortalem eſſe*: cujus etiam extant impiæ de Dei providentia deque Chriſti miraculis aſſertiones damnatæ. Ingens ſtudiis ſapientiæ decus addidit *Franciſcus* I. Galliarum Rex, qui prandens ac cœnans de literis loquebatur. *Sleid.* l. XIX.

Ejus ætate in Galliis florebant duo ſummi Philoſophi, *Caſtellanus* & *Bigotius*, quorum ille Peripateticis ſed imprimis Bigotio erat inſenſus: Bigotius profundiſſimus Ariſtotelis interpres nactus eſt immortalem famæ ſuæ teſtem *Jul.* Cæſ. Scal. Exerc. CCCVII. ſect. 15. Erat tamen Caſtellani ſors æquior, eo quod diſputantem Rex ſæpius audiret. Cumque quidam ſuaderent ut & Bigotium audiret, eum ſumme laudantes: Caſtellanus commotior: *Quid*, inquit, *hominem laudatis qui Ariſtotelicus eſt? Et ut ſcias, Rex, qui illi homines ſint, Ariſtocratiam meliorem eſſe Monarchia affirmant.* Ita Rex, omiſſo Bigotio, impoſterum Caſtellanum ſecutus eſt. Totam rem prolixius recenſet *Philippus* Melanchthon in Reſponſione ad Colonienſes. Cæterum ut hoc quoque addamus, Boëmi quos Picardos & Waldenſes & Boleſlavienſes vocant, ut à Monachorum & Sophiſtarum contagio quam longiſſimè ſe abeſſe demonſtrarent, literarum & artium liberalium ſtudia penitus omiſerunt, teſte *Chytræo* in Orat. de ſtatu Eccleſ. in Græcia, Aſia, Boëmia.

CAP. IX.

Euangelici Philoſophiæ peritiſſimi. Lutherus. Ph. Melanchton. Hiſpani & Itali Ariſtotelici. Imprimis Ieſuitæ. Ariſtoteles Bononienſis Architectus. Muſica hodierna inepta. Diaboli mancipia quidam Philoſophi. Anabaptiſtæ Philoſophiam rejiciunt. David Georgius.

PArum promoviſſet in ſapientia orbis, ſi non ad literarum ſtudia etiam lux Euangelii acceſſiſſet. Qua ſemel enata, dici non poteſt quanta acceſſio ad ſapientiam facta ſit. Certe illa tempora non tantum Euangelii, ſed & Philoſophiæ natalis dici poſſunt. Nam *Lutherus* inſigniter in Philoſophia verſatus erat. Ariſtoteli tamen infenſior. Unde in theſibus ſuis A.1518. 6. Calend. Maij Heidelbergæ diſputatis inter alia aſſeruit; *Qui in Ariſtotele vult Philoſophari,*

hunc

hunc prius oportet in Chriſto beneſtultificari. Ibique pluribus Ariſtotelem exagitat. *Zwinglius* etiam, P. *Martyr*, *Zanchius* & alii excelſiſſimè florebant Philoſophiæ laudibus. Omnes tamen exſuperavit divinum *Philippi* Melanchtonis ingenium, qui ſcriptis ſuis totam Philoſophiam ita illuſtravit, ut vere author ejus & fatalis in Germania inſtaurator dici poſſit. Illuſtravit Dialecticam, Ethicam, Phyſicam, & Mathematicas diſciplinas: expurgavit ſpinas Philoſophorum: id denique effecit, ut Philoſophia mox florentiſſima efficeretur. Inimicus erga Euangelicos fuit M. *Canus*, dum l. 9. Loc. Theol. cap. 3. tradit *nullo apud Lutheranos* (ita enim Euangelicos vocat) *in pretio eſſe Philoſophiam.* Ita enim eam tractant, ut tamen in ſacris dogmatis, ubi ratio audienda non eſt, eam obmuteſcere velint. Itali & Hiſpani hodieque Ariſtotelem ſuperſtitioſe ſectantur. Remanet ibi priſtinus Philoſophandi mos. Ibi extruduntur ingentes Commentarii, pleni ſpinarum. Totam ætatem in iis conſumunt. Eos ſequuntur Jeſuitæ, apud quos legibus ſancitum eſt neminem in Philoſophia præter Ariſtotelem ſequi. Quæ cauſa eſt cur multi Orthodoxi non alia de cauſa Philoſophiam Ariſtotelicam timentur, quam quod abſque ea non poſſe cum Jeſuitis recte diſputari videant. *Iacobus* Lectius in epiſt. ad Archiepiſcop. Cantuarienſem præfixa operibus Sadeelis: *Nova & arrogantis ſecta quam Ieſuitarum appellant, novas & exitiabiles tricas cum videret, Ariſtotelicæ diſciplinæ præcepta avidè arripuit, penetravit, in uſum praximque revocavit, ut eorum laqueos omnes acutè & ſubtiliter diſſolveret.* Sed ſigillatim recenſere claros Philoſophos ſupervacaneum eſt, cum ii nemini ignoti eſſe poſſint. Illud dicendum eſt, nullum unquam ſeculum, ne illud quidem quo Græcia floruit, propagine præſtantiſſimorum ingeniorum cum ſuperiori comparari poſſe. Inventa ſunt plurima maximè neceſſaria & utiliſſima ab anti-

quis ignorata. Jam circa A. C. 1455. *Ariſtoteles* Bononienſis Architectus inſignes lapideas turres integras, ſubjectis fundamento lapſibus, illæſas ad alium locum traduxit. M. *Pamerius* in Chronico ſuo. Quod ſane apud veteres neque auditum neque tentatum unquam unquam fuit. In eo tamen antiquis inferiores ſumus, quod veram Muſicæ rationem antiquis uſitatam plane ignoremus. Laborarunt in ea invenienda inſignes aliquot viri, ſed fruſtra. Hodie barbarè plane cantillatur, dum hinniunt diſcantum pueri, mugiunt alii Tenorem, alii boant altum, alii frendunt baſſum faciuntque ut ſonorum plurimum audiatur, verborum nihil: ut recte cenſet *Cornelius* Agrippa cap. 17. de vanit. ſcientiarum. Exorti tamen mox ſunt horribiles hæretici, qui abuſu Philoſophiæ erroribus ſuis fucum fecerunt. Nihil jam dicam de iis qui Diabolo ſe mancipaverunt, quales erant *Cornelius* Agrippa & *Facinus* vel *Faſco* Cardanus. Quorum hic utebatur, ut ipſe *Hieronymus* Cardanus filius teſtatur, Dæmone παρέδρῳ, ſive ut Plauti voce utar, familiatico. His accenſent nonnulli Abbatem *Trithemium*: de quo vide judicium Voſſii lib. 1. Gramm. c. 41. & *Theophraſtum* Paracelſum. In Hiſpaniis emerſit ferale ingenium *Mich.* Serveti Arragonii. Qui animo ſubdolo, fallaci, Academico, cum in Africa Numidiæ Academias viſitaſſet, exinde pravo Philoſophiæ toxico Theologiam conſpurcavit. Secuti ſunt alii Arriani, tandemque infauſtus ille *Socinus*: de quibus vide H. Zanchium part. 2. de tribus Elohim lib. 1. c. 1. Sed Anabaptiſtæ totam Philoſophiam ſuperciliosè rejiciunt. Cum illâ enim ipſorum Dogmata, quæ toties in principia Philoſophiæ impingunt, ſtare nôn poſſunt. Ex quorum Schola *David* Georgius progreſſus peſſimè eruditionem & eos, qui longioribus veſtibus induti incederent, propter opinionem eruditionis & perſonatæ gravitatis mira improbitate oderat, teſte *Nicolao* Bleſdikio, in Hiſtoria D. Georgii.

CAP.

Cap. X.

Chymici. Eorum antiquitas. Geber. Lullus. Ejus ſectatores Lulliſtæ. Pſeudo-chymici. Iudicia de Paracelſo.

EXortæ quoque ſunt multæ ſectæ novorum Philoſophorum, de quibus quædam addenda ſunt. Incipiemus autem à Chymicis, qui ab antiquiſſimis ſeculis originem ſuam deducunt. De quo jam ſupra lib. 3. cap. 5. aliquid dictum eſt. Nunc aliorum teſtimonia apponemus. *Delrio* lib. 1. Diſquiſ. Magic. cap. 5. *Alchymiam opinor vetuſtam, ſed certa teſtimonia ante ævum Caligulæ non invenio.* Joſ. *Scal.* ad l. 4 Manil. *Non habemus antiquiorem Firmico, qui Alchymiæ mentionem fecerit.* Quanquam inventum vetuſtiſſimum ſit, tamen ſero ad Romanos pervenit. Diu apud Arabes obtinuit, à quibus etiam ipſum nomen ejus fluxiſſe videtur. In qua celebris fuit *Geber* Arabs, cujus ſcripta in hoc genere hodieque magni momenti ſunt. Eam quoque adſcribunt *Hermeti* Ægyptio, quem Triſmegiſtum dicunt, cujus tabula, quam vocant, Smaragdina totius artis fundamenta in ſe continere dicitur. Succeſſere A.C. 1311. *Raimundus* Lullius Medicus & Theologus Eremita, Præſes Regis Majoricæ Jacobi. Hic non tantum in Alchymia celeberrimum nomen obtinuit, ſed etiam totam Philoſophiam, imo omnes omnino artes innovavit. Nam omnium diſciplinarum terminos generaliſſimos, imprimis Metaphyſicæ, Ethicæ, Theologiæ, ex propriis ſedibus in communem quendam locum compegit, eorum ſimilitudines & affectiones certis quibuſdam cameris alphabetariis docuit. Hoc chaos vocavit artem magnam & magna quædam de ea pollicitus eſt: quippe hac ſola cognita non opus eſſe, reliquas adire diſciplinas dictitabat. Methodo nulla ſed confuſione magna uſus eſt. Ab hominibus ſui ævi valdè celebratur. Rabbini dicebant, *ei tantam Sapien-*

tiam contigiſſe, quantam Deus Salomoni conceſſerit. Ejus artes excoluere ſuccedentibus ſeculis *Cornelius* Agrippa, qui in artem brevem Lulli commentatus eſt, *Paulus* Scalichius de Lika, Comes Hunnorum, qui Encyclopædiam diſciplinarum edidit Lulliana Methodo adornatam, *Iordanus* Brunus & alii: neque deſunt noſtro ævo qui nimium ei tribuant. Ipſi narrant, *Petrum* neſcio quem Daguinum, *Iacobum* Januncium, tribus menſibus, cum ante vix prima literarum elementa tenuiſſent, in viros admirabiles evaſiſſe opera hujus artis. Sed prudentioribus merito illa jactantia ſuſpecta habetur. Lullius autem hic patriam habuit Majoricam alteram Balearium, in cujus civitate *Majorca*, quam veteres Palmam dixere, natus fuit. Ex ejus ſcriptis fatetur *Iacobus* Stapulenſis ſe plurimum profeciſſe. Scripſit multa Chymica, multa Cabbaliſtica. Ejus verò tanta apud ſuos cives Majoricanos eſt exiſtimatio, ut etiam hodie magno ſtipendio Philoſophia Lulliana ibi loco Ariſtotelicæ doceatur. Condidit peculiarem ſectam quæ *Lulliſtarum* dicitur. Chymia à Monachis & aliis otio & opibus abundantibus exculta eſt. Quales fuerunt *Bernardus* Comes de Treviſo, *Albertus* Magnus, *Robertus* Bacon, Fr. *Baſilius* & alii. Noſtro tempore in ea celebres fuerunt *Paracelſus*, *Severinus*, *Libavius*, *Nollius*, *Quercetanus*, quorum omnium induſtriam ſuperavit D. Sennertus. Eſt & aliud genus hominum inertium qui aliquot libellis vulgari lingua conſcriptis contenti, Chymicos ſe vocant, & totos dies ad fornaculas ſedentes, miſeram paupertatem alunt. Hi non ſunt comparandi cum prioribus, quorum benefacta in Rempublicam Chriſtianam celebria ſunt & multa. Sunt enim homines indocti, arrogantes, fallaces, qui plerumque magnates auro, dum aurum pollicentur, emungunt. Ariſtotelem, Galenum, Hippocratem, quos nunquam viderunt, nunquam legerunt, ſtrenuè calumniantur, & rejiciunt, ſua

ſomnia, ne intellecta quidem, pompoſè venditantes. Scripta ipſorum, multo, quam nomen, obſcuriora ſunt. Sponte enim quæ non intelligunt, magis involvunt ut ne rem vulgarem & obviam dicere videantur. Nonnulli palam ad illicitas artes inclinant, ut *Crollius*: de quo ejuſque ſectatoribus ita *Sennertus* lib. de cauſ. & diff. cap. 14. *Caput & cauda fonſque operationum Magicarum & cardo, in qua Magia tota Crollius eſt, & quam recentiores non pauci ſectantur & clam propagant, ac non niſi iis qui his ſacris digni videntur per manus tradunt, eſt falſa iſta de imaginationis viribus opinio. Horum omnium pater & princeps Theophraſtus Paracelſus eſt, cujus Philoſophia peccat magna præceptorum ἀμεθοδία, terminorum & phraſium inſolentia. Qui omnibus bonis Artibus quaſi bellum indixit.* Narrat *Seb.* Franck in Chronico ſuo: ipſum ſcripta Avicennæ in publico foro Baſileano combuſſiſſe. Medici tamen ſaniores eum in multis æſtimant. *Mich.* Barth. apud Scholtzium epiſt. Med. LXXX. *Ego de ipſo Theophraſto præclarè ſentio; admiranda præſtitit: ſed qui eum perfectè intelligat, & quæ ipſe fecit, faciat, nondum audivi.* H. *Smetius* lib. V. Miſcell. Med. Ego ſane Paracelſum laborioſum induſtrioſumque rerum abſtruſarum indagatorem multæque peritiæ virum libenter agnoſco, atque in Pharmacorum præparativa admirandum: verum ſcientiæ ſolidioris parum, methodi nihil, oris tamen quamplurimum habere. P. *Meliſſus* in Baſilic. Crollii,

Quis non Aureoli Theophraſti dia reperta
Ingeniumque ſagax & mirum prædicet ignem,
Quo præeunte artes Chymici didicere novellas,
Quo monſtrante ægri curantur ſimplice gutta.

Fuit autem Paracelſus magnus Ariſtotelis & Galeni contemtor. Vide ipſum l. de Meteoris cap. 4. & paſſim omnibus operibus.

CAP.

CAP. XI.

Ramæi à P. Ramo. Cui occaſionem dedere Valla, Vives, Agricola. Ariſtotelem exagitat. Ejus adverſarii. Philoſophiæ definitio.

SUccedit altera ſecta celebris, quæ ***Ramæa*** eſt. Hæc initium ſumſit non à P. ***Ramo***, ſed jam olim aſſenſores habuit & authores eos, qui relicta Peripatetica Schola quidvis ſibi ſtatuendum putarunt. Quales ſuperiore ſeculo fuere ***Laurentius*** Valla, & ***Ludovicus*** Vives. Nam quam multa ex ***Valla*** mutuatus ſit Ramus, Jacobus Carpentarius ipſi Ramo demonſtravit. Addunt alii ex ***Rodolpho*** Agricola magnam inventionis partem deſumſiſſe. Quæ ut negari omnino non poſſunt, certum tamen eſt eos Ramo potius occaſionem melius de rebus illis cogitandi, quam ipſas res dediſſe. At cum de Ludovico Vive agitur, inquit ***Keckermannus***, iſta excuſatio loci nihil habitura eſt: ibi enim generalia omnia & pleraque particularia, quæ Ramus tanta cum pompa Philoſophis Italis, Gallis, Germanis tanquam ſua inventa proponit, totidem verbis reperias in Ludovici Vivis Commentariis, quos de cauſis corruptarum artium & de tradendis diſciplinis multo, ante quam Rami quicquam in publico appareret, evulgavit. P. autem ***Ramus*** homo dexterrimi ingenii, ſolidæ doctrinæ & liberrimi judicii, cum quoquo modo ad famam etiam pro alienæ exiſtimationis ruinam ſibi contendendum putaret, ex omnibus antiquis Ariſtotelem exagitandum atque explodendum ſibi ſumſit, adeoque ea, quæ ex Valla & Vive hauſerat, velut interpolata in lucem emiſit. Occaſionem ei dederunt Pſeudoperipatetici Sophiſtæ Pariſiis & alibi, Scholaſtica barbarie & corruptiſſima Philoſophia in media literarum luce delectati, nec non interpretes pravi & rudes Ariſtotelis. Quorum furias non tolerans primo in ipſos, mox in ipſum Ariſtotelem acriter invectus eſt, & adverſariorum

riorum calumniis divexatus, longius proceſſit novamque ſectam de ſuo nomine, plurimos in Gallia, Anglia, Germania, nactus ſectatores, condidit. In Italia & Hiſpania obſcurum vix & penè ignotum nomen ejus eſt. Oppoſuerunt ſe plurimi, præſertim Lutetiæ *Ioach.* Perionius: Tubingæ *Iac.* Schekius, è Theologis *Beza* & *Vrſinus.* Tria potiſſimum ei objecta: ἀμεθοδία, ἀντιλογία, ψευδολογία. Res multis & violentis ſcriptis ultro citroque agitata eſt. Ariſtoteli infenſiſſimi ſunt. Cujus vitam, ſcripta, mores, variis calumniis exagitarunt. Qui rigidiores ſunt, etiam ab ejus lectione abſtinendum putant. Protulerunt pomœria Philoſophiæ. Nam cum barbari Philoſophi, quaſi artes liberales nihil ad ſtudium Sapientiæ facerent, eas ſpernerent; P.Ramus earum uſum ad Philoſophiam revocavit. Unde ejus ſectatores eam definiunt *Syſtema liberalium diſciplinarum.* Metaphyſicam prorſus exterminant & miro odio proſequuntur. Præceptorum paucitatem & uſum urgent; ut ob hanc cauſam à quibuſdam Philoſophiſſimi, qua voce *Iuſtinianus* utitur, appellentur.

Cap. XII.

Anabaptiſtæ & alii fanatici damnant Philoſophiam. Turbæ Helmſtadienſes. An Philoſophia pugnet cum Theologia. Iacobus Rex Britanniæ & Mauritius Landgr. Haſſiæ. I. Caſ. Scal.

MOta etiam circa hæc tempora Philoſophiæ lis eſt. Nam primo fanatici quidam, *Anabaptiſtæ*, *fratres Roſeæ* crucis & alii, omnem tolli volebant, ut à Dæmone profectam, ut inimicam Chriſtianæ fidei, ut damnatam à Paulo. Quorum conatibus multi ſeſe oppoſuerunt. Mox exortæ ſunt majores turbæ Helmſtadii à *Dan.* Hofmanno & quibuſdam aliis motæ, magno cum bonorum offendiculo & damno. Contendebant *Hofmannus* & ipſius aſſeclæ *Philoſophiam pugnare cum Theologia: multa eſſe vera in Theologia*

quæ ſint falſa in Philoſophia & contra; exterminandam Chriſtianis Academiis ut noxiam, ut toties etiam graviter ab antiqua Eccleſia damnatam. His ſe initio ſtatim oppoſuerunt ejus Academiæ Philoſophi, *Duncanus* Liddelius Scotus Med. D. *Corn* Martini, *Ioh.* Caſelius & alii, rati ad ſe pertinere ejus defenſionem, cujus profeſſores eſſent. Res contentionibus diu acta eſt ita ut Hofmannus eos tandem à Miniſterio excluderet qui contrarium ſentirent. Habitæ ſæpius diſputationes & magni fluctus in illo ſimpulo excitati. Extant ejus tamen aliquammulta acta. Tandem lis ſopita eſt authoritate Principis: reſtitutus honos ſuus Philoſophiæ ejuſque Doctoribus eſt. Hofmanniani ceſſerunt. Exorta quoque eſt ſecta Politicorum *Machiavelliſtarum*, qui ſtatuunt Philoſophiam Theoreticam homines reddere ineptos ad prudentiam Politicam, trahentes ad ſe illud Neoptolemi apud Ciceronem: *Philoſophandum ſed paucis*; de quo vide Celſ. l.5.c.15. & 16. Et certiſſimum eſt omni ætate fuiſſe qui dicerent cum inepto illo Grammatico: *Philoſophias ego non didici, nec diſcere appetivi.* Noſtra vero ſecula ut multos præſtantiſſmos Philoſophos viderunt, ita nemo major apparuit quam *Iacobus* inclytus Rex Britanniæ, & *Mauritius* Haſſiæ Landgr. quorum illum Solem, hunc Lunã Philoſophorum dixere. De *Iacobo* vere ſcribit *Voſſius* in præfat. operis ſui Grammat. *Iacobus Britanniæ Rex tam varia maximarum rerum ſcientia ſuperavit quicquid Regum à mille annis, mille vero? imo abſit dicto invidia, quicquid à Regis Salomonis temporibus fuit.* Et cum ab omni antiquitate duo præcipuè admirabiles fuerint, *Hippocrates* & *Ariſtoteles*, ſuperius ſeculum, quem iis adjungeremus, dedit, nempe *Iulium* Cæſ. Scaligerum, uti vere de eo judicat *Lipſius*, quem etiam *Voſſius virum humanæ divinitatis* vocat. 11. de Anal. cap. 23. Atque hæc obiter & carptim de veterum Philoſophia delibaſſe ſufficiat. Nam recentiorem,

cujus

cujus hic non niſi ſtricturas quaſdam dedimus, peculiari operi reſervamus. Noſtro enim imprimis tempore multæ novorum Philoſophorum ſectæ, exortæ ſunt, atque ipſæ vetuſtatis, dudum quaſi emortuæ & ſepultæ, opiniones, repullulant.

CAP. XIII.

Syncretiſmus inter Philoſophos tentatus à Gellio quodam. Et ab Antiocho, Ioh. Pico, R. Goclenio.

ILlud mirabile eſt, tentatum à nonnullis Syncretiſmum inter tot litigantes Philoſophorum ſectas, inter quas non magis convenit quam inter horologia ut *Senecæ* verbis in ἀποκολοκυνθ. utar. Rem autem ita narrat *Atticus* apud Ciceronem lib. 1. de Legg. *Quia,* inquit, *me Athenis ex Phædro meo audire memini, Gellium familiarem tuum, cum pro Conſule ex Pretura in Græciam veniſſet Athenis Philoſophos qui tum erant, in locum unum convocaſſe, ipſiſque magnopere authorem fuiſſe, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum. Quod ſi eſſent eo animo ut nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem convenire, & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid convenire.* Cicero autem Attico reſpondens: *joculare iſtud Pomponi inquit & à multis ſæpe deriſum; ſed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum.* Ridiculum autem illud in Gellio erat quod putaret, uti lites, ita & controverſias Philoſophorum, honoraria arbitri opera diſceptari & componi poſſe. Ita *Antiochus* quidam, quem Cicero in Bruto Philoſophum prudentiſſimum appellat & cum eo ſe ſex in Philoſophia menſes conſumſiſſe ſcribit, relicta nova Academia, cum in veterem remigraſſet, edidit librum de Peripateticorum & Stoicorum concordia, in quo oſtendere volebat eos re convenire, verbis diſcrepare, ut narrat *Cicero* lib. 1. de Natura Deorum

& lib. 1. de Legg. Superiori ſeculo *Ioh.* Picus in celeberrimis illis xc. theſibus etiam hanc habebat: *Nullum eſſe quæſitum naturale aut divinum, in quo Ariſtoteles & Plato ſenſu & re non conveniant, licet verbis diſſentiant.* Quod an præſtare potuerit, valde dubitatur. Sane *Paulus* Scalichius de Lyka, qui hanc theſin nullo negotio ſe demonſtraturum gloriabatur, nihil egit. Noſtra ætate R. *Goclenius* edidit conciliatorem Philoſophicum in quo pugnantes variorum Philoſophorum ſententias conciliare ſtudebat. *Michaël* etiam Piccartus edidit orationem de infelici diſſidio in Philoſophia & ejus medicinâ.

HISTO-

HISTORIA PHILOSOPHICA

SIVE

DE

SAPIENTIA VETERVM.

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

Varia Philoſophorum nomina. Sophiſtæ. Prophetæ. Epimenides. Sapientes. Technici. Doctores. Profeſſores. Præceptores. Magiſtri. Rabbini. Cuſtodes. Reges. Sectatores. Auditores. Scholaſtici. Studentes. Sectæ. diſciplinæ. Familiæ. Cohortes. Viæ. Multitudo ſectatorum.

Maxima res effecta viri: timor omnis abeſto,
Quod ſuperet hæc ſunt ſpolia.

ITa enim cum Marone laboris tædium vitare non inſubidum duximus. Legamus autem nunc ſpolia, & ſi quæ nobis hactenus indicta, omiſſa abierunt. De nominibus Philoſophorum illud monendum eſt, ea omni ævo varia fuiſſe. Expoſuimus quædam prolixius. Nunc eorum velut faſciculum dabimus. *Magos* vocarunt Perſæ & populi illis contermini Græci σοφȣ̀ς & φιλοσόφȣς, Indi *Brachmanas* & *Gymnoſophiſtas*, Ægyptii *Hierophantas* ac *Sacerdotes*, Romani *haruſpi-*

Digitized by Google

ces, Hariolos, Augures, Germani *Bardos*, Celtæ & Galli *Druidas* ac *Semnotheos,* Siculi *Galeotas*. Antiqua etiam appellatio *Sophiſtarum* fuit. Ita enim non Sapientes tantum, ſed & Poëtæ indigitati ſunt. Quod *Cratini* authoritate in Archilocho, qui Homerum & Heſiodum admiratus eos Sophiſtas vocat, *Laërtius* lib. 1. oſtendit. Unde olim in maximo honore vox; etiam iis qui Gymnoſophiſtæ vocantur, indita. Mox tamen, ut ipſi Philoſophi, ita & vox à priſtina authoritate degeneravit. Nam tributa eſt iis qui oſtentationibus ſuis & nugis magna congerie verborum exornatis ſe popello venditabant. *Cicero* 1. Acad. *Sophiſtæ appellantur, qui oſtentationis aut quæſtus cauſa Philoſophantur.* Clarius *Ariſtoteles* & magis ad rem 1. Soph. Elench. ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας ἀλλ᾽ οὐκ οὔσης. Et hoc ſignificatum etiam apud Hebræos חכם ſumtum eſt. De Pharaone cap. 1. Exodi quod ad ſuos dixerit הבה נתחכמה לו quod Interpretes vertunt. *Munſt. Eja callide agamus contra eum.* Junius: *Agedum ſapienter nos feramus adverſum illum.* Sed Stephanus Act. 7. 19. optime explicat his verbis: οὗτος κατασοφισάμενος γένος ἡμῶν. Syrus: *Hic ſe compoſuit adverſus cognationem noſtram.* Interdum tamen ita vocati, qui retenta priſca Philoſophia, nimium tamen ſtilo exornando impendebant *Auguſt.* lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 31. *Sermo non captioſus ſed tamen abundantius quam gravitatem decuit verborum ornamenta ſectans, Sophiſticus dicitur.* Quo ſenſu *Hieronymus* in Epiſt. ad Paulin. *Sophiſtas verboſos* vocat. Idque exinde factum quod juxta Philoſophiam & artes dicendi, quæ uno nomine Κριτικὴ vocantur ſive φιλολογία, coluerint. Quod cum antiquiſſimi fecerint, mox tamen ille mos exolevit & demum à Platone, Ariſtotele & aliis revocatus, tandem etiam ab iis qui Sophiſtæ dicti ſunt excultus eſt. *Gellius* l 17. c. 5. *Rhetoricus quidam Sophiſta:* quem mox ut ſubtiliter Philoſophantem & aliorum

σοφίσματα

σοφίσματα refellentem introducit. Quales Sophiſtæ præcipuè ſub Imperatoribus florebant: quorum vitam *Eunapius* Sardianus copioſè deſcripſit. Ex quibus & *Prohæreſius* fuit, cui *Eunapius* teſtatur ſtatuam æream erectam cum hac inſcriptione:

REGINA RERUM ROMA REGI ELOQUENTIÆ.

De quibus etiam *Iuvenalis* Sat. 7.

Et plures conclamant uno ore Sophiſtæ

PROPHETARUM quoque appellatio à nobis prætcrita eſt. Ita vero antiquiſſimis in Oriente temporibus Philoſophi dicti ſunt, alias נביאים; quod internuncii Deorum eſſent & futura prædicerent: qui antiquiſſimus Theologorum docendi mos. Paulus etiam cum de Epimenide Cretenſe Philoſopho ageret Tit. 1. ỳſ. 12. cum προφήτην vocat: de quo *Laërtius* docet: Κρῆτες αὐτὸν θύουσιν ὡς θεῷ. φασὶ γὰρ καὶ γνωστικώτατον γεγονέναι. Quem & *Apuleius* in floridis *fatidicum* vocat. Sed tamen *Lamb.* Danæus lib. 2. Eth. Chriſt. cap. 16. Paulum non de Epimenide, quæ communis ſententia eſt, ſed de Callimacho loqui putat. Quod tamen minus cum textu conſentit. Latini plerumque Sapientis & Sapientiæ nomine uſi ſunt. Horat. 1. Serm. 4. SAPIENS *vitatu quidve petitu ſit opus.* Quæ vox ſequiori ſeculo ad ipſius artis & ſapientiæ Gymnaſia traducta eſt & ſectas: ut Romæ, Senis, Peruſiæ. Quo exemplo & Heidelbergenſe Athenæum inſtitutum eſt. Nam *Fridericus* II. Elector monaſterium Paulinum vertit in Collegium ſtudioſorum, quod à Paulo III. ad Collegii Romani exemplum, *Collegium Sapientiæ* dictum eſt. A. C. 1555. 3. Non. Sept. Erat quoddam genus argutulorum & minutorum doctorum qui τεχνικοὶ vocabantur. Hi Philoſophiæ artem per præcepta & libellos exiguos ac exuccos ſe tradere profitebantur. Meminit eorum *Gellius l.* 17. c. 5. *Rhetoricus quidam Sophiſta, ex iſtis argutis & minutis doctoribus qui* τεχνικοὶ *appellan-*

appellantur, atque diſſerendo tamen non impigri. Quintil. lib. 2. c. 14. *nolo ſe juvenes ſatis inſtructos, ſi quem ex his qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerunt, & velut decretis technicorum tutos putent.* Neque infrequens Doctorum, Profeſſorum, Magiſtrorum mentio. *Doctoris* perhonorifica appellatio erat, nec niſi inſignibus viris competebat. *Gell.* lib. 13. cap. 21. *T. Caſtritus Rhetoricæ diſciplinæ Doctor.* l. 18. c. 2. *qui eaſdem auditiones eoſdemque Doctores colebamus. Perſius* Sat. 6.

Sed Beſtius urget, Doctores Grajos.

Profeſſorum recentior appellatio. *Quintil.* lib. 2. cap. XI. *Geometriæ, Grammatices cæterarumque artium Profeſſores. Præceptores* à præcipiendo ſive docendo dicti ſunt. Ita enim vox præcipere ſumitur. *Quintil.* l. 3. c. 1. *pomeridianis Scholis Ariſtoteles præcipere artem Oratoriam cœpit.* Quod ortum videtur à priſco Philoſophorum more, qui diſcipulos ita docebant ut ſimul præciperent. Unde exortæ ſunt illæ ſerviles voces, αὐτὸς ἔφα & *Dixit, juſſit,* de quibus infra pluribus. In quo ſignificatu vox præceptoris à *Gellio* lib. 1. c. 13. uſurpatur ut inquit: *Si tali Præceptori ratio reddenda ſit, nihil faciendum eſſe monuerunt aliter quam præceptum eſt.* Poſtremis ſeculis vox ad Grammaticos & Ludimagiſtros tranſlata eſt quorum officium explicat *Horatius* Sat. 7.

——— *Vos ſævas imponite leges*
Ut Præceptori verborum regula conſtet
Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes
Tanquam ungues digitoſque ſuos: ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque novercæ
Archemori: dicat quot Aceſtes vixerit annos
Quot Siculi Phrygiis vini donaverit urnas
Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat.
Ut ſi quis cera vultum facit

Cele-

Celebrius erat nomen *Magiſtri. Gell.* lib. 1. c. 2. *Cum apud Magiſtros Athenis eſſemus.* & l. 20. c. 4. *Ariſtoteles Regis Alexandri Magiſter.* Unde & *Magiſterium. Gell. lib.* 13. c. 5. *Ariſtotelem ſectatur & ejus obſervantes ut ipſum deligeret loci ſui & Magiſterii ſucceſſorem, quo poſt ſummum ejus diem perinde ut ipſo uterentur.* Ebræis frequentiſſima vox erat רב & רבי: ita enim ipſi ſuos Doctores appellabant ob multam, quam habent vel habere debent eruditionem. Obſervant nonnulli titulum רב iis fuiſſe attributum qui in Babylonicis Academiis Magiſterium conſequebantur: רבי autem iis qui in regione Iſraël per impoſitionem manuum ſapientes eſſent declarati: titulum denique רבני peculiarem fuiſſe Sapientibus domus David. *Beza* ad cap. 23. *Matth.* ℣ſ. 7. *Syris Ribbon vocabatur vel Rabboni, quod Iohannes* c. 20. ℣ſ. 16. *διδάσκαλον interpretatur: Lucas autem ἐπιστάτην* c. 5. ℣ſ. 5. *vocat eum qui apud Danielem* c. 2. ℣ſ. 48. *eſt* רב. Tempore Chriſti titulus hic nonniſi oſtentationis vanæ argumentum erat. Unde toties à Chriſto & Apoſtolis rejectus eſt. Modeſtius illi qui ſe תלמידי חכמה licet alios docerent, humilitatis cauſa, vocarunt; uti Philoſophi pro Sophis dicti ſunt. *L'Empereur* Notis ad Benjamin. Hodie rurſus ambitioni ſtudent. Titulum Rabbini favore & pecunia emunt, de quo vide *Munſterum* ad c. 21. *Geneſ.* Hos Scholaſtici barbaro ſeculo æmulati ſunt: qui non niſi *Magiſter noſter* blandè appellari poterant. Quo nomine valde ſub initio renaſcentis literaturæ ab Eraſmo, Reuchlino & aliis exagitati ſunt. *Cuſtos* quoque frequens apud Romanos nomen: denotabat eos qui regendæ pueritiæ præfecti erant. *Virgil.* l. 9. *Cuſtodem juveni.* & l. 5.

Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubis Iuli
Æpytidem vocat.

Horat. 1. Sat. Serm. 4. *Dum Cuſtodis eges.* & in arte,

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto

Plaut. Merc. 1. 1. *Servum unà mittit qui olim à puero parvulo mihi Pædagogus fuerat, quaſi ut mihi foret cuſtos.* Alio nomine ab *Horatio* etiam *Reges* dicuntur. *Carm.* 1. Od. 36.

——— *Memor*

Actæ non alio Rege puertiæ

G. *Gabricius* in illum locum: *Regem puertiæ intelligo morum Magiſtrum. Qui aliter exponunt, nimis exponunt Paraſiticè.* Hæc ille. Tales propriè à Græcis παιδόνακτες, ut ab Heſychio dicuntur. Vide *Heinſ.* ad l. 1. Carm. *Horat.* Od. 36. v. 8. Nomina autem diſcipulorum ſive ſtudioſorum Philoſophiæ hæc occurrunt. Vocantur enim *ſectatores*, quia certam quandam αἵρεσιν ſequuntur. *Gell.* lib. 1. c. 2. *Erat ibi nobiſcum adoleſcens, Philoſophiæ ſectator.* & c. 9. *novi tres Philoſophorum ſectatores.* Eadem vox occurrit l. 2. c. 2. l. 3. c. 1. l. 10. c. 19. l. 18. c. 10. Eos *Quintilianus* etiam *ſequentes* vocat lib. 2. Inſt. cap. 23. *plurimi autores, quamvis eodem tenderent diverſas tamen vias muniverunt, atque in ſuam quiſque induxit ſequentes.* & l. 5. c. 7. *Inter Stoicos & Epicuri ſectam ſecutos perpetua eſt pugna.* Auditores. *Gell.* lib. 12. c. 1. *nunciatum eſt Phavorino uxorem auditoris ſectatoriſque enixam.* Poſterioribus ſeculis etiam *Scholaſtici* vox obtinuit, quæ tamen fere in contemtu erat, donec eam ſibi Doctores Philoſophiæ & Theologiæ vendicarent. Olim declamatorum erat & Sophiſtarum ut ex *Petronio* & aliis patet. *Quintil.* l. 4. c. 2. *In Scholaſticis quoque nonnunquam evenit ut pro narratione ſit propoſitio.* & l. 12. c. 11. *in foro nos experiri potuimus dum Scholaſtici ſumus.* Et *Plinius* in epiſtolis ſcribit: *Homine Scholaſtico nihil eſt ſimplicius.* *Ciceroni* tamen *homo de Schola* eſt optimè inſtitutus ac eruditus. *Orat.* in Piſ. Unde Oratores diſerti *Scholaſtici* vocantur à *Beda* de arte Metrica, *Gennadio* in vita Juliani Capuani: *Sidon.* l. 16. ep. 17. Hodie vulgata vox eſt *ſtudentes.* Ita enim vocantur qui depoſito Tyrocinio, in Academiis operam

dant

dant literis, olim quoque in uſu erat. *Iſidorus* in Gloſſis: *Pappas, Pædagogus qui ſequitur ſtudentes. Quintil.* l. 1. Inſt. cap. 2. *Vtilius ne ſit domi atque intra privatos parietes ſtudentes continere.* Ita enim vox *ſtudeo* uſurpata antiquis. *Apul.* lib. 2. de Phil. Morali. *Virtutes eas doceri & ſtuderi poſſe arbitratur. Quintil.* l. 6. Inſt. præfat. *Quis enim mihi bonus parens ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſſim?* Et *ſtudia* pro honeſtis diſciplinis ponuntur. *Cæcilius* apud Minucium in Octavio vocat *ſtudiorum rudes* eos qui literarum profani expertes artium niſi ſordidarum ſunt. Sectæ autem ipſæ dictæ etiam ſunt *diſciplinæ. Terentius* Eunuch. Act. 1. ſc. 11. *Tanquam Philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis vocabula.* Ubi non opus eſt diſciplinas pro diſcipulis accipere. *Gell.* l. 1. c. 2. *Philoſophiæ ſectator, diſciplinæ ut ipſe dicebat Stoicæ.* Quo ſenſu vocem uſurpat eodem. l. c. 8. c. 9. l. 2. c. 16. & 21. l. 12. c. 5. l. 19. c. 1. *Apulejus* l. 4. Meth. *de latronibus ex diſciplina ſecta. Lactant.* l. 2. c. 9 *principes omnis diſciplinæ:* & mox de Epicuro: *ut nomini ſuo conſtitueret diſciplinam.* Familiæ. *Gell.* l. 1. c. 9. *Cic.* 1. de Legg. *valde à Platonis familia diſcreparet. Apul.* 1. de Philoſ. *Heraclitum, Pythagoram, Socratem, principes ſuarum familiarum vocat.* Apoſt. *Platonica familia.* Quam vocem primitus Pythagoricis tributam putant qui κοινόβιον habebant in familia Pythagoræ. Cohors. *Gell.* l. 2. c. 18. *ex cohorte Socratica.* & l. 1. c. 9. l. 13. c. 5. ipſæ autem *ſectæ* à *ſecor*, quod idem eſt ac teneo, dictæ ſunt. *Quintil.* l. 3. c. 1. *hinc velut diverſæ ſecari cœperunt viæ. Virgil.* l. 10. *quam quiſquam ſecat ſpem.* Unde *ſector* pro *ſectator. Lucan.* l. 1. *ſectorque favoris ipſe ſui populus.* Etiam *via* vocabulum hac in re uſitatum. Apud *Terent.* Eunuch. Act. 2. ſc. 2. Gnatho: *ego adeo hanc primus inveni viam. Propert.* l. 2. el. 34.

Quid tua Socraticis tibi nunc Sapientia libris
Proderit aut rerum dicere poſſe vias.

Vias, id eſt, cauſas ſive ſectarum opiniones. Græcis etiam

Helleniſtis ὁδὸς pro αἱρέσεως ſumitur Act. 9. 2. c. 24. 14. *Claudianus* l. 1. in Ruff

—— cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius vacuo qui currere ſemina motu.

Iuven. Sat. 14.

—— juvenes ſectatur, ut illam
Ire viam pergant & eidem incumbere ſectæ.

Habebant autem priſci Philoſophi ſectatores non adeo multos. Si ducenti, ſi trecenti, in auditorio conſpicerentur, bene cum ipſis actum putabatur. Pythagoras non multos habuit. *Iuſt.* l. 18. Theophraſt. duo millia.

CAP. II.

Ratio propagandi Philoſophiam. Memoria mater ſapientiæ. Mundus Bibliotheca. Scriptura à quo reperta. Sethi columnæ. Saxa antiquiſſimi libri. Repertores literarum. Taautus & Salomo antiquiſſimi Philoſophiæ ſcriptores. Apud Græcos primus ſcripſit Homerus. Literæ Græcæ ab Actimo repertæ, à Cadmo inſtauratæ. Bibliothecæ. Gothicarum literarum author Vlphila. Pythagoræi initio ſola traditione utebantur. Deinde ſcriptis.

NUnc de propagandi ſapientiam ratione agendum eſt, de qua antiquiſſimis etiam temporibus quæſitum legimus. Quidam enim memoriæ nimium fidentes, cenſebant ſupervacaneam eſſe per literarum monumenta propagandi rationem: ſola utendum παραδόσει qua non memoriæ tantùm robur, ſed & Sapientiæ Majeſtas accederet. Hac in ſententia Thamus eſt, univerſæ Ægypti Rex, in nobili illa cum *Theut* inventore literarum diſputatione, quam Platonis *Phædrus* & *Timæus* poſteritati narrat. Neque alio reſpexerunt Græci, dum Muſarum Matrem ſtatuunt eſſe *μνημοσύνην*, quam Latini à Monendo, eleganter *monetam* dixerunt. Voſſius adeundus ad l. 2. de Anal. c. 3. Idem Druydes volebant & obſervabant. *Cæſar* l. 6. de B. G. *Seneca* epiſt.

epiſtol. 88. *Quintil.* lib. 1. c. 2. & lib. 12. c. 2. Antiſthenes adoleſcenti conquerenti amiſſos commentarios: *oportebat*, inquit, *iſta potius animo quam chartis ſcribere. Auguſt.* l. 1. de doctrina Chriſtiana & *Niceph.* l. 8. c. 40. referunt Antonium Eremitam à Philoſopho interrogatum: quomodo res ſublimes contemplaretur, quum nullos libros haberet: reſpondiſſe: *Univerſum hunc mundi librum ſibi Bibliothecæ loco eſſe, hanc omni tempore & ubivis, homini præſto eſſe.* Contra verò alii erant, qui quanquam non omnino improbarent quæ ab adverſa parte dicerentur, tamen propter varios caſus, quibus genus humanum ſæpius circumvenitur, poſteritati alia quoque ratione conſulendum eſſe putarunt. Horum ut ex *Ioſepho* conſtat, familiam duxit Sethus. Qui ſcribendi mirabile artificium, vel ipſus invenit, vel à patre inventum jam & conſtitutum accepit. In qua ſententia multi ſunt, de quibus vide *Voſſ.* lib. 1. Gram. c. 9. Prima literarum mentio in Sethi tempora incidit, qui memor vaticinii paterni Univerſalem rerum interitum prædicentis, unum diluvio; alterum incendio, cum inſignia Aſtrologiæ inventa nollet extingui, de monumento, cui hæc myſteria concrederet, cogitavit. Tandem viſum artes & diſciplinas duabus magnis lateritiis columnis incidere, quo ab interitu vindicarentur. Neque vanam eſſe traditionem, facit, tum authoritas Joſephi, tum *αὐτοψία*: quippe unam harum columnarum ſuo adhuc tempore in Syria extitiſſe & à ſe viſam, teſtatur. De quibus etiam elegantiſſimè & dulciſſimè ſcribit lumen Poëtarum noſtri ſeculi *Guilh.* Bartaſius, part. 2. Hebd. l. 4. toto: & cum plurimæ artes jam ante diluvium fuerint inventæ: quidni etiam ſcribendi tam neceſſarium in hac naturæ infirmitate artificium? *Voſſius* quoque putat literas Ebræorum antiquas ſive Chananæas, non à Moſe aut Abrahamo repertas, ſed jam ante diluvium fuiſſe. lib. 1. Gram. c. 9. Antiquiſſimum vero

hunc morem fuiſſe literas ſaxis incidendi, teſtis eſt *Iamblichus* qui lib. 1. de myſteriis Ægyptorum. c. 2. ſcribit *Ægyptios columnis lapideis libros ſuos inſculpſiſſe.* Meminit ejus etiam *Iob.* c. XIX. 23. *ô ſi quis daret ut ſcriberentur ſermones mei: ô ſi quis daret ut in libro exſculperentur.* Vetus Interpres: *Quis mihi det ut exarentur in libro ſtilo ferreo & plumbi lamina vel celte ſculpantur in ſilice.* Quæ vox in ſacris valdè proba: & in vetuſta Sextii Paraſiti apud Salonem Dalmatiæ urbem inſcriptione inter alia extat: *malleolo & celte literatus ſilex.* Circa Moſis tempora literas & quidem Ebræas fuiſſe indubitatum eſt. Qui primus hominum vetuſtiſſimorum Ebræorum vitas conſcribens, civilem atque activum vivendi modum narratione hiſtorica docuit. *Euſeb.* lib. XI. πρoπ. cap. 2. Niſi tamen cum *Voſſio* l. 1. Gram. c. 9. Judaicas dicere malis, de quo ſunt verſus apud *Crinitum* l. 17. de Hon. diſc. cap. 1.

Primus Ebraas Moſes exaravit literas

Qui verſus etiam Abrahamo inventionem Syrarum & Chaldaicarum adſcribunt:

Abraham Syras & idem repperit Chaldaicas.

De quo tamen toto negotio, quia pleraque conjecturis nituntur, nihil addimus. Adi ſi videtur *Voſſium* lib. 1. Gramm. c. 9. Quanquam autem literæ priſcis illis Sapientibus non defuerint, tamen vel nihil vel parum iis concrediderunt, contenti diſciplinas continuis traditionibus, quibus præſertim in Oriente, magnus honos, inter ſuos propagare. Taautum tamen Philoſophiam ſcriptis propagaſſe ferunt: Cujus librorum meminit *Sanchoniatho* de Phœnicia Theologia his verbis apud *Euſeb.* l. 1. c. 7. *Hæc in libris Taauti de Origine mundi conſcripta reperimus.* vide ſupra l. 2. c. 6. Neque certa indicia ſunt ante Salomonem quicquam ea in re literis mandatum: qui primus ſubtiliſſimam Philoſophiam poſteritati literis conſecravit, de quo ſupra l. 2. c. 13.

l. 2. c. 13. Inde Græci cœperunt id velut proprium ſibi vendicare ſcribendi munus. Phœnices enim qui cum Cadmo advenerunt, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxiſſe, tum vero literas, *Herodotus* lib. 1. author eſt. Sed *Diodorus* etiam ante Cadmum literas in Græcia fuiſſe demonſtrat. *Cum*, inquit, *Artimus Solis filius in Ægyptum tranſiens Aſtrologiam Ægyptios docuiſſet, demum Græcia diluvio oppreſſa, plurimos periiſſe & literarum monumenta deleta eſſe: poſt multa ſecula Cadmum putatum earum inventorem.* Idem l. 6. inquit, *Muſis à Patre Iove conceſſam eſſe literarum inventionem & Carminum quæ Poëſis, &c. Ioſephus* tamen ante Homerum nihil conſcriptum putat de quo vide ſuprà l. 3. c. 8. Quod cœptum ab Homero dici vix poteſt quantum creverit. Quæſtio autem vexata eſt: an Trojani belli temporibus literis uſi? vide *Euſebium* l. 10. προπαρ. c. 2. *Ioſeph.* contra Apion. Tradunt autem ipſi primum *Anaxagoram* de rebus naturalibus commentatum eſſe. Alii *Thaleti* hoc tribuunt, ſed omnium primi fuerunt *Pherecydes*, *Pythagoras* & *Thales* qui de cœleſtibus atque divinis rebus pauca ſcripſerunt teſte *Euſeb.* l. 10. προπαρ. c. 2. Certe mox omnia chartis ſuis, velut quodam diluvio, inundarunt. *Ariſtotelem* ſupra ccc. libros Logicos, ſcripſiſſe volunt. Cæteri plerique hoc agebant, ut ne alicui cederent. Quibus temporibus etiam inſignes in Græcia Bibliothecæ conditæ ſunt. At illam quæ Athenis erat Xerxes ſecum in Perſidem aſportavit, teſte *Gellio* l. 6.. c. 17. Et ipſa Scriptura *Eſd.* VI. 1. meminit Bibliothecæ Regis Perſarum quam vocat בית ספריא quod Munſterus *Bibliothecam*, Junius *Chartophylacium* vertit. *Alexander* Magnus quoque talem Alexandriæ condidit. Ut nihil dicam de *Attalo* Pergami Rege & *Ptolemæo* Ægyptio. Tandem & Latinos cepit ſcribendi cacoëthes. Germani autem, Galli, præſertim Septentrionis incolæ, ſerò admodum ad ſcribendum animum

mum applicarunt. Nam Gothi Scandinaviæ incolæ literas demum acceperunt. A. Ch. CCCLXX. ab *Vlphila* ſive *Gulfila*, Epiſcopo. *Ioh.* & *Olaus* ajunt, *Scandinaviæ incolas habuiſſe ſuas literas ante repertas Latinas.* Quod fabuloſum eſt. Thraces quamquam apud eos Philoſophia orta videatur, tamen necdum literas Æliani ævo noverant. vide ſupra l. 3. c. 8. de Orpheo. De Pythagoræis *Plutarchus* tradit quod ſola traditione & memoriæ ſubſidio Philoſophiam ſuam propagarint, myſteria literis mortuis concredere nefas judicantes: neque ulla ſuæ diſciplinæ præcepta ſcriptis mandaſſe. Idem Beſſarion habet lib. 2. adv. Calum. Platon. cap. 2. *Agell.* lib. 1. c. 9. hoc tantùm iis fuiſſe vetitum qui ἀκουστικοὶ dicebantur tradit: μαθηματικοὺς autem & verba facere & quærere quæque audiiſſent ſcribere, & quæ ipſi opinârentur expromere, poteſtatem habuiſſe. Atque ut Pythagoras nimiæ ſcriptioni metas poneret, decretum fecit; ut cubicis rationibus præcepta in voluminibus ſcriberentur, conſtitueruntque cubum CCXVI. verſuum eoſque non plures quam tres in una conſcriptione oportere eſſe putaverunt. Verum non diuturna fuit hæc Lex. Nam paulò poſt etiam Pythagoræi nimiæ ſcriptioni indulſerunt. Ita *Agellius* lib. III. cap. 17. tradit: *Platonem tres Philolai Pythagorici libros* decem millibus denariûm emiſſe, quod & Timon in Σίλλοις ſcripſit. Et extat hodieque Ocelli Pythagorici liber περὶ παντὸς.

CAP. III.

Loca Philoſophandi. Vrbes. Babylon. Deſerta Arabiæ. Parnaſſus, Helicon. Athenæ. Academia, Lyceum. Qualis hodie Athenarum ſtatus. Iudæorum Academiæ. Chriſtianorum. Sub Impp. Philoſophatum in balneis & Baſilicis. Gymnaſii vox unde. Ornamenta Scholarum. Amoris ſtatua.

NUnc de Loco Philoſophandi dicendum eſt. Ante extructas urbes in montibus & ſpeluncis degebant Philoſophi,

loſophi, teſte *Euſebio* lib. 12. πραρ. c. 20. Deinde dubium non eſt, quin extructis Urbibus & Politiis conſtitutis, etiam ibi aliqua literis & Sapientiæ ſedes conſtituta fuerit, & ut primus Oriens humaniorem cultum admiſit, ita primus quoque ſapientiæ laude excelluit. Unde factum, ut antiqui ex Græcia & præſtantiſſimi Philoſophi eò tanquam ad Sapientiæ mercatum proficiſcerentur. Primus *Cain* memoratur Chanochiam ædificaſſe: *Nimrod* poſt diluvium plurimas extruxit, quæ Gen. x. recenſetur: quas inter clariſſima *Ninive* fuit: quam C. *Tacitus* lib. XII. Annal. *Aſſyriæ vetuſtiſſimam urbem* vocat. Inde condita *Babylone* ingens Sapientia domicilium invenit. Nam ante eam extructam in campis Senaar Philoſophia, præſertim Aſtrologia, exculta eſt. De quo prolixius jam egimus lib. 2. cap. 2. Babylonem mox occuparunt *Magi* tanquam propriam regni & Sapientiæ ſedem. Qui exinde *Babylonii* dicti ſunt. Priſci quoque Reges, quos ad faſtigium hujus Majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat, Sapientiam in Aulis ſuis & purpura colebant. Cæterum ab omni ævo plurimus honos atque etiam religio fontibus, lucis & nemoribus adſcriptus eſt. Magna enim ingenia & naturæ capacia delectantur umbris nemorum & gaudent fontibus. *Horat*. 1. Carm. 1.

—— me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt populo.

Et 2. ep. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

De Abrahamo legimus, quòd habitarit *in convallibus Mamre:* qui fuerunt tum multis arboribus conſiti. *Gen*. XIII. Idem juxta fontes *Beerſaba* plantavit ſibi lucos & amœna vireta. De Iſaaco diximus lib. II. cap. X. Inde *Ioſephus* in Aula & Scholis Ægyptiorum Sapientiam ſplendidè exco-

luit. Quo tempore Sapientia non alibi quam in templis Deorum & ſacris locis excolebatur. Quippe ejus cultores *Theologi* & *Sacerdotes* ideo dicti ſunt. Unde *Cæſar* apud Luc. lib. x. ad Achorea Sacerdotes Ægypti:

—— *quodcunque vetuſtis*
Inſculptum eſt adytis profer.

Quod poſtea & à Moſe factum eſt. Quem cum metu Tyranni Ægyptii ejectus eſſet aula, in deſertis Madianiticis ſive Arabiæ XL. annos Philoſophatum eſſe, *Euſebius* in Chronico ſcribit. Certum enim eſt eum illa Sapientiæ ſemina in Ægypto jacta non paſſum otio torpere; ſed excoluiſſe ſpeculationibus & piis & eruditis rerum naturalium, idque in campis *Taniticis* factum eſſe, ex *Pſ.* 78:12. apparet, ubi etiam lapidatum & ſepultum fuiſſe *Ieremiam* teſtatur Hieronymus. Poſtea Memphis præcipua ſedes Philoſophorum Ægypti erat: quos ideo *Hieron.* prologo in Biblia, *Memphiticos vates* nominat. Populo jam in Judæum introducto, oppida Levitarum ſingulæ Scholæ fuerunt. Celebrantur etiam *Ramatha* Gileadi & *Samaria:* quibus *Ieruſalem* acceſſit, propria & celeberrima ſapientiæ ſub Salomone ſedes. In Græciam verò poſt diluvii tempora quidam ex poſteris Japheti cum veniſſent, ductore vel Jàpheto vel Eliſa ejus filio, conſederunt ad radices montium Parnaſſi & Heliconis. De Parnaſſo diximus ſupra. *Helicon* unde dictus ſit dubitatur. In eo tamen plerique conveniunt originem ejus ex ipſo Oriente petendam eſſe. Iſ. *Caſaub.* deducit ab הלך quòd eo loci ad cultum ſive numinis, ſive Sapientiæ convenerint. Alii à חלק quòd fuerit locus deliciarum plenus. Potius dictus videtur à היכל quod ibi ſive templum ſive ſedes Muſarum à Cadmo conſtituta fuerit. Fr. *Iunius* cap. 1. de Acad. Cadmus montem Helyconem effecit celebrem, qui vulgo non ſive vitio ſcribitur Helicon. Putarim ad originem quam dedimus anti-

quos

quos reſpexiſſe hoc commento ſuo. Nam ſuperſtitio eorum erat, qui montem Heliconem aut vicinum Parnaſſum conſcendiſſent, vel in eo ſomniaſſent, repente Poëtas prodire. Cui Heſiodus anſam præbuit, qui aſſerit ſe ideo factum Poëtam quòd oves in Helicone paviſſet. Quo reſpicit A. Perſius:

Nec fonte labra prolui Caballino
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem

Apollinis, id eſt, Philoſophiæ priſcæ loca, memorantur ab antiquis Cynthus, Delos, Cyrrha, Claros, Delphi, Chryſa. Minervæ hæc loca: Libethris, Hippocrene, Aganippe & Sebethus fontes. Inde Sicilia, Aonia ſeu Boëtia, Pimpla, Theſpiæ. Tandem priſci Rerumpubl. conditores, defenſores & Legiſlatores eam in celeberrimas urbes ex agro & montibus horridis vocarunt. Cadmus enim Thebas ſuas *Cadmeâ*, celeberrimo ſapientiæ domicilio, unde poſtea Academiæ appellatio fluxit, exornavit. De quo videri poteſt Fr. *Junius* libro de Academia doctiſſimo. Mox tamen *Athenæ* omnis ſapientiæ decus ſibi vindicarunt. *Quintil.* l. 3. c. 9. *Minus Lacedæmoniæ ſtudia literarum quàm Athenis honoris merebuntur*. Quas à Minervæ nomine, ita dictas recte quidem antiqui judicabant, unde verò illud Minervæ, nemo vidit: nam Græci plane ridiculos ſe præbent. Diximus ſupra, Palladem ſapientiæ & omnis eruditionis Deam priſcis fuiſſe. Quam & Muſarum comitem fingebant Mythici. Non alia fini, niſi quod eam cum Muſis, ex ipſo Oriente, à Cadmo allatam ſcirent. Chaldæis תנא eſt diſcere aut ſtudere. Unde אתנה cum articulo האתנה eruditio, diſciplina, idem ſanè quod אתנה. Quod eſt ipſiſſimum Græcorum Ἀθηνᾶ: ipſiſſimum etiam Athenarum nomen. Non eſt igitur dubium quin ab initio ſtatim Athenæ ſedes omnis eruditæ ſa-

Digitized by Google

pientiæ fuerint. Quas ideo *doctas* dixerunt Poëtæ. *Phyllis* Demophoonti,

Atque aliquis doctas jam nunc eat, inquit, Athenas,

Prop. l 3. el. 20. *Magnum iter, ad doctas proficiſci cogor Athenas.* Unde & illa nomina plena laudis, plena gloriæ nata ſunt. *Thucydidi* dictæ ſunt παίδευσις Ἑλλάδος: *Diodoro* κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον: *Straboni* σοφῶν οἰκητήριον: *Ariſtidi* σοφίας πρυτανεῖον: *Euripidi* apud Athenæum Ἑλλάδος ἕλλας De quibus imprimis ſplendidè *Iſocrates* in Panegyrico: ἡ πόλις ἡμῶν τῶν ἑλλήνων ὄνομα πεποίηκε, μηκέτι τοῦ γένους ἀλλὰ τῆς διανοίας τεκμήριον εἶναι, καὶ μᾶλλον ἕλληνας καλεῖσθαι τοὺς τῆς παιδεύσεως τῆς ἡμετέρας ἢ τοὺς τῆς κοινῆς φύσεως μετέχοντας. Eò mittebantur ex omnibus orbis partibus reges regumque filii. *Iuſtin* l 17 de Arryba Epiri Rege: *Athenas erudiendi gratia miſſus quantò doctior majoribus ſuis, tantò & gratior populo fuit.* Unde *Græcus* antiquis idem quod Philoſophus. *Horat.* 2. Serm Sat. 5. *Græcus Ariſtippus:* ubi G. *Fabricius: quomodo ait Græcus, cum ex Lybia fuerit? Ipſe non de patria ſed de inſtitutis loquitur. Iuſtinus* l. 8. Athenienſes vocat *ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus inſtitutiſque formata. Apul* lib. 10. Mileſ. *apud legiferos Athenienſes & catos illos & omnis ſcientiæ Magiſtros.* Proximum Athenis locum *Corinthus* tenebat, *quam lumen Græciæ* Cicero, Ἑλλάδος ἄστρον vetus Epigramma vocat. Cæterùm cum jam Græciam illæ ſectæ occupaſſent, duo præcipuè Gymnaſia Athenis celebrabantur, *Academia* & *Lyceum:* illud Platoni, hoc Ariſtoteli dicatum. De Academia prolixè egit Doctiſſ. *Iunius* libro ſæpius laudato. A *Cadmo* nomen accepit non ab *Academo* vel *Hecademo* Heroë, quod Græci putant. Erat ædificium nobile, amplum, amœnum, multis arboribus conſitum, quæ ſolem arcentes, umbram præbebant. Ambulationes & ſpatia (quorum priori *Plinius*, altero *Cicero* in hac re utitur ampla, recipiebant omnis ge-

neris

neri auditores; qui inambulantes molliter, de variis rebus non jucunda tantum, ſed & gravia colloquia miſcebant. *Cicero* in Oratore: *fateor me Oratorem non ex Rhetorum officinâ, ſed ex Academiæ ſpaciis extitiſſe.* & l. 1. de Legg. *Quin igitur ad illa ſpacia noſtra ſedeſque pergimus.* *Plinius*: *Celebratæ ſunt primùm in ambulatione Academiæ.* De his ambulationibus etiam *Horat.* 2. ep. 2. agit his verbis:

Adjecere bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſylvas Academi quærere verum.

Timon in Sillis: οὐδ᾽ ἑκαδήμου, δένδρε᾽ ἐφεζόμενοι ὅπα λειριόεσσαν ἱεῖσι. Qui verſus ex ιλ. 3. ſumti ſunt. In Acropoli ſive arcâ Palladis oleæ quas μορίας vocabant (earum enim oleum viritim populo diſtributum) fuerunt natæ de illa olea quam in certamine cum Neptuno Pallas edidit, & ex quarum oleo his qui Panathenæa vicerant, præmium donabatur. Eæ oleæ poſtmodum ex Acropoli in Academiam, tanquam propriam Athenarum ſedem, tranſlatæ ſunt. *Ariſtoph.* ἀλλ᾽ εἰς Ἀκαδημίαν καλεὼν ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις. *Lyceum* autem neque à λύκῃ, neque à *labaka*, ut *Iunius* vult, ſed ab antiqua voce, quæ quanquam nobis nota non ſit, certum tamen eſt in de *Lucus* deſcendiſſe. Ita enim vocabant Sylvas incæduas, Diis ſacratas. *Plin.* de arboribus: *Hæc fuere numinum templa: lucos & in iis ſilentia ipſa adoramus.* Quos antiqui etiam in urbibus habebant. *Turneb.* ad l. 2. de Legg. Luci autem primitus Soli ſacrabantur, qui eo ipſo λύκος dictus eſt, quod Græci à λύκη *lux* derivant, inde etiam, uti volunt, λυκάβας, i. e. ἐνιαυτὸς dictus eſt. Notum etiam antiquos plerumque loca amœna, viridi arborum coma inumbrata, ſtudio ſapientiæ delegiſſe. Unde à lucus Lycéum deduci potuit. Hoc Lycéum *Ariſtoteles* ſibi delegit. Erant & alia loca Athenis Philoſophiæ ſacrata: ut *Stoa*, unde *Stoici* dicti ſunt. Erant autem

 nobiliſſi-

nobiliſſima ædificia & ubique celebrata Lyceum, Academia, Stoa. *Spartianus* in vita Hadriani teſtatur Æliæ Tiburtinæ (ita dicta Imp. villa) partes nomina & imaginem habuiſſe nobiliſſimorum totius Orbis locorum, Lycei, Academiæ, Pœciles, Prytanei, Tempe, Canopi & ſimilium. Epicurus Athenis in hortis ſuis Philoſophatus eſt, cujus exemplum ſectatores ſecuti, in hortulis, quos huic rei Epicurus teſtamento legaverat, diſputarunt. *Cicero: ſed tamen Epicuri hortus tantam habuit licentiam.* Iterum: *Democritus vir magnus cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit.* & paulo poſt *Atticus*, inquit, *Antiochus me ex noſtris penè convellit hortulis deduxitque in Academiam.* Atticus autem Epicureis addictus erat. *Propert.* lib. 3. el. 20. v. 25.

Illuc vel ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis docte Epicure tuis.

Hoc enim à Medicis hauſerunt qui tradunt ſalubritatem loci plurimum conferre ad acumen ingenii. Hinc *Cicero* 2. de N. D. *Atticos* ait *fuiſſe acutiores, propterea quia Athenis tenue erat cœlum & aër purior: ſtupidos contra Thebanos, quoniam habebant aërem craſſum & pinguem.* *Horat. Phæacum in patria craſſoque ſub aëre nati.* *Gell* l. 17. c. 8. *Erat iis puer genere Atticus, feſtiviſſimus ætatis & gentis argutiis ſcatens.* Idque hodie, quamvis Athenæ præ cæteris omnibus Græciæ civitatibus in barbariem declinarint, durat. De quo audiamus *Theodoſium* Zygomalam in epiſt. ubi cùm commendaſſet aëris temperiem & alias res, inquit, ἐξ ὧν συμβαίνει τοὺς νῦν Ἀθηναίους ἤδη βαρβαρωθέντας, φύσει μνήμονας καὶ εὐφώνους εἶναι: μέλεσι διαφόροις θέλγειν ὡς Σειρήνων μέλη τοὺς ἀκούοντας. Cæterum hodieque extat memoria & ut apparet, reliquiæ ædificiorum ejuſmodi Athenis. Neque enim illa urbs, ut putatur, à Turcis ita deſtructa eſt, ut præter caſas piſcatorias & mapalia quædam, nihil ſuperſit: ſed eſt hodieque celebris, populoſa & ingens, quanquam plane barbara: ut

ut videre eſt in l. de ſtatu Eccleſiarum hoc tempore in Græcia, Aſia, Africa, *Davidis* Chytræi. Teſtatur autem *Theodoſius* Zygomalas Protonotarius Eccleſ. Conſtantinop. in epiſtola ad M. Cruſium anno 1575. 15. April. Conſtantin. ſcripta; ſe, cum Nauplius ſit Peloponneſius, Athenas ſæpè & accuratè & curioſe omnia perluſtraſſe: Areopagum, Academias, Ariſtotelis Lyceum, Pantheon, & alia. Quanquam verò Athenæ reliquarum Scholarum famam omnem abſorpſerint, tamen per ſingulas urbes atque oppida Græciæ ſtudia artium excolebantur. Meminit *Mycaleſſi* Boëotiæ *Thucydides*, ubi in Schola pueri omnes à Thracibus Dacis duce Diotrephe, trucidati, quòd anno Belli Peloponneſiaci XIX. factum. Celebris erat etiam *Miletus* princeps Joniæ urbs, patria *Thaletis* Aſtrologi & *Timothei* Muſici & *Anaximandri* Phyſici aliorumque civium inclyta. P. *Mela* lib. 1. cap. XVII. Reliqua omnia ſapientiæ conſecrata loca enumerare nunc ſuperſedemus. Delectabantur Muſæ amœnis locis. Unde Ariſtoteles Lyceum amœno & ſalubri loco extruxit. Poëtæ etiam ſcribunt Parnaſſum & Heliconem eſſe amœniſſimos. *Eſſeni* Scholas ſuas habebant ad hortos Balſami & Palmarum circa *Hierichuntem*. Philo. Iidem nulla certa & ſtata loca incolebant, ſed hinc illinc facile migrabant teſte *Philone* & *Porphyrio* apud *Euſebium* l. 8. πϱϱπ. c. 1. & l. 9. c. 1. *Druydas* Gallorum multi putarunt lucos habitare, ex illis Lucani verbis:

—— *Nemora alta remotis*
Incolitis lucis.

Quorum tamen verborum ut oſtendimus lib. 2. c. 12. alius ſenſus eſt. Brachmanes & Gymnoſophiſtæ in patentibus campis & amœnis viretis philoſophabantur. *Iudæi* reduces ex Babylonica captivitate, cùm alibi tum Jeroſolymis plurimas Academias conſtruxerunt. Ante exicidium numerabantur in Academia Hieroſolymitana Synagogæ ſeu

colle-

collegia ampliùs quadringenta, quarum ſingulis inerant Scholæ binæ: altera qua Lex ſcripta prælegebatur, ſeu בית ספר id eſt, Bibliotheca; altera quo *Miſnajoth* ſeu Traditiones atque exegeſes veterum, ſententiæ receptæ, deciſiones forenſes, id genus cætera, docebantur. Hæc autem בית תלמוד ſeu Domus doctrinæ nuncupabatur. Rabbi *Phinees* in Gemara Hieroſolymitana ad tit. Megilla cap. III. ארבע מאות ושמונים בתי כניסיות היו בירושלם וכל אחת היה לה בית ספר ובית תלמוד בית ספר למקרא ובית תלמוד למשנה וכלהם עלה אספסיינוס *Collegia ſeu Synagogæ Hieroſolymis erant* CCCC LXXX. *In harum qualibet habebatur Bibliotheca & Domus doctrinæ: Bibliotheca qua doctrinæ prælegerentur, Domus doctrinæ qua doceretur Miſna. Haſce autem univerſas ſuſtulit Veſpaſianus.* Gemara tamen Hieroſolymitana ad tit. Cethuboth cap. XIII. pro שמונים, id eſt, LXXX. legit. ששים quod LX. ſonat. Hæc debemus Cl. Joh. Seldeno in prolegom. libri de ſucceſſ. ad Leges Ebræorum. *Alexandria* etiam circa illa tempora celeberrima erat, quæ quaſi Græciam & Muſas novenſiles ad ſe pellexerat. Plurimæ ibi Scholæ erant, Academiæ & publica literarum Gymnaſia, de quibus ita *Benjamin* Tudelenſis in מסעות. *Extra urbem Alexandriam Ariſtotelis Schola eſt, pulcra & magna ſtructura. Viginti ferme Scholæ viſuntur, quia eo ex toto mundo confluebant ut diſcerent Philoſophiæ Ariſtotelis ſapientiam.* מכל העלם ללמוד שם החכם ארסטו הפילוסוף. Judæi verò diſperſi duas celeberrimas Academias *Pumpedunthanam* & *Tiberienſem* erexerunt. De quibus extant commentationes eruditorum. Tandem ſub *Carolo* Magno etiam in Germania plurimæ Scholæ erectæ ſunt, quæ priſcum Academiæ nomen obtinuerunt. Quales nunc in Europâ innumeræ ſunt, quarum ſingulas poſſis dicere Athenas. Quæ cum notiſſimæ ſint, & de iis extent commentarii aliorum, nolumus quicquam addere. Illud prætereundum non eſt, tam corruptum ſub Imperatoribus Philo-

ſophandi

ſophandi modum fuiſſe, ut jam non amplius in Scholis & Gymnaſiis: ſed etiam in plateis, theatris, baſilicis, imo balneis quoque nugas ne dixerim, an doctrinam venderent. Balnea enim Romæ magno ſumtu ædificata inſtar fere urbium. Erant in iis areæ ampliſſimæ, erant porticus, in porticibus exedræ & ſedilia, in quibus Philoſophi, Rhetores, reliquique quibus ſtudia erant cordi, ſedebant diſputantes. *Pol.* Virg. l. 3. c. 13. *Horat.* 1. Serm. 4.

——— in medio qui

Scripta foro recitent ſunt multi quique lavantes.

Apul. Apol. *diſſero aliquid poſtulantibus amicis publicè, omnes qui aderant ingenti celebritate baſilicam, qui locus auditorii erat, complentes.* Cæterum celebris eſt *Gymnaſii* vox qua pro Schola utuntur. Originem *Lycus* Pædagogus apud Plautum Bach. Act. 3. ſ. 3. monſtrat. *Indè de hippodromo & palæſtra ubi reveniſſes cincticulo præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres, &c.* Oſtendit ex palæſtra reverſos, nudos cincticulo tantùm præcinctos in Scholis apud Magiſtrum ſediſſe. Nam quod *Scal.* inquit, *nihil minus Schola convenire quam nudum eſſe*, id verum quidem eſt, cæterum apud antiquos moris fuit. *Quintil.* l. 12. c. 2. *ſtudia ſapientiæ in porticus & Gymnaſia primum, mox in conventus Scholarum receſſerunt.* Diatribæ quoque vocabantur illæ Scholæ. *Gell.* l. 1. c. 26. & l. 17. c. 20. l. 18. c. 13. Ornamenta autem Scholarum & Gymnaſiorum plurima erant. *Athen.* l. 13. c. 5. docet veteres amoris ſtatuam locaſſe in omnibus Gymnaſiis, etiam Athenis: ut docerent amorem doctrinæ quæ diſcitur optimum eſſe ejus addiſcendæ Magiſtrum. *Lact.* l. 1. c. 20. citat ex *Cic.* l. 2. de Legg. *Magnum audaxque conſilium ſuſcepiſſe Græciam quod Cupidinum & amorum ſimulacra in Gymnaſiis conſecraſſet. Virtutes enim oportere non vitia conſecrare.* *Apul.* 1. de Philoſ. *Socrates vidiſſe ſibi viſus eſt Cygni pullum ex altari quod in Academia Cupidini conſecratum eſt,*

volaſſe & in ejus gremio reſediſſe. Cicero autem erravit quod per amorem illicitum illum & venereum intellexit: cum intelligendus ſit ille quem Plato cœleſtem vocabat; de quo vide *Apul.* Apol. Putarim tamen eos per Amorem intellexiſſe Genium: quem Apul. in Deo Socratis vocat *Socratis Amorem.* Nam cuilibet homini genium adſcribebant Platonici gubernatorem operum & actionũ. Ut ſignificarunt hoc Afranii: *Amabit ſapiens, cupient cæteri. Apul.* Apol.

CAP. IV.

Priſci ſerò ad Philoſophiam ſe contulerunt. Etiam uxorati & ſenes. Summo manè legebant. Convictores habebant. Feriæ ipſorum æſtivales. Querendi poteſtatem auditoribus faciebant.

SOlebant priſci ſerò admodum animum ad Sapientiæ ſtudia appellere. Quò reſpicit *Ariſtoteles* 1. Met. ubi inquit, *Antiqui Philoſophi acquiſitis vitæ neceſſariis demum cœperunt Philoſophari.* Nam neque opus habebant operam dare προπαιδείαις, quibus nos omnem fere ætatem conterimus: neque peregrinas linguas ullas ideò diſcebant. Addo quod recens Sapientiæ nomen omnis generis alliceret, etiam provectæ jam ætatis, homines. *Plato* enim unum & viginti annos natus, Socratem audire cœpit. *Ariſtoteles* Platonem decimum ſeptimum agens. Pleríque etiam uxorii erant & patres familias. *Gell.* l. 12. c. 1. *Nunciatum eſt Phavorino Philoſopho, uxorem auditoris ſectatoriſque ſui paululum ante enixam, auctumque eſſe nato filio.* Idem l. 13. c. 21. teſtatur. T. Caſtritium Rhetoricæ directorem habuiſſe diſcipulos ſenatores. Sic *Cicero* everſa jam Rep. in Tuſcul. Panſam, Hirtium, Dolabellam, viros jam exercitatos, inſtituebat l. 9. ep. fam. 16. 18. *Quintil.* 12. c. 11. quos *grandes prætextatos* vocat. Plerique etiam ſummo mane ἀκροάσεις faciebant. Id quod & hiſtoria Polemonis docet. Is è nocturno convivio rediens, aliquanto poſt ortum ſolis, ingreſſus eſt

eſt *Xenocratis* jam in magna frequentia docentis Scholam, ibique ad bonam frugem reductus eſt. Vide *Val.* Max. lib. 6. c. 11. *Diog.* l. 4. Polemone. *Horatius* l. 2. Sat. 3. de eodem.

Poſtquam eſt impranſi correptus voce Magiſtri.

Ovidius 1. Am. Eleg. XIII. ad Auroram.

Tu pueros ſomno fraudas tradiſque Magiſtris,
Vt ſubeant teneræ verbera ſæva manus.
Nec tu conſulto, nec tu jucunda diſerto es,
Cogitur ad lites ſurgere uterque novas.

Ariſtoteles horis matutinis legebat ea quæ ſubtilioris erant indaginis, ſive ἀκροαματικά, à meridie Exotericis dabat operam. *Gell.* l. 20. c. 4. *Quintil.* l. 3. c. 1 *pomeridianis Scholis Ariſtoteles præcipere artem oratoriam cœpit.* Et quia Philoſophi plerumque contubernium quoddam auditorum apud ſe & in menſa habebant, ſolebant ibi quoque de rebus jucundis & ſuavibus, exhilarandi tamen magis quam acuendi cauſa, diſputare.. Quales diſputationes in Gellio plures occurrunt. Legimus etiam *Macrinum* Imp. animum inter cœnandum diſputationibus eruditorum & diſertorum virorum paſcere ſolitum. *Capitol.* in vita Macrini. Quo pertinet *Plut.* συμπ. & *Athenæi* δειπνο. Item *Apulei* convivales quæſtiones & ludicra, quorum antiqui crebro meminerunt. Unde moris erat aliquid ſive ex Poëta ſive Hiſtorico inter cœnandum legere. *Gell.* l. 2. c. 22. & l. 3. c. 19. l. 13. c. 11. l. 19. c. 7. *Corn.* Nepos in vita P. Attici. *Plin.* l. 3. ep. 5. & l. 9. ep. 36. Quid quod & in Africano convivio;

——— *citharâ crinitus Iopas*
Perſonat auratâ docuit quæ maximus Atlas.

Porrò quia ſecundum C. *Celſum* lib. 1. de re Med. in prœmio literarum ſtudium, tam eſt corpori inimicum quam animo ſalutare, & ſecundùm *Senecam* lib. 1. controv. præf. *laſſitudo ingenii non minor eſt quam corporis ſed occultior*; fe-

riæ quædam del..ſſatis Muſis inſtitutæ ſunt. Unde & ipſum Scholæ nomen dictum à Græco σχολὴ putant. *Auſ.*

Grajo Schola nomine dicta

Juſta laboriferis tribuantur ut otia Muſis.

Romæ meſſis & vindemiarum tempore feriæ dabantur non foro tantum ſed & Scholis. *Auguſt.* Confeſſ. l. 9. c. 2. *Et oportunè jam pauciſſimi dies ſupererant ad vindemiales ferias, &c.* Minucius *Felix* in Octavio. *Sane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Saturnalibus quoque ceſſabat Senatus, nec poterant ulla judicia agi. *Suet.* Aug. 32. Ideo nec cauſidici in forum veniebant. *Mart.* 7. ep. 27. neque Scholæ celebratæ *Plin.* l. 8. ep. 1. *Mart.* 5 ep. ult. Eos dies dabant hilaritati. Proponebant invicem ænigmata & griphos: qui ſolveret corona è lauro nexa & præmio donabatur. *Gell.* l. 18. c. 2. Utque Athenienſes Philoſophi feriarum tempore in circumjacentes inſulas & æſtuaria, vel etiam villas amœniores ſecedebant, *Agell.* lib. 1. c 2. ita Romani deliciis Campaniæ fruebantur. *Apell.* l. 9. c. 15. Lectiones autem ſtatus temporibus quotidie habebant. *Gell.* l. 1. c. 26. de Tauro: *dabat ſæpe poſt quotidianas lectiones quærendi quod quis vellet, poteſtatem. Juſtinus* l. 16. de Chione & Leonide interfectoribus Tyranni Clearchi. *Erant hi diſcipuli Platonis Philoſophi, qui virtute, ad quam quotidie præceptis Magiſtri erudiebantur, patriæ exhibere capientes.* & lib. 20. de Pythagora: *Laudabat quotidie virtutem & vitia luxuriæ enumerabat.* Quod ſi peregre ipſis abeundum eſſet præficiebant doctiſſimum quemque Collegio ſuo. Ita *Plato* proficiſcens in Siciliam Scholæ ſuæ *Heraclidem* Ponticum præfecit.

CAP.

Cap. V.

Modus Philoſophandi per traditionem & Religionem. Ægyptii invidi. Lycurgi & Numæ artificium.

MOdus autem Philoſophandi hic erat. Antiquiſſimis & primis temporibus, cum nulla adhuc ars abſoluta eſſet, quæcunque diſcipuli à Doctoribus viva voce hauſiſſent, ea ad alios quoque tranſmittebant. Quemadmodum igitur ille apud Maronem meminerat:

Auruncos ita ferre ſenes:

Ita & Doctor & diſcipulus ita ſibi monſtratum dictumque à priſcis meminerant. Neque vero aut diſputationibus aut explicationibus prolixis dogmata ſua illuſtrabant: ſed contenti habere decreta quædam & placita à majoribus recepta, approbata, ad ſe tranſmiſſa, in iis acquieſcebant. Doctorum authoritas pro lege erat. Præſertim in Oriente, qui omni tempore ut ſuperſtitioſior, ita & majorum authoritatis tenacior erat. Unde in recitando placito, ne id aut recens, aut parum probum videretur, plerumque addebant כאשר יאמר משל הקדמני, ὥσπερ ἡ ἀρχαία εἶπε παροιμία. Quod Theocritus ὡς σοφὸς εἶπε mira ſuavitate dixit. De quo *Heinſius* Ex. 1. ad Nonnum. Culpant illud Græci in Platone ſuo quod nimium deditus fuerit authoritatibus priſcorum Doctorum præſertim Ægyptiis. Quod non aliunde quam ex ipſa Ægypto, cui, ut diximus, eruditionem ſuam omnem fere acceptam ferebat, hauſit. Placita autem ipſorum obſcuræ plerumque & breves γνῶμαι erant. *Obſcuræ:* quia nolebant quosvis illotis manibus ea ſacra attrectare: imo Ægyptii artes à ſe inventas non facile docebant, atque iccirco eos Strabo δυσμεταδότους vocat. *Breves:* quia memoriæ non chartis ſacrari debebant. Ut igitur leges, quibus omnis vita noſtra gubernatur, breves eſſe volebant priſci Νομοθέται: ita & hæc Sapientiæ placita non numero

ſed pondere verborum nitebantur. Utque oracula Deorum & effata ab ipſis tenebris authoritatem & religionem trahebant: ita & ipſorum placitis major honos habebatur quod non ab hominibus, ſed à numine quodam cœlo demiſſa credebantur. Nam cum callidi impoſtores nihil apud hominem plus valere, quam Deorum metum & ſuperſtitioſos Religionis nodos, quibus etiam impii & feroces colla ſubmittant, viderent; operam imprimis dederunt, ut ne ab hominibus profecta viderentur dogmata, ſed ab ipſo Deo: quo non ſibi tantum ſanctitatis opinionem; ſed & ſuis ſententiis divinam authoritatem conciliarunt, quibus contradicere blaſphemum, non credere nefas erat. Unde ipſa Philoſophorum nomina fluxiſſe crediderim, qui *Sacerdotes*, & *Prophetæ* dicti ſunt, quòd non hominum, ſed Deorum, interpretes eſſent. Utque ea ſuperſtitio ab Ægyptiis & Aſſyriis cœpit: ita Græciam poſtea & Italiam occupavit, cùm eo primi ſapientiæ authores venirent. Quod unico *Lycurgi* apud Græcos, *Numæ* Pompilii apud Romanos exemplo oſtendendum eſt. Ita igitur de Lycurgi placitis Iuſtinus lib. 3. *Hæc quoniam primò, ſolutis antea moribus, dura videbat eſſe, auctorem earum Apollinem Delphicum fingit, & inde ſe ea ex præcepto numinis detuliſſe, ut conſueſcendi tædium metus Religionis vincat. Deinde ut authoritatem Legibus ſuis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos, prius quam reverteretur, & ſimulat ſe ad oraculum Delphicum proficiſci, conſulturum quid addendum mutandumve legibus videretur.* Numa verò ut majori cum authoritate leges & Religionem ferret, ſimulavit cum Dea Egeria nocturnos ſe habere congreſſus. Erat quædam ſpelunca peropaca in nemore Aricino, unde rivus perenni fonte manabat: huc remotis arbitris ſe inferre conſueverat, ut mentiri poſſet monitu deæ conjugis ea ſacra populo ſe tradere quæ acceptiſſima Diis eſſent.
Vide-

Videlicet aſtutiam Minois voluit imitari, qui ſe in antrum Jovis recondebat, & ibi diu moratus leges tanquam ſibi à Jove traditas afferebat, ut homines ad parendum non modò imperio ſed etiam religione conſtringeret. *Lactant*. lib. 1. cap. 22.

CAP. VI.

Sapientum ſententiæ templis inſcriptæ. Ægyptiorum literæ duplices. Antiquiſſima Philoſophia obſcura, & ænigmatica. Certamina inter Reges in ænigmatis. Iuramenta à diſcentibus exacta.

ATque hinc factum quod Sapientes placita ſua Deorum templis conſecrarunt. *Plin*. lib. 7. *Mortales oraculorum ſocietatem debere Chiloni Lacedæmonio* ſcribit, *tria ejus præcepta Delphis conſecrando, quæ ſunt hæc*: Noſſe ſe quenquam. Nil nimium cupere. Comitem æris alieni litiſque eſſe miſeriam. Quod & antiqui Ægyptii fecerunt, qui ſecretiſſima myſteria ſuæ Religionis & Sapientiæ templorum adytis & locis ſacris inſculpebant. *Cæſar* apud Lucanum lib. 10. ad Achorea Sacerdotem Ægypti:

—— quodcunque vetuſtis
Inſculptum eſt adytis profer.

Ad quam rem utebantur literis ſacris. Nam alias habebant literas Sacerdotes, alias vulgus: hæ παίδημοι illa ἱεραὶ & ἱερογλυφικαὶ dictæ. *Iſidor*. lib. 1. cap. 3. de quibus *Lucanus* lib. 3.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, in ſaxis tantum volucreſque feræque
Sculptaque ſervabant Magicas animalia linguas.

Tacitus lib. XI. *Primi Ægyptii per figuras animalium ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta ingenii humani, impreſſa ſaxis cernuntur.* Eas literas *Claudianus Signa* vocat 1. in Ruff. *novi quid ſigna ſagacis Ægypti valeant.* Apuleius *picturas* & *ſimulacra* nominat. lib. XI. Mileſ.

navis

Digitized by Google

navis picturis miris Ægyptiorum circum ſe variegata & urnula miris extrinſecus ſimulacris Ægyptiorum effigiata. Interdum tamen utriſque literis uſi ſunt. Author eſt *Benjamin* Tudelenſis in מסעות. *Alexandriæ in littore maris marmoreum conſpici ſepulchrum, cui omnia avium aliorumque animalium genera inſculpta ſunt, omnia cum priſcorum inſcriptione quam nemo legere poſſit. E conjecturâ ferunt, Regem quendam ante diluvium fuiſſe ſepultum ibi, cujus ſepulcri longitudo quindecim ſpithamarum erat, latitudo autem ſex.* Multo clarius *Apul.* lib. XI. *de opertis adyti profert quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes, partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis capreolatimque condenſis apicibus à curioſa profanorum lectione munitos.* Ubi ſimul cauſam innuit qua moti talibus figuris utebantur. Quæ ſunt: Philoſophiæ à contemtu, memoriæ ab oblivionis periculo vindicatio. Verum enim eſt quod *Syneſius* in Calvitii encomio, inquit: *τὸ ῥᾷστον καταγελάζεται ὁ δῆμος δεῖται τῆς πραγείας*: & *Seneca* in Oedipode

Sæpè jam ſpacio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.

Quare cum Ægyptiorum ἱερογλυφικὰ, non tam literæ & voces (uti falſo à multis exiſtimatum eſt) quam integræ ſententiæ eſſent, imò integræ diſſertationes, facillimè res in memoria conſervabant. Ita per formam apis mella conficientis, quid Regii officii eſſet expoſitum. Quo docendi modo etiam alii Philoſophi uſi ſunt, ut *Chryſippus* apud Gell. l. 14. c. 4. qui Juſtitiam graphicè & aptè deſcribit. Neque fruſtra ingenioſiſſimus *Lucanus*, ea ἱερογλυφικὰ *Magicas linguas* vocavit. Quippe non literas aut voces ſingulas, ſed integras orationes denotaſſe innuit. Extant autem ejuſmodi Notæ hieroglyphicæ aliquammultæ *Horapollinis* Niliaci, quæ verſæ dicuntur à Philippo quodã

ex

ex Ægyptio in Græcum. De quo vide *Voſſium* in Gram. Cæterùm omnis antiquorum Philoſophia obſcuriſſima erat. Id ſive erroris fovendi cauſa, quò plura & difficiliora ſcire viderentur, ſive ignoratione docendi (nam non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed & quædam ars docendi) factum ſit, non tamen nimium culpandi ſunt, præſertim circa illa prima omnium *artium* initia, ubi quid vitii adhæſit doctiſſimis viris. Etiam natura theſauros ſuos ita abdidit, ut non niſi impigre ſcrutantibus pateant. Ægyptii ad hoc denotandum Sphingem ante ſua templa conſtituere ſoliti ſunt, innuentes ſua placita *αἰνιγματικώτερα* eſſe. *Clemens* l. 5. ſtrom. *Plut.* l. de Iſid. & Oſirid. *Cel.* Rhod. l. 3. c. 12. *Gymnoſophiſtæ* etiam & *Druydæ* obſcurè ac per ſententias philoſophabantur. *Laërt.* lib. 1. *Lucan.*

Plurimaque obſcuri fudiſtis carmina Bardi.

Et *Taautus* Theologiæ ſuæ myſteria non niſi per allegorias tradebat: quæ primi *Surmobulus* & *Thurro* Dii in lucem protraxerunt teſte *Sanchoniatho* apud *Euſeb.* l. 1. προπ. c. 7. Unde & in ipſa S. Scriptura חידות ſive ænigmatum appellatio ejuſmodi placitis Philoſophicis tributa eſt. De quibus ſæpe diſputabant, etiam inter ipſos ſapientes, doctiſſimi quique. In Oriente enim receptum erat apud Magnates, depoſito ingenti brabéo certare ænigmatis: qui propoſita non ſolveret, damnas eſſet ejus de quo conveniſſet. Quem morem etiam in convivio Sapientum *Plut.* innuit. Ejus veſtigia ſunt in hiſtoria *Simſonis* & *Salomonis*. *Dius* in Phœnicum hiſtoria refert: *Tyriorum regi à Salomone propoſita fuiſſe ænigmata: ei quod ſolvere illa non poſſet, magno conſtitiſſe illas concertationes: donec Abdemona Tyrum adoleſcentem nactus eſſet qui pleraque ſolveret.* *Ioſeph.* v. Ant. cap. 2. De Amaſi quoque Ægyptiorum Rege legimus, eum cum Æthiopum Rege ænigmatis certaſſe. Cumque Æthiopum Rex evolutas Amaſi quæſtiones mittens, vi-

ciſſim imperaſſet: *Pontum ut ebiberet,* diu anxius Rex tandem à Biante inſtructus reſpondit: *facturum ſe imperata, ſi omnia quæ in mare confluunt flumina, alio averteret.* Ita victor evaſit Ægyptius. Eum morem ex Oriente in Græciam *Pythagoras* tulit, cujus Philoſophia nil niſi arcana myſteria erant *Horat.* Epod. od. 15.

Nec te Pythagoræ fallant arcana renati.

Ariſtoteles Peripateticus, non Stagirita, apud *Euſebium* l. 11. πρπ. c. 1. *Pythagorici cuncta celabant.* Unde longè alia ſapientia vulgo, alia ipſis Sapientibus nota erat: de quo Poëta:

Solis noſſe Deos & cœli numina vobis
Aut ſolis neſcire datum.

De quo etiam *Hippocrates* in Lege ſua: τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποις δείκνυται. βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. Et *Iſid.* Peluſ. 1. ep. 214. οὐ παντός ἐστιν δογματίζειν ἐπειδὴ οὐ πάντες ἀλυργοφοροῦσιν. In quam rem etiam *Porphyrii* verba citat *Euſebius* l. 4. πρπ. c. 4. *Tu verò caveas, ut lucri aut inanis gloriæ gratia, ſceleſtis & indignis hominibus hæc tradas, non enim parvum, tam tibi qui edes, quam mihi qui tibi credidi, periculum imminet. His autem ſolummodo communicanda ſunt, qui vitam ad animæ ſalutem direxerunt. Nam & ipſi Dii non apertè ſed ænigmaticè ipſa hominibus tradiderunt.* Ita ab Eſſenis in diſciplinam ſuſceptos jurejurando confirmare oportebat leges quaſdam: & inter alia: *nulli aliter hæreſeos dogmata tradituros, quam ſicut ipſi acceperant, procul ſe futuros à latrocinio, conſervaturoſque ſectæ libros diligenter.* Hæc ſervaturos ſe jurant. Idem *Porphyrius* apud *Euſebium* l. 9. πρπ. c. 1. Quam in rem inſtituta adjurandi forma. Doctores enim ſi quid reconditi traderent, auditores ſuos juramento obſtringebant: ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι. Quæ verba petita ſunt ex memorabili formula juramenti,

ramenti, quo *Vettius* valeus Antiochenus Aſtrologus Syrus lectorem ſuum obſtringit: cujus verba ex MSS. inedito hactenus, citat *Ioſ.* Seld. prol. 3. de Diis Syris, & Synt. 1. c. 1. Ejuſmodi quoque juramentum ab initiandis exegiſſe Orpheum tradunt, quem *Iul.* Firmicus in præfat. ad lib. 7. Matheſ. Sequitur. Idem Hippocrates fecit, & Scaliger ſcribit, ſe cum primis Lycei ſacris initiaretur in Avenrois verba jurare coactum eſſe à præceptoribus ſuis *Buccaferreo, Petro* Pomponatio, *Zimara, Tiberio, Nipho.* epiſt. ad Lect. præfixa exercit. Quo fortaſſe etiam *Claud.* lib. 1. de Laud. Stilic. reſpicit deſcribens juramentum Regis Babylonii,

—— ſecretaque Beli
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.

In vulgatis libris pro *Beli* corruptè legitur *Belli*, quod *Scal.* in lib. VI. de Emend. *temp.* oſtendit. Cæterum omnibus penè ſeculis ſervilia quædam ingenia fidem ſuam Magiſtris ita addicebant, ut nefas ducerent, etiam quæ falſa erant, reprobare. *Iurabant in verba Magiſtri*, id eſt, omnem obedientiam ei addicebant. *Cæſar* l. 2. de B. G. *provinciam omnem in ſua & Pompeij verba per jusjurandum adigebat.* *Apul.* x. Mileſ. vocat *jurare in alicujus nomen:* vide *Quintil.* l. 7. c. 4.

CAP. VII.

Philoſophia carminibus tradita. Ea decantata: unde Muſica. Etiam Hiſtoriis: unde Comœdia, Tragœdia, Apologi. Σμινθιακοὶ λόγοι. *Iidem Philoſophi & Oratores. Poſtea ſeparati. Cicero denuo eloquentiam cum Philoſophia conjunxit. Decreta Philoſophorum* γνῶμαι. Ἀποφθεγμάτων & ἀποφθεγματώδεις.

GRæci antiquiſſimi ſapientiæ præcepta carminibus tradebant, quibus non minimam ſibi authoritatem apud rudes compararunt. Ita enim pluſquam homines ſe eſſe, qui velut à Deo afflati carmina dicerent, aliis perſuadere

volebant. Certè inde ortum eſt, ut & ipſi ſe *Theologos* & *Sacerdotes* vocarent. Delectabant illa carmina & facile memoriæ infigebantur. Qua ratione ſe *Lucretius* dicit præcepta Philoſophiæ carmine eſſe complexum. Nam hac ſimilitudine utitur:

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flavoque liquore.

Quintil. l. 3. c. 1. *Tacitus* de Germanis: *celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Thuſtonem Deum.* Et Galli totam Philoſophiam incluſam verſibus diſcendam diſcipulis proponebant. *Nihil enim diſcipulos ſuos mandare literis permittebant, ne confiſi commentariis remitterent in perdiſcendo diligentiam.* Cæſ. l. 6. Unde paſſim in triviis cantari cœpta ſunt. Quo factum, ut Muſica ipſa paulatim exculta, ſapientiæ accenſeretur, quam ideo etiam *Socrates* jam ſenior ſibi addiſcendam putavit. *Imò verò,* inquit. *Quintil.* l. 1. c. 16. *claros nomine ſapientiæ viros, nemo dubitaverit ſtudioſos Muſices fuiſſe, cum Pythagoras atque eum ſecuti acceptam ſine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipſum ejus ratione eſſe compoſitum, quam poſtea ſit lyra imitata.* Ibid. vide plura. Et notum eſt illud: *Themiſtocles in cœna cum recuſaſſet lyram habitus eſt indoctior.* Ægyptii tamen Muſicam *Diodoro* teſte, tanquam virorum effœminatricem prohibebant, & *Ephorus* teſte *Polybio* in proœmio hiſtoriarum ſuarum, ad deludendos & fallendos homines inventam tradit, contra quorum opiniones videatur *Quintil.* l. 1. c. 16. Quod autem Græci carminibus, id Ægyptii & alii Hiſtoriis conſecuti ſunt. *Ioſephus* l. 1. contra Apionem tradit antiquiſſimis temporibus Ægyptiorum & Babyloniorum ſacerdotibus injunctum fuiſſe ut hiſtorias conſcriberent. Idem poſtea apud Ebræos receptum fuiſſe, *Euſeb.*

l. 11.

l. 11. de præpar. Euang. dicit: *Moſen, qui primus cujuſque hominis vetuſtiſſimi vitas deſcripſit, civilem atque in actione poſitum vivendi modum narratione hiſtorica docuiſſe.* Similis conatus eorum fuit, qui aut narrationibus fabuloſis, aut Comœdiis ſive Tragœdiis, quid in cottidiana vita uſu veniret, demonſtrabant. Ita enim *Æſopus* ille è Phrygia fabulator haud immeritò ſapiens exiſtimatus eſt. Cum quæ utilia monitu ſuaſuque erant, non ſeverè, non imperioſè præcepit & cenſuit, ut Philoſophis mos eſt, ſed feſtivos delectabileſque Apologos commentus, res ſalubriter ac proſpicienter animadverſas in mentes animoſque hominum cum audiendi quadam illecebra induxit. Præcipuè tamen crebrò à muribus docendi argumentum petebant. Nam veteres iis parietum perfoſſoribus peculiares quaſdam fabellas tribuebant, quas Σμινθιακοὺς λόγους dicebant teſte *Heinſ.* lib. 2. de Sat. Horat. unde fortaſſe & ipſe *Apollo* Σμινθεὺς dictus eſt: quod μυοκτόνον explicant. Quò pertinent fabellæ murium, una, quæ apud *Horatium* extat, altera in lepidiſſima βατραχομυομαχία quam cum ſcripſiſſet quidam erudiendæ juventutis ergo, tribuerunt eam Homero, qui tamen ejus author non eſt. De Comœdia autem ita cenſet *Dionyſ.* Halicarnaſſ. ἐν τέχνῃ: ἡ γὰρ τοι κωμῳδία αὐτὸ τὸ γελοῖον περιζησαμένη φιλοσοφεῖ. De Tragœdia *Cicero* pro Sextio Roſcio: *Hæc conficta à Poëtis arbitror eſſe, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis expreſſamque imaginem noſtræ vitæ quotidianæ videremus.* Donatus: *per priſcos Poëtas, non ut nunc penitus ficta argumenta, ſed res geſta à civibus palam, cum eorum ſæpius qui geſſerunt nomine decantabantur. Ideo ipſa ſuo tempore multum profuit, cum unuſquiſque caveret culpa, ne ſpectaculo cæteris eſſet & domeſtico probro.* Piſcator apud *Plautum* conqueritur non flecti mores populi ad virtutem Comœdiis:

Spectavi ego quidem Comicos ad iſtum modum

 Sapien-

Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier
Cum illos ſapientes mores monſtrabant populo,
Sed cum inde ſuam quiſque ibant diverſi domum,
Nullus erat illo pacto ut illi juſſerant.

Illud quoque non eſt prætereundum: priſcam Philoſophiam Græcorum cum eloquentia conjunctam fuiſſe, de quo ſæpius ex ipſo Cicerone, *Fabius* agit: lib. 1. l: 2. in procœmio. c. 22. l. 10. c. 1. l. 12. c. 2. Nam *Cicerone* teſte l. 3. de Orat. *iidem erant & ſapienter ſentiendi & ornatè dicendi authores.* Quod & ſimulacro Palladis, cum Mercurii ſigno mirabili artificio implicato, ſic ut unum fieret ex utroque, unoque ex duobus nomine *Hermathenam* appellantes, in omnibus Bibliothecis, Gymnaſiis & Scholis poſito, denotabant: frequens enim erat numinum mixtio. *Lucan.* l. 4. de Parnaſſo:

Mons Phœbo Bromioque ſacer, cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

De quo ſupra diximus. vide *Cic.* lib. 1. Epiſt. ad Att. in omnibus fere epiſtolis. Stomachatur *Quintil.* lib. 1 in eos, qui cum ſeparaſſent Philoſophiam ab eloquentia, ſibi ſolis Philoſophorum nomen arrogarunt. Et *Cicero* l. 3. de Orat. dicit: *ſe non impedire quin ſuo illi docto & erudito Oratori Philoſophi nomen impertiat.* Cæterùm *Plato* in Gorgia teſtatur: non de Philoſophia ſolum, ſed etiam de ratione diſſerendi atque dicendi fuiſſe diſputationes habitas à Socrate. *Ariſtoteles* quoque putans, *αἰσχρὸν σιωπᾷν κ̀ Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν.* *Quintil.* l. 3. c. 1. cæpit & ipſe cum Philoſophia Eloquentiam profiteri. *Cic.* l. de orat. & 5. de fin. *Quintil.* l. 3. c. 1. *Diog.* Laërt. lib. 5. Ipſum vero *Demoſthenem* ſtudioſiſſimum Platonis auditorem fuiſſe *Quintil.* ſive *Tac.* de claris orat. *Quintil.* l. 12. Inſt. c. 10. *Apul.* Apol. tradunt. *Cic.* l. de claris oratoribus: *lectitaviſſe Platonem ſtudioſè, audiviſſe etiam Demoſthenes dicitur: idque apparet ex genere & granditate ver-*

verborum, *dixit etiam in quadam epiſtola hoc ipſe de ſe.* *Lucianus* in encomio Demoſthenis teſtatur non ad Phrynes,ſed ad Ariſtotelis, Theophraſti, Xenocratis ac Platonis fores eum verſatum eſſe. *Pericles* quoque qui tonare & miſcere eloquentia ſua Græciam dicebatur, Anaxagoram Phyſicum audivit. *Quint.* l. 12. c. 2. Primò *Socratici* quidam eloquentiam à Philoſophia ſepararunt, de quo multis locis non *Quintilianus* tantùm ſed & *Tullius* l. 2. de divinat. & lib. 3. de Orat. conqueritur. Qui etiam primus Latinorum intermiſſum diu legitimum Philoſophandi modum poſtliminiò revocavit. Nam & à teneris deditus fuit Philoſophiæ Græcæ ſummo ſtudio: & eam mox eloquentiæ junctam in forum Romanum introduxit. Cumque tandem in ea tempora incidiſſet, quæ nullam Reipublicæ aut libertatis ſpeciem ferre poſſent, ad priſtina illa ſtudia Philoſophica ſe recepit, in Tuſculano ſuo ſuaviſſimam Academiam inſtituens. Unde prodierunt illa divini ingenii immortalia monumenta, ubi de rebus graviſſimis eruditè diſceptat. Quo reſpicere mihi *Lactantius* videtur lib. 1. Inſtitutionum Religionis cap. 1. *Quidam*, inquit, *maximi Oratores, profeſſionis ſuæ quaſi veterani, decurſis operibus actionum ſuarum, poſtremo ſe Philoſophiæ tradiderunt.* Sententiæ autem Philoſophorum *decreta* dicebantur. *Gell.* l. 12. c. 4. 5. 9. l. 18. c. 2. & alibi, Græcis γνῶμαι. *Quintil.* l. 8. c. 5. *Sententiæ vocantur, quas Græci γνώμας appellant.* Utrumque nomen ex eo acceperunt, quod ſimiles ſunt conſiliis atque decretis. *Apul.* l. 1. de dogm. Plat. *Quæ autem conſulta, quæ δόγματα Græcè licet dici, ad utilitatem hominum, vivendique & intelligendi & loquendi rationem extulerit, hinc ordiemur.* Unde & δογματίζειν *Iſid.* Peluſ. l. 1. ep. 214. ἀντὶ τοῦ φιλοσοφεῖν ponit: Græci ἀποσημειοῦν vocant, cum Grammatici & Philoſophi opiniones ſuas ſecum ipſi conciperent & in commentarios referrent. Unde commentationes illæ

ἀποση-

ἀποσημειώσεις dictæ. Sic *Horat.* l. 2. Sat. 4. v. 2. *ponere ſigna novis præceptis*, & *Gellius: ſigna rerum ponere.* Inde etiam commentaria in alios Philoſophos ſcripta ἀποσημειώσεις dicta. Sicut hodie extant ἀποσημειώσεις Alexandri in Elenchos Ariſtotelis.

CAP. VIII.

Platonici inambulantes Philoſophabantur. Auditores utriuſque ſexus habebant. Per Dialogos diſſerebant. Obſcuri.

DE Platonicis breviores erimus, eò quod pleraque cum Pythagoreis communia habent. Præcipuè delectabatur inambulationibus. *Cic.* 1. de Legg. *Ille* (loquitur autem de Platone) *cum Crete Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtivo quemadmodum deſcribit die, in cupreſſetis Gnoſſiorum & ſpatiis ſylveſtribus crebro inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis Rerumpubl. ac de optimis Legibus diſputat.* Locus autem ad quem reſpicit, ex Νομοθεσίας Platonis eſt. Idem authorem Pythagoram ſecutus, in Politia ſua erudiri optimis diſciplinis volebat, non virilem modò ſexum, verùm etiam fœmineum, quas volebat omnibus artibus, quæ propriè virorum putantur, adhibendas eſſe, etiam bellicis: ſtatuens utriſque ut naturam, ita quoque virtutem, unam eſſe. *Apul.* 2. de Philoſ. Morali & lib. 1. de Phil. Nat. teſtatur Platonem multos auditores utriuſque ſexus in Philoſophia habuiſſe. Primus etiam Dialogos introduxit: non quòd ipſe primus invenerit, (ante eum enim Zeno ſcripſit) ſed quod expoliverit. Eſt autem Dialogus oratio ex interrogatione & reſponſione compoſitâ, de ea re quæ vel Philoſophiam vel Reipubl. partes attingit. *Laërt.* l. 3. Quo diſputandi genere Dialectici præcipue uſi ſunt. *Alexander:* ἡ γὰρ Διαλεκτικὴ λόγους ποιεῖται ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει. ἀπὸ γὰρ τούτων καὶ ὅλον τὸ ὄνομα αὐτῇ. Qui diſputandi modus ut jucundiſſimus, ita omnium periculoſiſſimus eſt. Exemplum

emplum ex Dialogis Socraticorum maximeque Platonis duci poteſt: in quibus adeo ſcitæ ſunt interrogationes, ut cum pleriſque bene reſpondeatur, res tamen ad id, quod volunt efficere, perveniat. *Quintil.* l. 5. Inſt. c. 7. & l. eod. c. 11. *Socrates hanc habuit viam: cum plura interrogaſſet, quæ fateri adverſario neceſſe eſſet, noviſſimè id de quo quærebatur, inferebat, cujus ſimile conceſſiſſet.* & l. 12. c. 1. *ut more Socraticorum nobiſmetipſis reſponſum finxiſſe videamur. Lactant.* l. 6. c. 17. *ego non arguta aliqua concluſione, ut apud Platonem Socrates facit, qui eos contra quos diſputat, cogit ex quæ negaverunt fateri.* Cumque varias introducat perſonas in Dialogis ſuis, ſolius tamen Socratis perſona videtur ſignificare quid ſentiat, uti etiam *Quintil.* l. 2. c. 16. obſervavit, cum tamen *Ariſtoteles* 2. Elench. Sophiſt. c. 8. dicat *Socrates interrogabat ſemper, reſpondebat nunquam, quia ſe nil quicquam ſcire profitebatur.* Sic apud *Gellium* l. 20. c. 1. Phavorinus *Scis,* inquit, *ſolitum eſſe me pro diſciplina ſectæ, quam colo, inquirere potius quam decernere.* Genere Philoſophandi obſcuro, & allegorico priſcorum more uſus eſt. *Apul.* Apol. *Mitto dicere alta illa & divina Platonica, rariſſimè cuiquam piorum gnara: Cæterum omnibus profanis incognita.* Cæl. *Rhodig.* l. 9. c. 12. *Nunquam futurus eſt Platonicus, qui allegoricè Platonem non putat intelligendum: niſi forte Ariſtotelico more in Platonis verba non in ſenſum opertum & profundiorem ſigna inferre velit.* Idem l. 9. c. 40. non verba ſed ſenſum Platonis attendenda docet. Cæterum in Dialogis vel perſonæ introducebantur duæ vel plures: vel unus duorum ſuſtinebat perſonam. Quem modum Dialogorum *Epicharmus* invenit: qui cum more Comicorum ſingulis perſonis ſingulos tribueret ſermones, ſubinde utriuſque uni tribuebat: ut ex *Platone* in Gorgia, *Olympiodoro* in Gorgiam & alio Græco Interprete *Heinſius* oſtendit l. 2. de Satyra Horat. Hunc igitur morem in Dialogis,

ut *Gorgia*, Plato quoque obſervat & poſtea Stoici impenſe ad obſcuritatem uſque excoluerunt, de quo poſtea.

CAP. IX.

Ariſtotelis ἐξωτερικὰ & ἀκροαματικά. Hæc clauſis foribus tradebat. Erant non intelligibilia. Iudicia quorundam de Ariſtotele.

ARiſtoteles duplici potiſſimùm Philoſophandi modo utebatur: ut ex Gellio patet. Nam commentationum ſuarum duas ſpecies habebat: ἐξωτερικὰ & ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. Ἀκροαματικὰ autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur; quæque ad naturæ contemplationes diſceptationesve Dialecticas pertinebant. Huic diſciplinæ, quam dixit ἀκροαματικὴν, tempus exercendæ dabat in Lyceo matutinum. Nec ad eam quenquam temere admittebat, niſi quorum ante ingenium & eruditionis elementa atque in diſcendo ſtudium laboremque exploraſſet. Illas vero ἐξωτερικὰς eodem in loco veſperi faciebat. Eaſque vulgo juvenibus ſine delectu dabat. Unde factum ut ἐξωτερικὰ etiam θυραῖα & ἄνετα dicerentur. *Themiſtius* Orat. quomodo Philoſopho dicendum ſit: διὸ καὶ τοὺς μὲν θυραίους ὠνόμαζε καὶ ἀνέτους ἐπιήζατο. τοὺς δὲ εἴσωτε ἀπέκλειζε καὶ μελεδίδου ὀλίγοις καὶ σὺν ἀσφαλείᾳ. Unde apparet etiam clauſas fuiſſe fores ubi habebantur Acroamatica, ne quis profanus ſcil. ingrederetur. *Exoterica* etiam *communia* vocat Flaccus. Atque eum δῆλον περίπατον appellabat, illum alterum ἑωθινόν. Utroque enim tempore ambulans diſſerebat. Libroſque ſuos earum rerum omnium commentarios ſeorſum diviſit, ut alii ἀκροαματικοὶ alii ἐξωτερικοὶ dicerentur. Hæc & plura *Gellius* lib. 20. c. 4. Ex quibus patet, quamvis *Ariſtoteles* non uſus fuerit allego-

rico

rico & Symbolico Philoſophandi modo: ita tamen ſuas contemplationes tenebris involviſſe, ut pauciſſimis cognobiles ſint, quod ipſe *Ariſtoteles* in epiſtola ad *Alex.* apud *Gell.* d. l. teſtatur: qui cum conqueſtus eſſet de editis acroamaticis, reſponſum accepit: ξυνέτοὶ εἰσὶ μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκȣ̃σιν. Quem ſcribendi morem ipſe in Rhetoricis Heraclito velut probrum objicit. Et libros ἀκροάσεως φυσικῆς adeo difficiles eſſe, ut ſive viva voce & opera interpretis Magiſtri intelligi vix poſſint, *Mich.* Pſellus haud ignobilis Græcus interpres in l.Phyſ. teſtatur. Quò reſpicit, *Irenæus* l. 2. c. 19. ubi de Valentinianis, inquit: *Minutiloquium & ſublimitatem circa quæſtiones, cum ſit Ariſtotelicum, fidei inferre conantur.* Et *Cleanthes* Stoicus dicebat: *Peripateticis idem accidere quod literis, quæ cum benè ſonant; ſeipſas tamen non audiunt. Laërt.* l. 7. *Langius* epiſt. Med. 14. *Vt ſepia effuſo atro ſanguine, ne à piſcatoribus capiatur, ſe abſcondit: ita Ariſtoteles arcana naturæ pleraque perplexa brevitate obſcurat.* De quo etiam placet apponere judicium *Ioh.* Caſi ſpeculo Moralium Quæſtionum lib. 1. cap. 6. *Ariſtotelem in refutando camelum, in Philoſophando omnium Principem eſſe puto. In refutando camelum dico, quia illos calcibus invidiæ petit ex quorum uberibus nectar Philoſophiæ ſuxerat. In Philoſophando principem, quia ſic de naturæ viribus & arcanis diſſerit, ut nemo acutius, ſic demonſtrat ut nemo accuratius, ſic defendit ut nemo fortius. Quare ut in refutationibus aliorum illum vix ſalutandum: ita in demonſtrationibus rerum illum præ aliis ambabus manibus amplexandum eſſe ſuadeo. Si refellat (ni malè animadverterim) aut mutat verbum, aut invertit ſententiam, aut fingit novum: & quaſi Hercules cum Pygmæo ſic Ariſtoteles cum umbra de lana caprina certat.* Hæc *Caſus.*

CAP. X.

Stoici Dialectici. Horatius correctus. λεπτολογία *eorum. Epicurei, Magiſtri authoritatem, voce,* ipſe dixit, *ſequebantur.*

STOICI pleraque cum cæteris communia habent. Magnam ætatis partem in Dialecticis nugalibus contere-bant; unde aſſerebant ſolum Dialecticum eſſe ſapientem. *Laërt.* l. 7. Unde, quod & ſupra monuimus, ſingulare acumen affectabant. *Horat.* 1. ep. 12.

Verum ceu piſces, ceu porrum & cepe trucidas.

Quo in loco Iccium exagitat, qui erat Stoicus, ut ex illis verbis patet: *Cuncta putas una virtute minora.* Sed avariſſimus ſimul, piſcibus, porro, cepis victitans. Unde Horatius eodem modo, verùm ab ipſo trucidari, ſcribit. Ita enim corrigo illum locum, qui alias vitioſè legitur.

Verum ceu piſces, ſeu porrum & cepe trucidas
Utere Pompeio Groſpho.

Quaſi hæc duo cohæreant, cum ſint planè diſtinguenda. Ita ut pro ſeu utrobique ceu legatur.

Verum ceu piſces ceu porrum & cepe trucidas.

Unde poſtmodum ſuadet, utatur Pompeio Groſpho λεπτολογίας medico. Et ut *Epicharmus*, ac poſt eum Plato in Dialogis, nonnunquam uni perſonæ & quæſtionem & reſponſionem tribuit: ita Stoici hoc vehementer, omiſſo plerumque certo nomine excoluerunt. Et initio quidem ſatis feliciter: verum cum magis magiſque λεπτολογίαν affectarent, factum inde eſt ut omnia ſua hoc uno obſcurarint. Tales ſunt omnes fere *Epicteti* apud Arianum diſputationes; & obſcuræ & propterea admodum corruptæ. Duarum enim vicem unus ſuſtinet. *Heinſ.* l. 2. de Satyra Horat. *Epicuræi* nihil magnopere à cæteris omnibus variant. Summam apud diſcipulos ſuos authoritatem obtinuit, qui more Pythagoræorum, IPSE DIXIT uſurpabant.

bant. Nam non tam Philoſophi more diſputare, quam Domini exemplo jubere videbatur. Quo reſpicit *Petronius:*

Ipſe Pater veri doctus Epicurus in Arte
Iuſſit & hoc vitam dixit habere telos.

Vel uti Duſa emendandum putat,

Iuſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Iubere autem hac in re *idem* eſt quod *decreviſſe, ſtatuiſſe*, ut *Feſtus* explicat. *Teren.* in Phormione,

Id quod Lex jubet, dotem daret.

Claudiano 2. in Ruff. idem quod *Dominor* eſt.

Hiſpanis Galliſve jubet.

Librum quendam ſuæ Philoſophiæ *κυρίας δόξας* inſcripſit, quem *Cicero* lib. 1. de Legg. & de Divin. citat.

CAP. XI.

Academici dubitabant. Communia omnibus ſectis, Deos invocare, ſcribere & dictare. Sigla. Dictandi mos Pariſiis abrogatus. Diſputationes. Reſpondens. Opponens. Præſes. Initium à Mathematis factum. Edictum Platonis. Abacus. Pulvis Scholaſticus.

ACADEMICI & Pyrrhonii in diſſerendo utebantur voce: *Arbitror equidem. Laërt.* l. 4. Etiam *deliberandum* dicebant. *Minucius* in Octavio: *Arceſilas quoque & Carneades & Pyrrho & omnis Academicorum multitudo deliberet.* Ideoque, cum iis quæſtiones proponebantur, comperendinabant, dicentes. *Nihil definimus: omni rationi ratio objecta reperitur. Laërt.* l. 9. Iidem in refutandis potius aliorum rationibus verſati, quam ſuis deſcendendis & probandis. *Lactant.* l. de Ira Dei. cap. XI. *Vtinam*, inquit, *Cicero tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere. Quod equidem non diſſimulanter ut Academicus, ſed vere atque ex animi ſententia proclamavit.* & l. 3. c. 5. *Arceſilas recte aliorum ſuſtulit diſciplinas, ſed non recte fundavit ſuam.* & mox: *Quid ergo promovit Arceſilas niſi quod confectis omnibus*

Philoſophis ſeipſum quoque eodem mucrone confixit. Gladium igitur habebant, non ſcutum ut idem *Lactant.* l. 3. c. 4. loquitur. Eo ipſo autem, quo cæterorum Dogmata evertere conabantur, aliquid ſtatuebant. *Laërt.* l. 9. *Lucret.* l. 4.

> —— *nihil ſciri ſi quis putat, id quoque neſcit*
> *An ſciri poſſit, quo ſe nil ſcire fatetur.*

Cætera fere communia ſunt omnibus ſectis. Lectiones, exceptis Epicureis, auſpicabantur ab invocatione Deorum, Palladis, Jovis, Muſarum. Id quod Brachmanes, Magi, Pythagoras, Plato, aliique fecerunt. Antiqui etiam Poëtæ, qui Philoſophiam verſibus tradiderunt, à Jove initium libenter ſumunt. Prælegebant diſcipulis ſuis: quæ Lectiones *ἀκροάσεις* vocatæ ſunt. *Gellius* l. 2. c. 22. & l. 20. c. 4. Illæ lectiones poſtmodum à Doctoribus dictari cœptæ ſunt. *Apul.* Florid. 9. *quodcunque apud vos protuli, exceptum illico & lectum eſt.* Cumque celerius precederet vox Doctoris quàm manus diſcipuli, inventæ ſunt notæ & ſigla, de quibus *Martialis* 14. ep. 208.

> *Currant verba licet, manus eſt velocior illis.*

Seneca ep. XC. *quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata, excipitur Oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur?* Xenophon autem primus quæ dicebantur, notis excepta in publicum edidit. *Laërt.* l. 2. in ejus vita. *Antiſthenes* Philoſophus Pontico adoleſcenti, quanam re ſibi opus eſſet ſciſcitanti, reſpondit, *libro novo, ſtilo novo novaque tabella. Laërt.* l. 6. Tandem adeo invaluit hic dictandi mos, ut & Doctores & diſcipuli omnem fere ætatem in eo piſtrino contererent *Vnde ante* 250. *propemodum annos,* inquit Poſſevinus, *in Academia Pariſienſi Lex datur de ratione explicanda Philoſophia, qua præcisè cavebatur;* Ne Doctores, quos vocabant Nominatores, ad pennam, ſubducendis ſingulis propoſitionum verbis, nominando & dictando auditorum manum potius exercerent quam continenti explicatione men-

tem

Digitized by Google

tem erudirent. *l. de cultura ingeniorum.* Sæpius etiam diſputabant, ſive propoſitis Quæſtionibus, audiebant, quid afferri contra & reſponderi poſſet. *Gell.* l. 1. c. 26. *libris diſputationibuſque Philoſophiæ aures imbutas habens* & l. 2. c 7. *Quæri ſolitum eſt in Philoſophorum diſceptationibus:* an ſemper inque omnibus juſſis patri parendum ſit? *Epigr.* Decii Auſonii de *eſt* & *non eſt* apud *Virgil.*

Huic etiam placidis Schola conſona diſciplinis
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Huic omnis certat Dialectica turba Sophorum.

Cumque primitus Platonici per Dialogos diſputarent, uti dictum, factum inde ut qui defendebat *reſpondens* diceretur. *Apul.* l. 3. de Phil. Ration. *Acceptio eſt propoſitio quæ conceditur à reſpondente, ut ſi quis ita proponat*; anne omne honeſtum bonum? Alter *opponere* dicebatur. *Gell.* l. 12. c. 13. *Tunc Sulp. Apollinaris renidens: non mehercule inargutè,* inquit, *ne incallidè dicam, oppoſuiſti hoc Tullianum.* Cicero tamen pro ἀντιθέτως non dicit opponere, ſed contrarium ponere. *Ob.* Gieſſ. obſerv. Lat. Ling. In quibus diſputationibus accuratè & modo Syllogiſtico procedebant. *Gell.* l. 2. c. 8. *Neque id ei negotium fuit Syllogiſmum tanquam in Scholis Philoſophorū cum numeris omnibus & cum ſuis finibus dicere.* Adſcitus etiam *Præſes*, qui eruditione ſua, gravitateque omnia moderaretur. Vide *Gell.* l. 18. c. 1. Unde autem Philoſophiæ ſtudium inchoandum eſſet, contrariæ & diverſæ ſententiæ ſectarum & Piloſophorum fuerunt. Plerique tamen à Mathematicis incipiendum putabant: quæ diſciplinæ ἀπὸ τῆς μαθήσεως, quod in iis primitus omnis eruditio & diſciplina conſiſteret, dictæ ſunt: vel potius à מדד menſus eſt. Unde eas *Xenocrates* anſas & adminicula Philoſophiæ vocabat. *Laërt.* l. 4. & earum ignaros *Plato* præ foribus auditorii ſui edicto propoſito: οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, Academia ſua excludebat. Unde & eas plurimum adjumenti, etiam ad virtu-

virtutem aſſequendam conferre tradit. *Iſocr.* in Buſiride: quarum etiam cauſâ Ægyptum & Orientem petebant. *Cæl.* l. 9. c. 4. Unde & in Gymnaſiis habebatur abacus pulvere conſperſus, in quo figuras ducebant: qui exinde etiam *pulvis eruditus* dictus eſt. l. *Brod.* in Miſcell. Tum ad Phyſicam & reliquas Philoſophiæ partes procedebant, donec tandem ἐγκυκλοπαιδείαν abſolverent. Uſque ad Socratem maximè occupabantur Phyſices ſtudio, qui ea abrogata, Ethicam introduxit, *Euſeb.* l. contra Philoſ. c. 60. 61. *Laërt.* 1.

CAP. XII.

Mores ſectarum. Heraclitici ænigmatici. Pythagorei Symbolici. Litera Pythagoræ. Diſcipuli ejus. Authoritas. ἐχεμυθία. Scopus ſilentii. An animalibus & fabis abſtinuerint? An Ægyptii? Repetitiones veſpertinæ. Muſica delectati. Κοινὸβια.

NUnc ad ipſas ſectas progreſſi, quem ſingulæ Philoſophandi modum tenuerint, videbimus. *Heraclitici*, qui in Epheſo Joniaque philoſophabantur, ſi quid ab iis quæſieris, ænigmatica quædam verba quaſi ſagittas ex arcu projiciunt: quorum ſi rationem quæſieris, alio percutieris ænigmate, *Euſeb.* lib. 14. πϱοπ. c. 1. *Pythagorei*, quia eorum Magiſter pleraque ſua ex Oriente hauſerat, in pleriſque cum eo conveniebant. Sapientiam αἰνίγμοις quibuſdam & integumentis repræſentabant, quæ ipſi *Symbola* appellant. Qualia collegerunt *Marſ.* Ficinus & *Lilius* Gyraldus magna diligentia. In quibus ita Philoſophiæ præcepta comprehenſa erant, ut vel ambitionis diſſuaſionem & otii fugam, vel pravorum ſodalium declinationem continerent. *Plut.* l. de educ. *Hieron.* apol. 2. adv. Ruff. *Laërt.* l. 8. Igitur quemadmodum Deus ſuis interdixit ne porcina veſcerentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, ut *Lactant.* l. 4. c. 17. oſtendit: ita Pythagoras κυάμων ἀπέχȣ ſuis dicebat,

&

& à Venere illicita abſtinendum docebat. Κύαμοι enim notabant vaſa ſeminaria ſive teſticulos, de quo vide fuſiùs *Gellium* l. 4. cap. 11. Symbola autem illa erant figuræ Mathematicæ, numeri & alia, quibus placita ſua involvebat. Virtutis ſtudium Litera Y. ſignificabat. *Lactant.* l. 6. c. 3. De quo extat Epigramma *Virgilii.* Quæ etiam *Pythagoræ Litera* vocatur, non quod eam primus Pythagoras invenerit, ut aliqui falſo putant (nam ſexcentis ante eum annis Palamedes invenit) ſed quia myſticum ejus ſenſum primus diſcipulis ſuis monſtravit. Quoties Pythagoras novi quid ingenio ſuo adinveniſſet, Muſis hoſtias immolabat. *Cic.* l. 3. de N.D. *Vitruv.* l. 9. c. 2. *Athen.* l. 10. c. 3. *Laërt.* l. 8. Diſcipulos habebat utriuſque ſexus & ætatis, viros, fœminas; adultos, juvenes. Unde diverſæ pro captu auditorum claſſes inſtitutæ. Cives & viros Crotonienſes ſeparatim quotidie ad virtutis ſtudium magno Orationis ſplendore, exemplorum ac caſuum varietate, excitabat. Matronas vero quæ ideo *Pythagoricæ* dictæ ſunt, *Laërt.* l. 8. ſeparatim frequenter inſtituebat & pueros à parentibus, *Juſtin.* Maximus ei honor ab iis habitus. Omne dubium doctoris authoritas ſolvebat. Unde & dictum voluere, quod veritatem velut Pythius ipſe loqueretur. *Laërt.* l. 8. In qua re ſolemnis fuit formula, αὐτὸς ἔφα. *Cic.* 1. de N. Deorum. *Quintil.* l. 11. c. 1. *Cl.* Alex. l. 2. ſtrom. Αὐτὸς autem honorifica appellatio non profanis tantum ſcriptoribus, verum etiam ſacris fuit, ut non niſi præſtantiſſimis, imo ipſi Deo tributa ſit. Ita enim facilius doctrinæ ſuæ fidem, ſibi authoritem comparabat. Illud vero celeberrimum eſt, quod de ſilentio Pythagoræorum priſci tradunt, cujus origo hæc fuit. Cum animadverteret *Pythagoras* non poſſe eum in ſapientiæ ſtudio proficere, qui non ſolido prius jacto fundamento cætera ſuperſtrueret, obviam ratus eſt eundum temeritati juvenum, qui vix ad ſubſellia Philoſophorum

admiſſi, jam inani loquacitate omnia perſtreperent & nimium tinnirent. Æquum eſſe rebatur, ut illi, qui nihil adhuc rerum dicendarum noſſent, placita Doctoris diutina admiratione concoquerent. *Admiratio* autem ut *Muſonius* apud *Gell.* l.5. c.1. docet, *non parit verba ſed ſilentium.* Et *Quintil.* declam. 2. *Auferunt nobis vocem, quæ fieri poſſe non credimus, & ſilentium eſt admiratio ſubita.* Igitur ſilentii Deum auxilia popoſcit. Quem & ipſum ejus rei cauſa ab Ægyptiis ſub Harpocratis nomine cultum meminerat. Qui digito ad os admoto, quantum in ſilentio boni eſſet demonſtrabat. Ita enim in re magna & nova fieri ſolitum. *Apul.* 1. Met. *Ille digitum à pollice proximum ori ſuo admovens, & in ſtupore attonitus ſtabat. Quintil.* l. 11. c. 3. *Digitos cum ſummi coierunt ad os referre, cur quibuſdam diſplicuerit neſcio. Nam & id leviter admirantes & interim ſubita indignatione velut paveſcentes & deprecantes facimus.* Igitur Pythagoras ſuis diſcipulis ſilentium, quod ἐχεμυθίαν dicebant, impoſuit, de quo *Plut.* lib. 1. de Curioſ. *Ambr.* 1. offic. c. 10. *Hieron.* in c. 3. Eccl. *Sidon.* Apoll. l. 7. ep. 9. *Cl.* Alex. 3. ſtrom. *Laërt.* l.8. Euſeb. contra Hieroclem confut. lib. 1. & alii. *Cæterum,* quamvis multi ſilentium Pythagoræorum præciſe ad quinquennium extendant, aliud tamen antiquorum ſcripta docent. De quo audiamus *Gellium* lib. 1. c. 9. Eum, qui exploratus ab eo idoneuſque fuerat recipi in diſciplinam, ſtatim jubebat, & tempus certum tacere, non omnes idem, ſed aliis aliud tempus pro æſtimatæ cultu ſolertiæ. Is autem qui tacebat quæ dicebantur ab aliis audiebat. Neque percunctari, ſi parum intellexerat, neque commentare quæ audierat fas erat. Sed non minus quiſquam tacuit quam biennium. Hi prorſus appellabantur intra tempus tacendi, quod Claudianus de Mallii Theod. Conſ. *annos ſilentes* vocat, audiendique ἀκουστικοί. *Apulejus* florid. XV. *Non in totum ævum tamen vocem deſueſcebant,*

ſcebant, nec omnes pari tempore elingues magiſtrum ſectabantur: ſed gravioribus viris brevi ſpatio ſatis videbatur taciturnitas modificata. Cæterum de *Apollonio* Tyaneo teſtatur Philoſtratus, eum ſibi ipſi quinquennale Silentium pertinaciter impoſuiſſe. lib. 1. de *vita Apoll.* cap. 11. Finis autem ſilentii hujus alius non erat, quam ut diſcentes initio intra modeſtiæ terminos ſe continentes, diſcerent diligenter voci præceptoris & doctiorum auditorum auſcultare. Unde & *Iob.* VI: 24. *Docete me & ego ſilebo.* Apul. *Florid.* XV. *Supra captum hominis animi auguſtior, primus Philoſophiæ nuncupator & conditor, nihil prius diſcipulos ſuos docuit quam tacere: primaque apud eum meditatio ſapienti futuro linguam omnem coërcere: verbaque quæ volantia poëtæ appellant, ea verba detractis pinnis, intra murum candentium dentium premere.* Nam non tam loquendi uſum iis interdixit, quam loquacitatem, ſive ut Cicero appellat, loquentiam. Non ignoravit præclariſſimus vir, vocem in vaginâ ſilentii conditam diutino torpore hebetari, nec magis uſui futuram quam naves gravedine oppletas, aures ſpiritu obſeratas, oculos albugine obductos, manus manicis reſtrictas, pedes pedicis coarctatos. *Apul.* Flor. XVII. Ergo inanes verborum ſtrepitus, non ipſum ſermonem utilem modeſtum hac ſalubri Medicina ſuſtulit Juvenalis Sat. 2.

Rarus ſermo illis & magna libido tacendi.

Plautus Epidico 1. *plus ſcire ſatius quam loqui.* Certe *Plato* qui omnia fere cum Pythagoricis communia habet. l. 6. de Republ. inter notas boni diſcipuli refert ζηλητικὸν εἶναι. Illud autem ſilentium Pythagoræorum erat vel attenta auſcultatio, vel modeſta & placida inquiſitio de rebus à præceptore propoſitis. *Claudianus* de Malii Theod. Conſul.

Quicquid Democritus riſit, dixitque tacendo
Pythagoras

Ex quo loco clara lux vexatiſſimo loco *Iud.* XVI. affulget.

Ubi quod multis mirum viſum eſt, dicitur: *Tacentes tota nocte dicebant.* Ebræa ita habent: ויחרשו כל הלילה לאמר *Munſt. tacentes tota nocte dicebant. Iunius: conticebant tota illa nocte, dicentes. Druſius* in hunc locum negat חרש ſumi pro ſubmiſſe loqui. Ipſe tamen non ſatis ſibi conſtat. Difficultas omnis ex eo oritur, quod abſurde facit qui tacere ſe dicit, *quod idem dicendo tacere ſeſe non tacet, & ipſa profeſſione quod profitetur infirmat*, ut *Apul.* in Apol. loquitur. Verùm enim verò, quemadmodum Pythagoræi quinquennium ſilere dicebantur, non quod prorſus omni ſermone abſtinerent ut κωφὰ πρόσωπα: ſed quod rarius, quod ſubmiſſius, quod timidius loquerentur: ita & obſervatores Palæſtini tacebant, ſcil. apud alios, apud plebem volgivagam, ipſi inter ſe ſceleris conſcii. Niſi tamen לאמר de λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, tacitis cogitationibus & conſiliis, quod in ſcriptura frequens eſt, ſumendũ ſit. De quo nunc agendi locus non eſt. Cæterum valde commendatur hoc Pythagoræorum ſilentium. *Iſidor.* in Buſiride τοὺς προσποιουμένους Πυθαγόρου μαθητὰς, μᾶλλον σιγῶντας θαυμάζομεν, ἢ τοὺς ἐπὶ τῷ λέγειν μεγίστην δόξαν ἔχοντες. *Quintil.* decl. 19. *Ex omnibus, Iudices, quibus humana pectora ſeriis gravibuſque complectuntur affectibus, nullam difficiliorem quam ſilentii credo virtutem*, & paulo poſt: *Crimen hoc in me mulier vocat, quod in priſcis illis morum mentiumque rectoribus fuit prima ſapientia, quod quaſdam totius vitæ pertuliſſe patientia magis illa miſera miratur antiquitas, quam quod temporum vices, ſiderum curſus & profunda naturæ velut conſcia ratione ſanxerunt.* Aliud ſilentium Sophiſtarum poſterioris ævi erat, qui affectata gravitate, neſcio quid ſecum ſubmiſſe loquebantur, quod mox evomerent. De quo *Perſ.* Sat. 3.

Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt.

Quod ab eo mutuatus eſt *Decius* Auſonius in epigram. Virgil.

—— *multi*

— multi quoque talia commeditantes

Murmure concluſo rabioſa ſilentia rodunt.

Monachis quoque Carmelitis perpetuum ferè ſilentium eſt: iidem carnibus non veſcuntur ſanctioris & rigidioris vitæ cauſa. *Pol.* Virgil. lib. VII. de Inv. Rer. cap. 3. Ita *Baſilidem* ſectatores ſuos ad morem Pythagoricum docuiſſe ſilere, *Euſebius* lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 8. tradit. Multi antiquorum tradiderunt, eos omnibus epulis per mortem paratis (ut *Quintil.* decl. 13. loquitur) abſtinuiſſe. Uſos autem oleribus, quam cœnam *Plautus* Captiv. terreſtrem, *Horatius* Epod. od. 2. *dapes inemtas* vocat. *Iuvenal.* Sat. 3.

Vive bidentis amans & culti villicus horti,

Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.

Et Sat. XV.

Pythagoras cunctis animalibus abſtinuit, qui

Tanquam homine & ventri indulſit non omne legumen.

De quo *Laërt.* l. 8. Nam quod de legumine addit, tradiderunt multi eos etiam fabis abſtinuiſſe. De utroque apponere placet verba *Auli Gellii* lib. 4. cap. XI. *Opinio*, inquit, *vetus falſa occupavit & convaluit, Pythagoram Philoſophum non eſitaviſſe ex animalibus. Idem abſtinuiſſe fabulo, quem Græci κυάμον appellant.* In quam rem Callimachum & Ciceronem citat. *Sed Ariſtoxenus*, inquit, *Muſicus nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quam fabis. Porculis quoque minuſculis & hædis tenerioribus victitaſſe, idem Ariſtoxenus refert. Plutarchus* quoque l. 1. de Homero Ariſtotelem ſcripſit eadem de Pythagoræis ſcripſiſſe, quod non abſtinuerunt edundis animalibus niſi pauca carne quadam. Horatius quid ſibi velit his verbis 2. *Serm.* Sat. 6.

O quando faba Pythagoræ cognata,

Vide *Heinſ.* Quæ utut ſe habeant, tamen certum eſt Ægyptios, unde omnia fere hauſit Pythagoras, certis quibuſdam cibis, præcipuè carne, & oleribus abſtinuiſſe. *Iuven.* Sat. 15.

Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illis fœtum jugulare capellæ.

Aben Eſra in c.46. ỷ.ult. *Ægyptios ab omni eſu carnium abſtinuiſſe* putat. Quod falſum eſſe ex antiquis demonſtrari poteſt. Verum eſt, omnes Ægyptios, Lycopolitanis & aliis nonnullis exceptis, ovilla abſtinuiſſe, ut Satyricus innuit, ſed non omni carne. *Lucan.* l. 10. de convivio Ptolemæi & Cæſ.

——— *Multas volucreſque feraſque*
Ægyptii poſuere Deos.

Sacerdotes tamen & ſacris dicati interdum inanimis contenti cibis, vino & carnibus, tanquam profanis ac nefariis cibis, abſtinebant: quod dum initiarentur, decem diebus fiebat. De quo vide *Apul.* l. XI. Mileſ. *Chæremon* Stoicus de vita antiquorum Ægypti ſacerdotum ſcribit, *eos ex eo tempore, quo cœpiſſent divino cultui vacare, carnibus & cruore abſtinuiſſe, ovum quoque & lac vitaviſſe, eorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicentes.* A quibus ille mos fluxiſſe videtur ad alios quoque. Nam *Brachmanes* nihil animatum edebant. *Euſeb. 6.* πϱοπ. Britanni leporem & gallinam & anſerem guſtare fas non putabant. *Cæſar.* l. 5. de B. G. Eſſeni carnibus ſemper abſtinuerunt. *Hieronymus.* Flaminibus Dialibus apud Rom. capram & carnem incoctam & hederam & fabam, neque tangere mos erat, neque nominare. *Gell.* l. 10. c. 15. ut alios prætereicam. Non igitur dubitandum eſt, quinetiam ipſe Pythagoras inde ſuperſtitionem in Græciam intulerit. Iidem exercendæ memoriæ cauſa, ſingulis diebus quid egiſſent, quid legiſſent, quid profeciſſent, in vita, in doctrina, veſperi commemorabant: benefacta laudem, malefacta vituperium merebantur, de quo more *Virgilius* ex Pythagoricis aureis ſub imagine viri boni, inter epigr.

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum

Omnia

Digitized by Google

Omnia quam longi reputaverit acta diei,

Quæ prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non.

Quod procul dubio eorum exemplo etiam *Indi* Gymnoſophiſtæ fecerunt: de quibus ita *Apulejus* Florid. VI. *ubi Menſa poſita, priuſquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt, magiſtri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius ſe commemorat inter duos arbitrum delectum ſanatâ ſimultate, reconciliata gratia, purgata ſuſpicione, amicos ex infenſis reddidiſſe; inde alius ſeſe parentibus quidpiam imperantibus obediſſe: & alius, aliquid meditatione ſua reperiſſe, vel alterius demonſtratione didiciſſe. Denique cæteri commemorant. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur.* Cumque totius Matheſeos, tum imprimis Muſicæ & amantiſſimus & peritiſſimus *Pythagoras* fuit. *Apulejus* Flor. XV. *Quintil.* l. 1. c. 16. Cujus perſpecta utilitate eam auditoribus ſuis quotidie tradebat. *Cicer.* 5. Tuſcul. *Diogenes Stoicus cæcus cum fidibus more Pythagoræorum uteretur.* Fiebat autem id mane & veſperi. Veſperi enim ἁρμονίᾳ ſedabant affectus commotiores: mane poſt ſomnum ſtupore & impuris ſomniorum imaginibus abactis, animos ea perpurgabant. *Plut.* l. de Iſide & Oſiride. *Boëth.* lib. 1. de Muſ. cap. 1. de quo ita *Quintil.* l. 9. c. 4. *Pythagoreis certe moris fuit, & cum evigilaſſent animos ad lyram excitare, quo eſſent ad agendum erectiores, & cum ſomnum peterent ad eandem prius lenire mentes, ut ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent.* Hanc enim vim antiquorum Muſica habebat, quæ & incendere animos & inflammare & lenire atque ad manſuetudinem redigere efferatos poterat. Ipſum etiam Pythagoràm accepimus concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes juſſo mutare in ſpondeum modos tibicine, compoſuiſſe. *Quintil.* lib. 1. Inſt. cap. 16. Habebat autem domi ſuæ plurimos juvenes, quos

quos ex collatis opibus alebat: eorumque converſatio κοινόβιον dicta eſt. *Gellius* l. 1. c. 9. quod omnia iis communia eſſent. *Laërt.* l. 8. omnes ſimul qui à Pythagora in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quiſque pecuniæ familiæque habebant, in medium dabant. Et colebatur ſocietas inſeparabilis tanquam illud fuerit antiquum conſortium, quod à communione appellabatur κοινόβιον. *Juſtinus* l. XX. de Pythagoræis: CCC. *ex juvenibus, cum ſodalitii jure ſacramento quodam nexi ſeparatam à cæteris civibus vitam exercerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt, quæ eos, cum in unam domum conveniſſent, cremare voluit, &c.* Vide etiam *Laërt.* l. 8. & *Ciceronem* lib. 1. de Legg. Hunc morem κοινοβίου apud Judæos imitati ſunt *Eſſeni*: qui omnia communia habebant: Quæſtor conſtitutus, qui neceſſaria procurabat. Vide *Euſeb.* lib. 8. πραπ. cap. 4. ex Philone Judæo.

CAP. XIII.

Sectarum diſcrimina & teſſeræ. Barba. Cujus magna authoritas. Baculus. Abolla. Eſſenis veſtitus communis. Diſcipuli Doctorum vitia imitabantur. Magorum & Ægyptiorum habitus. Veſtis longa.

ILlud ſemper egerunt ſectæ uſque ab initio originis ſuæ, ut quocunque modo à cæteris diſtarent. Unde quod uni placuit, alteri diſplicuit: hic ita, alter aliter ſe gerebat denique:

Omnia pugnabant adverſis frontibus ——

Cumque præcipuum diſcrimen in dogmatis ſitum eſſet, tamen etiam veſtitu, ſtilo aliiſque rebus differre, pulcrum videbatur. Communes quaſi ipſorum teſſeræ, quibus ſe à vulgo diſcernebant, erant pallium. Vide *Gell.* l. 9. c. 2. & l. 13. c. 8. Barba prolixa, baculus & pera ſive grande marſupium. Barbam alere frequens ipſis Philoſophis & proprium

prium inſigne. Quam ideo *ſapientem* Poëta vocavit. *Horat.* II. Serm. 3.

—— tempore quo me
Solatus juſſit ſapientem paſcere Barbam.

Ipſi autem Philoſophi *Barbati Magiſtri* frequenter dicti ſunt. *Perſius* Sat. 4.

——— Barbatum hæc crede Magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

Iuven. Sat. 14.

Barbatos licet admoveas mille inde Magiſtros.

Cynici tamen præ cæteris in hoc ſuperſtitioſi erant. *Perſ.* Sat. 1.

——— multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Quorum Magiſter *Zeno* inter ἄπτα ſua & illud habebat: *Barbam, ſicut vitem, rariſſimè tondendam. Eam autem optimam quæ maximè prolixa. Quare à novacula immunem habendam, niſi forte ſecus neceſſitas præſcribit.* Puta ſi Phitiriaſis accedat. *Laërt. Heinſ.* l. 2. de Sat. Horat. Et Græci atque Armenii ſummam olim in barba religionem poſuerunt: adeoque peccatum mortale illis viſum fuit & ſumma ignominia, barbam radere, teſte I. *Mandevill.* Itinere. cap. 2. Quid quod olim barba intonſa & ipſa in Deorum palatia venit? Nam Campani Jovem Auxyrum colebant, quaſi dicas Jovem irraſum, ab ἀνὰ & ξυράω. Non quod imberbis fuerit, ut quidam putant, ſed quod intonſus, & barbatus. Vide *Comm.* ad *Virgil.* Ægyptii tamen Sacerdotes & Stoici aliud ſtatuebant. Nam Ægyptii Sacerdotes omnes pilos totius corporis ſtudioſè tertio quoque die eradebant, ne quid inter Deorum cultum pediculorum aliarumve ſordium crearetur. *Apul.* lib. 2. Mileſ. de *Zachla* Ægyptio. *Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedeſque palmeis baxeis*

Bbb *indu-*

Digitized by Google

indutum & obuſque deraſo capite producit in medium. Martialis l. 10.

Ecce pilata redit jamque ſubitque cohors.

Stoici etiam ad cutem uſque raſi erant. *Perſ.* Sat. 3.

Inſomnis quibus & detonſa juventus,

Antiqui Romani intonſi erant & barbati. *Iuven*. Sat. 16.

Et credam dignum barba dignumque capillis
Majorum.

Horatius etiam *Catonem intonſum* vocat. *Quintil.* l. 12. c. 10. *do tempori ne craſſa toga ſit, non ſerica, ne intonſum caput ſit.* Mox: *mos hic priſcorum Quiritum evanuit.* Cauſa autem cur uterentur barba promiſſa non alia erat, quam quod neſcio quam Majeſtatem conciliat & ſeveritatem. *Diogenes* interrogatus, cur tam magnam nutriret barbam: Reſp. *ut eam videns*, inquit, *& tangens virum me eſſe meminerim.* Unde & homines ſanctitatem barbâ affectabant.

Egnati, opaca quem bonum facit barba.

Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 22. *qui ſapientiam capillis & habitu jactant.* & lib. 5. cap. 2. de Pſeudophiloſopho: *vitia ſua capillis & pallio prætegebat.* Priſci autem Philoſophi nihil adeo affectabant quam ſeveritatem & triſtitiam. *Perſ.* Sat. 3.

——— *non ego curo*
Eſſe, quod Arceſilas ærumnoſique Solones
Obſtipo capite & figentes lumine terram
Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt.
Atque exporrecto trutinantur verba labello
Ægroti veteris meditantes ſomnia.

Quintil. proœm. l. 1. Inſt. de ſui temporis Philoſophis. *Non virtute ac ſtudiis ut haberentur Philoſophi laborabant, ſed vultum & triſtitiam & diſſentientem à cæteris habitum peſſimis moribus prætendebant.* & l. 12. c. 1. *non convenit barbæ illi atque triſtitiæ.* Unde & in luctu barbam promittebant.

Philo-

Philoſophis à *Luciano* τρίβων, abolla Cynicis peculiariter objicitur à *Martiale*. *Auſon.* in epigram.

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici, ſed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus cernens potare ſubulcum
Cur ſcyphe te dixit, geſto ſupervacuum.

Hinc apud Judæos veri Prophetæ aliquando uſi videntur tunicis villoſis. Quod falſi, ut populo ſe commendarent, imitati ſunt. Hinc veſtem ejuſmodi Pſeudoprophetis tribuit *Zacharias*, quam χιτῶνα λάσιον vocare poſſis. Vide *Matth.* VII: 15. Et *Iohannes* Baptiſta, qui ut *Chryſoſtomus* notat, ubique fere eum ſecutus eſt, veſtito hirto utebatur. Unde ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου dicitur. Falſo autem ei χιτῶνα λάσιον tribuit *Beza* in Math. ſecutus *Prudent.* Cathem. Hymn. 8. Aliud enim λάσιος, aliud τρίχινος χιτών. Eliſa uſus eſt μηλωτὴ ſive *Adderech*. Vide *Heinſ.* cap. v. ad Nonnum. *Phariſæi* præ cæteris Judæis fimbrias & φυλακτήρια nimio ambitionis ſtudio geſtabant & dilatabant: quibus etiam ex malo intellecto loco *Num.* 15: 37. & *Deut.* 22: 12. ſingularem ſanctitatem conciliari putarunt. *Eſſeni* autem ut bonorum, ita & veſtium communionem habebant. *Philo* apud Euſebium lib. 8. προπ. cap. 4. *Communis ipſis non menſa ſolum, verum etiam veſtis tenuis quidem omnis, ſed gravior in hyeme; quæ uno depoſita loco eſt unde unuſquiſque indifferenter aſſumit.* & lib. 9. προπ. c. 1. ex Porphyrio: *alba ſemper induuntur. Veſtem & calceos antequam omnino tempore dirumpantur, non mutant.* Interdum etiam ad ridiculas Doctorum imitationes diſcipuli ſe componebant, qui ab antiquis *Pſeudo-philoſophi* dicebantur quorum deſcriptionem & vituperationem vide apud *Gell.* l. 9. c. 2. *Quintil.* procem. Inſt. l. 1. & l. 2. c. 17. *Lactant.* l. 3. c. 15. & l. 5. c. 2. Quidam *Platonis* diſcipuli conabantur ejus humerorum latitudinem exprimere: alii Ariſtotelis

ſectatores ejus balbæ linguæ vitium. *Plut.* l. de aud. Poët. & lib. de diff. adult. Merito quis exclamet: *ô imitatores ſervum pecus.* Sic hodieque videas quoſdam, ut docti videantur, vacillantibus literis & male compoſitis inter ſcribendum uti. *Magis* Perſarum veſtis candida, lectus humus, eſca olus, caſeus, panis, cibus erat. Arundine pro baculo utebantur, cujus in ſummitate præfixum caſeum ori applicantes mandunt. *Laërt.* lib. 1. *Euſebius* l. contra Hierocl. confut. lib. 3. *Scipionem ſinguli ferunt, annulumque virtutis occultæ atque admirandæ planetarium geſtant.* Ægyptii ſacerdotes lineo tamen veſtimento, ut puriſſimo, utebantur, laneum ut profanum rejiciebant, quæcunque è terra naſcuntur munda eſſe exiſtimantes. *Herod.* lib. 2. Error tamen eſt quod à Pythagora hoc eos accepiſſe Græci tradunt, qui uti ſæpe dictum, inde omnia ſua hauſit. Et craſſior error P. *Virgil.* quæſt. IV. de Inv. Rer. 7. putat *Ebræos Sacerdotes mutuatos eſſe veſtitum ſuum ab Ægyptiis.* Nam hoc fecerunt ex mandato Dei, qui, num quæ mutuarentur à tam profana gente? Cæterum de illis Sacerdotibus ita loquitur Apulejus l. XI. Mileſ. *Antiſtites ſacrorum Iſidis, proceres illi, qui candido linteamine, cinctum pectorale adnſus veſtigia ſtrictum injecti.* Alibi: *linteo undique me contectum amicimine.* & in Apol. *mirum non eſt hominem tot myſteriis Deum conſcium, quædam ſacrorum crepundia domi adſervare, atque ea lineo texto involvere, quod puriſſimum eſt rebus divinis velamentum. Quippe lana ſegniſſimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ ſcitis, profanus veſtitus eſt. Sed enim mundiſſima lini ſeges inter optimas fruges terra exorta non modo indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus, ſed opertus quoque in rebus ſacris uſurpatur.* De *Zachlante* ita lib. 2. Mileſ. *Zachlas adeſt Ægyptius, propheta primarius. Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedeſque palmeis*

palmeis baxeis indutum & obuſque deraſo capite, producit in medium. Ita Sacerdotes Idololatræ ſacris ſcriptoribus à nigro & lurido veſtitų כמרים dicuntur. *Hoſ.* 10: 5 *Zeph.* 1: 4. Et notandum illud eſt, longis plerumque veſtibus uſos priſcos Sapientes. De *Ægyptiis* res ex locis citatis clara. De aliis *Prop.* l. 2. el. 31.

Pythius in longâ carmina veſte ſonat.

Virgil. l. 6.

Nec non Threicius longâ cum veſte Sacerdos.

De Pallio autem, propria Philoſophorum veſte, res notiſſima eſt. *Apul.* Florid. IV. *pallio cadavera operiri & Philoſophos amiciri. Diogenes* Cynicus, ut quidam volunt, pallium primus duplicatum in uſu habuit. *Laërt.* l. 6.

Cap. XIV.

Sectæ ſtilo diſcrepabant. Plato copioſus. Ariſtoteles ſtrictus. Stoici ſubtiles. Epicurei negligentes. Acetum ingenium acuere putabatur.

Stilus quoque & loquendi forma, qua ſectarum conditores uſi, diverſus erat. Diu quidem patria lingua contenti, alienas addiſcere ſuperſedebant. Præſertim antiquiores Græci alias gentes præ ſe barbaras putabant. Romani verò addiſcebant Græcam imprimis, quæ late per Aſiam & Europam florebat. *Plato* omnium Philoſophorum præcipuus, uberem, amplam, uno verbo Ulyſſeam Orationem affectabat, quæ hybernarum nivium inſtar aut torrentis lectores & auditores rapit. *Quintil.* l. 10. c. 1. *Plato eloquendi facultate divina quadam & Homerica, multum ſupra proſam Orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit, ut mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur Oraculo inſtinctus.* Unde veteres dicebant; *Iovem, ſi Græcè loqui voluiſſet, Platonis lingua fuiſſe locuturum. Plut.* in Cicero. *Cic.* l. de claris Orat. *Apul.* 1. de dogm. Plat. tradit eum, *Sapientiæ à Socrate ſibi traditæ eleganti*

perque venuſtâ majeſtate verborum plurimum adhibuiſſe dignitatis. Ariſtoteles oratione eleganti quidem ſed accurata, nervoſa, ſtricta utebatur, quæ proximè ad obſcurum dicendi genus accederet. *Stoici* ſubtilitatem & gracilitatem Menelai æmulantes, modeſta & ſobria Oratione utebantur, ſtudioſe verborum Origines exquirebant. *Cic.* I. offic. de quibus ita *Quintil.* l. x. c. I. *Minus indulſere Orationi Stoici veteres, ſed cum honeſta ſuaſerunt, tum in colligendo probandoque quæ inſtituerant, plurimum valuerunt, rebus tamen acuti magis, quam id quod ſane non affectarunt, Oratione magnifici. Epicurus* verborum curas & elegantias non modo non ſectabatur, ſed etiam inſectabatur. *Gell.* l. 2. c. 9. ſummè tamen perſpicuitatis ſtudioſus fuit, ut nihil aliud quam Orationis perſpicuitatem inquirendam moneret. De his & aliis audiamus optime dicendi Magiſtrum *Quintil.* l. 12. c. 2. *Quæſtio exoritur, quæ ſecta conferre plurimum eloquentiæ poſſit, quanquam ea non inter multas poteſt eſſe contentio. Nam Epicurus nos imprimis à ſe ipſo dimittit, qui fugere omnem diſciplinam navigatione quam velociſſime jubet. Neque vero Ariſtippus ſummum in voluptate corporis bonum ponens ad hunc nos laborem adhortatur. Pyrrho quidem quas habere in hoc opere partes poteſt, cui judices eſſe, apud quos verba faciat, & reum, pro quo loquatur & ſenatum, in quo ſit dicenda ſententia, non liquebat? Academiam quoque quidam utiliſſimam credunt, quod mos in utramque partem diſſerendi ad exercitationem forenſium cauſarum proxime accedat. Adjiciunt loco probationis, quia ea præſtantiſſimos in eloquentia viros ediderit. Peripatetici quoque ſtudio quodam ſe Oratorio jactant. Nam theſes dicere exercitationis gratia fere ab his eſt inſtitutum. Stoici, ſicut copiam nitoremque eloquentiæ fere præceptoribus ſuis defuiſſe concedant neceſſe eſt: ita nullos aut probare acrius aut concludere ſubtilius contendunt.* Hæc ille. De Stoicorum Acad. & Peripat. dicendi

chara-

charactere. vide etiam *Gellium* l. 7. c. 14. Cæterum acerrimi diſputatores aceto utebantur ad acuendum ingenium. *Varro* de acri diſputatore dicit: *Eum aceti cupas in pectore habere. Perſ.* Sat. 5.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Et Sat. 1.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero,
Auriculas.

Plaut. Pſeud. 2. 4. *Ecquid habet is homo aceti in pectore?* Cauſa quod acetum omnium maximè frigorificum eſt. *Gellius* l. 17. c. 8. Unde & frigida nonnunquam uſi: velut *Demoſth.* ὑδροπότης ad aquam ſcribere ſolitus, *Luc.* in Encomio Demoſth. *Quintil.* l. 10. c. 6. Nam falſum eſt eum à natura abſtemium fuiſſe & invinium: cum vinum biberit teſte *Plutarch.* in Demoſth. & *Brodæo* in Miſcell. Contra Poëtæ vino indulgebant. *Propert.* l. 4. el. 6.

Ingenium potis irrigat Muſa Poëtis
Bacche ſoles Phœbo futilis eſſe tuo.

CAP. XV.

Initio nulla Philoſophorum præmia. Poſtea ſalaria conſtituta. Liberalitas Regum erga Philoſophos. Mercede docebant. Ædes divitum frequentabant. Diſcipuli ritibus quibuſdam initiati. Depoſitio. Eſſenorum mos in recipiendis ſectatoribus.

INitio, cum ipſi Reges & Principes Philoſophiæ ſtudiis fere ſoli incumberent, nullum ſapientiæ præmium præter perennantis famæ conſtitutum eſt & honoris eximii. *Hieronymus* in cap. 3. Jonæ admiratur humanæ ſapientiæ dignitatem, quod *Philoſophi velut Reges habeantur hominum, eorumque præcepta, non ut præcepta mortalium, ſed quaſi oracula Deorum accipiantur.* Majori etiam in gloria Philoſophi, quam Oratores fuerunt apud Græcos, quod recte vivendi Doctores ſint exiſtimati. *Laërt.* 1. Inſtit. c. 1. Unde cum

cum priſca Theologia adhuc floreret, non alii ea myſteria dignè tractare putabantur quam Philoſophi. Salaria demum iis conſtituta cum minus æſtimarentur, eaque ſatis magna. *Strato* Philoſophus à Ptolemæo Philadelpho talentis 80. hoc eſt, Coronatis 48000. donatus eſt. *Laërt.* *Ariſtoteles* ab Alexandro 800. talentis. *Plut.* in vita Alex. Magni. Certatim enim Reges ac Magnates eos præmiis afficiebant. vide etiam *Lipſium* cent. 1. ep. 76. de Salariis veterum Doctorum. Quæ tempora *Ovid.* l. 3. de Arte amandi reſpicit.

Cura Ducum fuerant olim Regumque Poëtæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majeſtas & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ ſæpe dabantur opes.

Protagoras mercede primus docuiſſe traditur. *Gell.* l. 5. c. 3. *Apul.* Flor. XVIII. *Quintil.* l. 3. c. 1. Poſtea hic mos ubique introductus, adeo ut *Iuvenalis* Satyrica licentia caſtigandum putarit *Sat.* VII. quod

Scire velint omnes, mercedem ſolvere nemo.

Neque injuria: cum plerumque paupertati ſapientia affinis ſit; quam Satyricus eleganter *bonæ mentis ſororem* vocat. *Apul* in Apol. *idem mihi etiam paupertatem exprobavit, acceptum Philoſopho crimen & ultro profitendum. Quintil.* l. 12. c. 7. *Si res familiaris amplius quid ad uſus neceſſarios exiget, ſecundum omnes ſapientium leges, patietur ſibi gratiam referri, cum & Socrati collatum ſit ad victum, & Zeno, Cleantes, Chryſippus, mercedem à diſcipulis acceptaverint, neque enim video, quæ juſtior acquirendi ratio, quam ex honeſtiſſimo labore & ab his de quibus optimè meruimus.* Tandem Philoſophi, niſi eſurire mallent, exſpectare in ipſis ditiorum ædibus diſcipulos, quos docerent, cogebantur. Salſè *Dionyſius* quendam hujus generis interrogabat: *Cur Philoſophi divitum oſtia viſitent, divites Philoſophorum minimè. Quia,* inquit,

inquit, *illi noverunt quibus indigeant, hi vero minime. Laërt.* lib. 2. de qua re, collatis priſcis ſeculis, ubi Philoſophiæ ſtudioſi longam viam, nec ſine capitis periculo, commeabant ad Doctores, graviter conqueritur *Taurus* apud *Gell.* lib. 6. cap. 20. *Nunc*, inquit, *videre eſt Philoſophos ultra currere, ut doceant, ad fores juvenum divitum, eoſque ibi ſedere atque operiri ſæpe ad meridiem, donec diſcipuli nocturnum omnes vinum edormiant*. Fuit etiam antiquis temporibus moris, eos, qui in diſciplinam Philoſophorum ſe darent, certis quibuſdam ritibus officii admonere, & velut initiare. Quo ſpectabat Pythagoræ ἐχεμυθία. Sophiſtarum quoque tempore novitii ſtudioſi cavillis & ludibriis auditorum excipiebantur, de quo more *Ennapius* in Sophiſtis. Poſterioribus ſeculis *depoſitio* vocabatur, quem ritum etiam *Olympiodorus* deſcribit. Quod totum negotium myſticum eſt, & hieroglyphicum: de quo extat judicium Lutheri. Cæterum etiam *Eſſeni*, qui vel ſoli Philoſophorum nomine digni apud Judæos ſunt, non ſtatim, ſed poſteaquam foris anno integro iiſdem moribus vixerunt, diſcipulos ſuſcipiunt. Unà vero cum illis vivere non licet, niſi duobus aliis annis patientiæ ſigna dederint. *Porphyrius* apud Euſeb. l. 8. πϱοπ. c. 1.

CAP. XVI.

Gradus dignitatum in Philoſophia apud Sinenſes. Apud Europæos tres, Baccalaureatus, Magiſterium, Doctoratus.

NEque dubium eſt, quin jam olim certi honores Philoſophorum fuerint, quorum ſpe excitarentur ſtudioſi, ut eo attentius ſtuderent. Nam & ex diſcipulorum ſubſelliis non putarim quenquam, ſine authoritate Doctoris ſui, inter Philoſophos ſe contuliſſe. Sanè apud Sinenſes, Aſiæ extremæ maximos populos & literarum ac Philoſophiæ laude florentiſſimos, diu is mos viguit. Apud quos

optimo conſilio inſtitutum legimus, ſeveriſſimè examinari, priuſquam gradus conferatur. Cum jam gradum honoris obtinent, tamen quotennis rurſum examinantur, ea lege, ut ſi non profecerint, eo rurſum excidant cum maximâ ignominia. N. *Lomb.* Epiſtola de ſtatu regni Sinenſis. In Europa diu obtinuerunt hi gradus. Prima dignatio poſt confectum curſum Philoſophicum *Baccalaureatus* vocatur. Vocem quidam à baculo deducunt, quod jus ejus gerendi haberent. Sanè βακτηρίαν φορεῖν olim honorificum, præſertim apud Athenienſes, & non niſi eorum, qui eximium quid ſuper alios habere geſtiebant. *Caſaub.* ad Theophr. Quid quod & Poëtæ atq; vates δαφνίνην βακτηρίαν ſibi velut propriam vindicabant, ut ex *Lycophrone* & *Æſchyle* idem docet. Magi quoque inter ſacrificia, dum hymnum Diis canerent, virgas manu tenebant, de quo vide Joh. *Seld.* Synt. 2. cap. 8. de diis Syris. Aliis vox dicta videtur à *baccis lauri.* Quaſi qui honorem illum conſecuti, ſoli coronati ſint. De quo *Ioh.* Deſpauterius Ninivita in Gramm. ſua, ubi Barbara vocabula recenſet: *Baccalarius, pro Baccalaurio, qui baccâ lauri inſignitus eſt in Arrham Magiſterii. Dura tamen vel ſic eſſet compoſitio. Vnde videtur barbarum à banco, ſuper quod reſpondens ſederit, deductum, vel à baculo, id eſt, ſceptro aut lituo inſigni magiſtratus ante eum lato. Vives* lib. 1. de cauſis corrupt. artium rem aliter repetit, qui à veterum Gallorum militia vocem deducit. Gallorum enim antiqua lingua *batalum* dicebatur prœlium. Tyrones, qui primitus ſui Tyronicium feciſſent, *battalarii.* Vox hodieque durat. Hinc Pariſiis, ubi Scholaſticæ hæ promotiones videntur, non quidem natæ, ſed renatæ *Caroli* Magni ævo, Battalarii dicti, qui confecto literarum & humanitatis Tyrocinio, publicè cum inſcitia conflixerint. Sed corruptè Baccalarios Baccalaureos dici pro Battalariis cœpiſſe. Alter honor *Magiſterium* vocatur. Vocem *Magiſter* non nemo deſcen-

deſcendere à Græco *μαγίσωρ*, qui dictus quaſi *μαγίας ἴσωρ*, arbitratur. Sed huic origini ne ipſe quidem fidit: nam obſtat generalis notio vocis, quæ omnibus artis ſuæ peritis tribuitur. Deduxerim vel à voce *μήσωρ* vel à *major*. A *μήσωρ* ideo: quia ea vox *Homero* inſigniter catum & peritum notat: qui Heroas *μήσωρας φόβυ* vocat. Unde & antiquos ſcripſiſſe *Mageſter*. *Quintil.* l. 1. Inſt. c. 5. & *Voſſius* l. 2. de Anal. c. 5. oſtendunt. A *major* ideo: quia illa vox propria Doctorum Philoſophiæ oppoſita minoribus. *Apul.* Flor. VI. *Sapientiam percolunt, tam Magiſtri ſenes, quam diſcipuli minores.* Et in Apologia. *majores meos, Ariſtotelem dico, & Theophraſtum, & Eudemum, Lyconem, cæteroſque Platonis minores.* Doctoratus inſigne apud Judæos fuit clavis cum pugillaribus. Ad quod alludit *Chriſtus* Luc. XI: 52. Nam loquitur ibi de νομικοῖς, qui legem in Scholis interpretabantur. Ita de quodam R. *Samuele* ſcripſerunt: *eo mortuo clavem ejus & pugillares in loco fuiſſe reconditos, eo quod filium non haberet. Camero* in Myroth. ad Matth. XXII: 35. & ad Luc. XI:52. Cæterum ex Luca patet, illam clavem notaſſe Doctores omnem ſcientiam pectore ſuo quaſi concluſam gerere, & eam aperturos diſcentibus. Vocatur enim κλεὶς τῆς γνώσεως. Poteſt etiam dici clavem illam notaſſe ſecreta Doctoratus, quæ non quibuſvis βεβήλοις, ſed dignis tantùm communi cauda eſſent. Quo reſpexiſſe *Horatius* videtur

—— *Odiſti claves & grata ſigilla.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Verborum ac rerum locupletiſſimus.

A.

ABacus *Eruditorum.* 368
Abaris *Scytha Philoſophus.* 225
Abel *Philoſophus.* 58
P. Abelardus *primus Philoſophus ſcholaſticus.* 296
Abi Abdillas *Philoſophus Damaſcenus.* 292
Abigail *ſapiens.* 130
Abnebo *Ægyptius ſummus Pontifex.* 272
Abolla *Cynicorum & Prophetarum.* 379
Aborigines *Reges & Philoſophi.* 234. *ſeq.* vid. Italicorum *ortus.* 69
Abrahamus *in Ægyptum pulſus, dictus Abram.* 113 *ſeq Ægyptios Phœnices & Chananæos docuit* ibid *initiò Magus, tum Hebræus Philoſophus.* 112. ejus *liberi colonias duxerunt.* 113. *an munera Diabolica à parente acceperint* ib.
Academia *unde dicta?* 149. 340. varia, *Alexandria.* 344. *Arabum.* 289. 293. *Chriſtianorum.* 344. *Ciceronis.* 247. *Græcorum.* 340. *in Inſula Lerina.* 280. *Iudæorum.* 343. *Pomponii Attici.* 251. nova *differt à ſcepticis.* 211. 218. *ſeq. dubitavit de ſenſuum judicio.* 219. *Philoſophia damnoſa.* 217. ejus *origo,* 219. *& author Arceſilas.* 220
Academici *rixati cum Stoicis.* 221. *dubitabant.* 219. 365. *Philoſophis infenſi.* 222. *turbant neophytos Chriſtianos.* 276. *ab Auguſtino confutati.* 276. de iis *judicia Patrum.* 222
Achitophel *ſapiens.* 131
Acetum *ingenium acuere putabatur.* 383
Actimus *Græcas literas invenit.* 331
Adam *Philoſophus.* 57. *Philoſophiâ naturali præditur.* 8. *ejus lapſus fabulâ Echonis & Panis adumbratur.* 47
Admiratio *cauſa & initium Philoſophiæ.* 53. 82. 370. de eâ *Ethnici non rectè ſenſêre.* 54. *ſeq.*
Ægyptii *ab Abrahamo edocti.* 112. 113. *admodum antiqui.* 82. *proximi Aſſyriis Philoſophi.* 81. *varias artes excoluêre.* 95. *ſeq. præcipuè Aſtrologiam.* 138. *ab Hebræis multa hauſerunt.* 115. *ſeq animalibus an abſtinuerint:* 273. *per ænigmata docuerunt.* 353. *breves in docendo.* 349. *dicti Sacerdotes & prophetæ, in ſacris ſapientes* כהנים. 95. *Deos plurimos coluere.* 82. *ſeq. obſcuri & invidi.* 349. *Muſicam prohibebant.* 356. *templis inſcripſere γνώμας.* 351. eorum *habitus.* 380. *literæ duplices.* 351
Ægyptus *à Græcis viſitata.* 136. *ſeq.*
Æneas *Philoſophus Trojanus.* 155. 235

Ænig-

Ænigmata *antiquis Philoſophis uſurpata. item Regibus.* 353. *Heraclitiorum.* 368
Æoli *ab Eliſâ dicti.* 140. 143
Æſopi *fabulæ.* 159
Æternitatem *ſapientiæ multi tribuerunt.* 15
Æthiopia *Saba dicitur.* 132
Æthiopes *à Moſe ſapientiam hauſerunt.* 98. *antiqui & φιλαρχαῖοι.* 81. 98. eorum *nomina confuſa cum Ægyptiis.* 98. *& cum Indis.* 104
Aëtius *philoſophiâ abuſus.* 279
Afri *vide Arabes.*
Africa *ab Afro.* 113. *à Phœnicibus philoſophiam accepit.* 224
Agonaces *magus inſignis.* 79
Rod. Agricola *Philoſophus.* 305. *Profeſſor Heydelbergenſis.* 306. *occaſionem dedit Rameæ ſectæ.* 320
Corn. Agrippa *Diabolo ſe mancipavit.* 316. *Lulliſta.* 318. ejus *calumnia de origine ſcientiarum.* 6
Aharon *& Moſes conjuncti.* 128. *ſeq.*
Alanus *Gallus Philoſophus.* 301
Albertus Magnus *ſcholaſticus, philoſophiam ante obitum oblitus.* 298
Albertiſtæ. 298
Alcoranum *unde collectum?* 286
Alexander Aphrodiſæus *philoſophus.* 259
Alexander de Ales *Lombardi commentator.* 297
Alexandria *doctos viros alit.* 214. *Scholis celebris.* 344
Alexandræi. 259
Allegoriæ *Platonis.* 361
Almamonis *Arabis ſtudium philoſophia.* 286
Alpharabius *philoſophus.* 292
Ambroſia *Deorum eſca.* 24
Ambulationes *philoſophorum.* 341. 360
Ammonius *philoſophus.* 273
Amoris *ſtatua ornamentum ſcholarum.* 345
Amphion *philoſophus.* 163
Anabaptiſtæ *philoſophiam rejiciunt.* 316. 321
Anacharſis *Scytha philoſophus.* 225
Anatomia *ab Ægyptiis exculta.* 96
Anaxagoras *Pyrrhonius.* 210
Anaxarchus *Abderita Scepticus.* 210
Anaxilaus *Laryſſeus Pythagoricus, Magus.* 254
Angelus Baſſus Polirianus *philoſophus.* 305 *impius.* 312
Angelorum *lapſus ex nimiâ ſcientiæ affectatione ortus.* 10
Anglia *multos philoſophos habuit.* 301
Animus *Stoicis ignis dictus.* 17
Annæus *Cornutus philoſ. Romanus.* 254
Antiochus *quidam philoſophorum ſyncretiſmum tentavit.* 323
Antiquitas *Ægyptiorum.* 82. *Arcadum.* 69. *ſeq. Æthiopum.* 98. philoſophiæ *competit Chaldæis.* 71. *eam Græci affectant.* 136. de eâ *cum Ægyptiis Scythæ certarunt.* 225. *Gentes ridicule diſputarunt.* 69
Antiſthenes *Cynicorum author.* 208
M. Antoninus *philoſophus.* 258. *quatuor tantum ſectas philoſophorum tolerat.* 278
Apis *Deus unde & quis?* 85
Apollo, *in actis. Philoſophus.* 268
Apollo *gentilium* unde? 42. dictus *Cyllenius.* 42. *Kolmuſar.* 143. λοξίας. 42. *Mercurius.* 35. *Pan.* 46. *Pythius.* 35. 42. *ſerpentes geſtat.* 35. *ſolem notat.* 34. 37. 46. ejus *loca philoſophandi.* 339. *officia varia.* 31
Apollonius *Tyaneus litem Patribus movit.* 271. *Chriſto ſe aſſimilat.* 273
Apologorum *origo.* 357
Ἀποζημιώσεως *quid.* 360
Apoſtoli *in quas provincias ſinguli profecti.* 266. *literis exculti, quatenus rejecerint philoſophiam* Gentilium? 267
Apotheoſis *Ethnicorum.* 19
Apulejus *Platonicus.* 274. *magus.* 275
Arabiæ *deſerta loca philoſophandi.* 338
Arabes *in linguam ſuam verterunt Ariſtotelis.*

ſtotelis ſcripta. 290. *habent academias.* 289. 293. eorum *philoſophia antiquiſſima.* 283. *incrementum in Hiſpaniâ capit.* 289. *ſeq. in multis defecit.* 292. *philoſophi.* 290. *ſequaces Rabbini.* 294

Aramæi *cum Sarmatis iidem.* 225

Arcadum *antiquitas.* 70

Arceſilas *academia nova author.* 220. *zenonis antagoniſta.* ibid. dubitat. 365

Archimedes *philoſophus Siculus.* 214

Architas *philoſophus.* 179

Argyropolus *Græcus Romæ philoſophiam docet.* 305

Ares *unde & quis?* 34. *ſeq.*

Arimaſpi *iidem cum Aramæis.* 225

Arion *philoſophus.* 163

Ariſtippus *conditor ſectæ Cyreniaca.* 204. *Rhodios docuit.* 212

Ariſto *Chius philoſophus.* 201

Ariſtobulus *in Iudæâ Ariſtotelis ſectator.* 229

Ariſtoteles *Bononienſis architectus.* 316

Ariſtoteles *criticus.* 216. *peripatetica ſectæ author.* 194. *philoſophorum princeps.* ibid. *Platoni præceptori contrarius.* 192. *eum tamen debitis laudibus affecit.* 193. *præceptor Alexandri.* 194. *reprehenſionem in aliquibus meretur.* 197. ſtrictus. 382. ejus authoritas *ſub ſecundâ Scholaſticorum ætate gliſcit.* 297. *ſeq. apud Ieſuitas, Italos & Vngaros nimia.* 315. encomium. 194. *ſeq.* error *de philoſophiâ naturali.* 9. ἐξωτερικὰ & ἀκροαματικὰ *qualia fuerint?* 362. ſcripta *plurima.* 335. *neglecta & corrupta.* 195. *Arabicè verſa & magni ab iis habita.* 290. *à Caracallâ abolentur.* 278. *recepta ab Arabibus.* 286. *rara.* 196. 297. Ethica *in Latinum verſa.* 303. Sectatores *Theophraſtus.* 197. *in Iudæa Ariſtobulus.* 229. *&c.* ei *contrarius Chryſippus.* 201. *mortuo honores exhibiti.* 197. de ipſo *quorundam judicia.* 363

Arithmetica *ſedulò à Pythagora exculta.* 178

Arriani *heretici.* 316. *philoſophiâ abuſi.* 279

Artemonitæ *philoſophiâ abuſi.* 279

Artes liberales(*vide* philoſophia) *à Muhammede prohibita.* 286. earum *omnium præſes & patrona Pallas.* 27

Aſia *unde appelletur?* 63. ejus *philoſophia.* 308

Askenas *quis?* 117

Aſſyria *ab Aſſure.* 113

Aſſyrii. *aliàs Babylonii, Phœnices & Chaldai dicti.* 71. *primi philoſophi.* ibid. *pro quibuſvis aſtrologis ſumuntur.* 72. *cur maximè aſtrologia dediti?* 73. eorum *philoſophi vocantur Magi.* 73

Aſtrologia *armis inſculpta* 154. ejus inventio *Ægyptiis.* 96. 138. *& Belo ſeu Nimrodo adſcribitur.* 67. cultores varii *Aſſyrii.* 71. *Phœnices* 86. *Abraham.* 112. 114. *Atlas* 151. 224. *Hercules, &c.* 151

Athenæ *capta.* 304. *philoſophandi locus.* 339. earum *barbaries.* 303. *ſeq.* Gymnaſia. 340. *hodiernus ſtatus.* 342

Atlas *aſtrologus.* 151. *in Mauritania.* 224. eum *eundem cum Enocho volunt.* 225

Atracinus *philoſophus.* 240

Atticorum *nomen.* 137

Auditores *notant philoſophia ſtudioſos.* 330. *vide* diſcipuli.

Averroës. 291. *commentator Ariſtotelis* 292

Augures *philoſophos notant.* 326

Auguſtinus *philoſophus.* 276. *an Ariſtotelem legerit?* ibid. *confutat neophytos.* ibid.

Auguſtus *Cæſar philoſophus, Arei diſcipulus.* 253. *Anaxilaum Laryſſeum magum Italiâ pepulit.* 254

Avicenna *philoſophus.* 290. *ſeq.* ejus *contentiones cum Averroë.* 292. *ſcripta quâ fraude obtinuerint?* 291

Aurora

Aurora *aptiſſimum priſcis philoſophis ſtudendi tempus.* 346

B.

BAbylon *ſapientiæ locus.* 337
Babylonicæ *turris exſtructa finis.* 67
Babylonii *unde?* 68. *Græcis* μίεγπες. ibid. *aliis Phœnices, Aſſyrii, &c. dicti.* 71.
Baccalaureatus *quis?* 386
Bacchus *unde?* 110. dictus *Baſſareus.* 108. *Briſæus, Sabazius, Sabus, Sabus.* 109. Ἰόβακχος. 29. *Græcis & Romanis peregrinus.* 109. *idem cum Hercule* 111. *non eſt Noachus.* 110. *Sapiens Indus.* 108. 110
Ioh. Baconthorpius *ſcholaſticus.* 301
Baculus *honoris ſignum.* 386. eo *diſcriminata ſecta.* 376. 379
Balnea *philoſophandi loca.* 345
Barba *prolixa ſectas diſcrevit.* 376. ejus *magna authoritas.* 377. *ſeq.*
Barbaris *ingruentibus philoſophia deficit.* 281
Barbaries *Britanniæ.* 252. *Græciæ moderna.* 303. *Novi orbis.* 307. *philoſophiæ tempore ſcholaſticorum.* 301. *Seculi noni per univerſum terrarum orbem.* 295. *Sixti Quarti.* 305. ejus *origo.* 14
Bardeſanes *Syrus, Mathematicus.* 272
Bardi *philoſophos notant.* 124. 326
Baſilius *philoſophus.* 276
Bau *mulier quæ & unde?* 121
Beati *qui ſint dicti?* 23
Beelzebul *quis, & an rectè per L in fine ſcribatur?* 48. *idem quod Diabolus.* ibid.
Bel *Solem phœnicibus notat.* 42
Beli *antiquiſſimi Orientis Dii.* 65
Belgæ *à Pelego vel Belo.* 122. *philoſophi.* 123
P. Bembus *impius.* 312
Beroſus ψευδεπίγραφος *de diſperſione filiorum Noach.* 63
Beſſarion *Platonicus.* 311
Bibliothecæ *combuſtæ barbaris ingruentibus.* 281. *Græcorum.* 335
Gab. Biel *ultimus ſcholaſticorum.* 301
Bigotius *philoſophus Gallus.* 314
Bileam *Magus.* 79. *idem cum Zoroaſtre.* ibid. *inde Lamia.* 80. *ſeq.* ejus *ſchola in Perſia nulla.* 265
Blaſphemi *philoſophi, Angelus Politianus.* 312. *P. Bembus.* 312. *Leo* X. ibid. *Pomponatius.* 313
Blemmidas *philoſophus.* 282
Boëtius *peripateticus.* 276. *occiſus.* 281
Bonum *pro vero ſæpe ſumitur.* 12. ejus *author Deus.* 6. *Stoicis, aliiſque Sol.* 37. de eo *opiniones variæ.* 170
Bonzii *philoſophi Iaponenſes.* 310
Brachmanes *vox unde?* 105. dicti *Calani.* 108. *Gymnoſophiſtæ & Samanæi.* 107. *Indorum philoſophi.* 105. 111. 325. *nihil animatum edebant.* 374. *ſummum Doctorem Iarcha vocabant.* 106. *ſeq.* Venerati *ſunt ſapientiæ principem Bacchum.* 108. eorum *locus philoſophandi.* 343. *plures ſectæ.* 106. *princeps Buddas.* 107
Britanni *cibis certis abſtinuerunt.* 374
Britannia *Barbara.* 252. *ſuos philoſophos habuit.* 295. *ut Iacobum Regem.* 322
Brunus *philoſophus.* 303

C.

CAbbala *Hebræis myſteria notat.* 38
Cabyri, *unde & qui?* 50. *ſeq.*
Cadmea *philoſophandi locus.* 339. 142
Cadmus *Græcas literas reſtauravit.* 335. *Phœnix.* 147. *alius ab Hermete Græcorum.* 148
Cæſar *philoſophus.* 242
Cain *ſectarum & hæreſium author* 49. 58. *Corruptor politices.* 49. *philoſophus.* 57. *Magus.* 51. 58. ejus *ſectatores,*

Cham.

Cham. 100. *Cabyri* 50. *ſeq Bileam.* 52. *Epicurai.* 50. *Necromantici.* 52. *Lamech.* 58. *omnes diluvio perierunt.* 59. ei *ſe oppoſuerunt multi.* 58
Calani *philoſophi.* 108. *vide Brachmanes.*
Campi Senaar *philoſophandi loca.* 66. 317
Canens *philoſopha Itala.* 235
Canum *impudentia.* 208
Capnio *Groning. philoſophus.* 305
Caput *Iupitri ſacratum.* 40
Carmina *decantata.* 356
Carminibus *tradita philoſophia.* 355
Carneades *Academicus, eloquens.* 221
Carnibus *an abſtinuerint Ægyptii & Monachi?* 373 *ſeq.*
Carræ *idem quod Charan.* 36
Caſelius *philoſophus.* 312
Caſtellanus *Gallia philoſophus.* 314
Cataja *& Sina unum idemque.* 309
Cathæri *qui ſint.* 308
Cato major *Græcam philoſophiam contemſit.* 237. *ſapiens dictus.* 238
Catones *philoſophi.* 241
Cecrops *biformis.* 146
Celſus *philoſophus.* 259. *litem patribus movit.* 271
Ceres *unde? cum Veſtâ confunditur.* ibid. *legifera & ſapientiæ patrona.* 38. ejus *myſteria.* 38
Chaldæi *iidem cum Aſſyriis.* 71. *diſtincti à magis.* 76. iis *philoſophiæ ſtudioſi Virginis aſtro nati.* 5
Chamus *philoſophiæ corruptor.* 99. *epicuraus.* 100. *Magus, idem cum Zoroaſtre dicitur.* 100. *ſeq. Caini ſectator.* 99. *dicitur docuiſſe Arabes.* 283
Chanaan *Caini imitator.* 99
Chaös *unde?* 120
Charondas, *Legiſer.* 146
Cheiromantia *quando cœperit?* 285
Chinenſes. *vide Sinenſes.*
Chitim, *conditor Macedonum.* 140. *& Latinorum.* 141
Chriſtus *vera ſapientiæ inſtaurator.* 251. *non didicit in Ægypto Magiam, quod Iudæi calumniantur.* 262. *duodecennis cum Doctorib. diſputat.* 262. *ſeq. adoratus à magis.* 264. *ab Ethnicis prædictus.* 266. *à Luciano contemtus.* ibid. ejus *æterna generatio Pallade obſcurata.* 46
Chriſtiani *philoſophi.* 269. *ignorantiæ accuſati.* 273. *vexati ab academicis.* 276. *à Iuliano prohibiti docere* 279. eorum *philoſophia ſpreta à multis.* 312. *propagata.* 269. *per patres.* 270. *corrupta platoniſmo.* 270. *vexata à gentilibus variis.* ibid.
Chryſippus. 181. *Zenonis diſcipulus.* 201.
Chryſoſtomus *ſapientiæ ſtudioſus.* 277.
Chus *ſectator patris Chami, Magus.* 100
Chymia *reperta à Chamo.* 150. *antiqua.* 317. *aurei Iaſonis vellere contenta.* 150. exculta *à Moſe.* 129. *variis.* 317. *Monachis.* 318
Cibis *certis multi abſtinuerunt.* 373. *ſeq.*
Cicero *academiam inſtituit.* 247. 249. *eloquentiam cum philoſophiâ junxit.* 359. *Palladem conſecrat.* 249. *Platonis & Ariſtotelis ſectator.* 250. ejus *error circa diſtinctionem Deorum.* 19. *peregrinationes.* 247. ſcripta. 250. *de conſolatione, republ. & Hortenſius amiſſa.* 250. *ſeq.* eum *philoſophum fuiſſe contra invidos defenditur.* 246
Cingari *phyſiognomi.* 285
Claudianus *Mamercus philoſophus.* 278
Clavis *inſigne quid notet?* 387
Cluverius *in aſſignandâ Mercurii etymologiâ aberrat.* 33
Cœnobium *Pythagoræ.* 376. *Eſſenorum* ibid.
Cohortis *nomen ſectis tributum.* 331
Collegium *ſapientiæ Heydelb. quando inſtitutum?* 327
Colpia *ventus, unde?* 121
Columbus *novum orbem detexit.* 306
Comœdiarum *origo.* 357
Concilium *Lateranenſe de emendandâ philoſophiâ habitum.* 312

Confu-

Confutius maximus Chinenſium philoſophus. 309. ſumma apud eos authoritatis. 310
Conſtantinopolis à Turcis capta. 303
Contemplatio rerum ſublimium homines in numerum Deorum retulit. 18. ſeq. beatos reddidit. 23. ſeq.
Coryuthus Græciæ lumen. 340
Crates Cynicus. 208
Creatio rerum ſeptem ante mundum eſt Iudæorum commentum. 7. ejus hiſtoriâ Diabolus multifariam abuſus. 118
Critica philoſophia. 215. ſeq.
Critici Sophiſtæ dicti. 326
Crollius Magus. 319
Cubus Pythagoræ. 336
Curetes Iupitris altores. 31
Cuſtodis nomen philoſophis tributum. 329
Cyllenius idem quod Apollo. 42
Cynici unde dicti? 206. ſeq. publicè cum fœminis coibant. 207 ſeq. Stoicis affines. 208. philoſophiæ Theoreticæ contemtores. 209. circa barbam ſuperſtitioſi. 377. abollam gerebant. 379. eorum ſectatores, Crates. 208. Valentiniani, &c. 272
Cynoſarges quid? 207
Cyreniaca ſecta qua, & à quo inſtituta? 204
Cyrus unde? 36. Perſis ſolem notat. ibid.

D.

DÆmon animum humanum, & ſapientem, Platonicis notat. 23. ſeq. Socrati familiaris. 186
Dæmones qui & unde? 10.11.46
Dagon unde? 81
Ioh. Damaſcenus Scholaſticorum caput. 296
Danielis apud Perſas authoritas. 265
Davidis Georgii hæreſis. 316
Decreta quid? 359
Democritus. 182. Epicureus. 202
Demoſthenes, non fuit abſtemius. 383
Depoſitio quando introducta? 385
Deſiderium philoſophiæ cauſa. 53
Deus omnis ſapientiæ author. 6. an à timore, & unde dictus? 19. Socratis. 186. Unus Ethnicis ſub diverſis nominibus agnitus. 44
Deo uni diverſa nomina & officia tributa. 31.45
Dii Ægyptiorum. 82. ſeq. Gentilium dicuntur ſapientiam introduxiſſe. 18.26 cur conſtituti? 19. antiquiſſimi Beli dicti. 65. fuere homines eximii. 18. ſeq. item Sol, Luna, aliique, & cur? 19. ſeq. cur plerique à ſole & igne nomen habeant? 35. cur patres communiter appellentur? 43. μακάρεσι. 23. Nectare & ambroſiâ veſcebantur. 24. multis familiis nomen dederunt. 108
Deorum diſtinctio in naturales & factitios rejecta. 19. ſeq. invocatio Ethnicis uſurpata 15 cōmunis omnibus ſectis. 366. multitudo. 40. 122. nomine potius quam re à multis agnita. 44. tempore Chriſtianorum revocatur. 272. nomina ſæpius immutata. 45. plurima. 31.45. origo prima. 119. ex Oriente petenda. 21
Diabolus aſtutus, Sophiſtices author. 11. 47. Beelzebul. 47. doctrinam de Deo corrupit. 45. hiſtoriam adulterat. 118. ſeq. ſub ſchemate Panis adoratus. 46. ſub ſpecie Oannis apparens. 81
Dialectica vide Logica.
Dialogorum author Plato. 360
Dianæ varia nomina. 31.45
Dictandi mos. 366. Pariſiis abrogatus. ibid.
Dignitates philoſophorum apud Chinenſes. 385. & Europeos. 386
Diluvium ſuper omnes Caini poſteros. 59
Diogenes Cynicus. 208 ſeq.
Diſciplinæ vox notat diſcipulos & ſectas. 331
Diſcipuli Doctorum vitia imitabantur. 379. certis ritibus initiati. 385. utriuſ-

quæ ſexus apud Pythagoreos. 369. *&* *Plat nicos* 360. *philoſophia Virginis aſtro nati* 5 *varia habent nomina, ſectatorum, auditorum, ſcholaſticorum, ſtudentium.* 330. *ſectarum* 331. eorum *multitudo.* 332. iis *quærendi poteſtas facta.* 348. *apud antiquos iurandum erat.* 354
Diſputandi *modus primus inter Iobum & amicos eius.* 284. per Dialogos *apud Platonicos* 367. *periculoſus* 360. *ſeq* ſyllogiſticus *cum præſide, opponente & reſpondente.* 367
Diſputatores *aceto uſi.* 383
Diſtinctionum *origo.* 301
Divitum *ædes à philoſophis frequentata.* 384
Docti *Iovis filii dicti & cur?* 31
Doctoratus *quibus uſurpatus?* 387
Doctoris *nomen philoſophis datum.* 328
Doctorum *authoritas.* 349. *vitia à diſcipulis imitata.* 379
Dodonæi *unde?* 140
Domitianus *philoſophos pellit.* 278
Doſithæi *qui?* 228
Druidæ *qui & unde?* 124. *philoſophos notant.* 326. *obſcurè philoſophati.* 353. eorum *philoſophia.* 125. *ſchola in lucis.* 343
Druſi *unde?* 125
Dubitatio *Pyrrhoniorum* 365. *ignorantiam creavit.* 109. *ſeq. nova academia & Parmenidis de ſenſuum judicio idem effecit.* 218. *ſeq.*
Durandus *ſcholaſticus.* 300

E.

EBræi *ſecta à Nimrodianis diſtincta.* 68
Ecclectici *quinam?* 222
Eccleſiaſticus *quando ſcriptus?* 231. ejus *cap.* 1. 4. *explicatur.* 7
Echonis *ad Pana accedentis fabula lapſum primorum hominum adumbrat.* 47
Edenis *hortus.* 9
Eli *philoſophus.* 130
Eloquentia *exculta in Maſſylia.* 213. *à Gallis* ibid. *& à Carneade.* 221. *olim cum philoſophia juncta.* 358. *poſtea ſeparata* 359 *à Cicerone reſtituta.* ibid.
Elyſii *campi ab Eliſâ dicti.* 143
Emmanuel *Chryſoloras literas Græcas in Italiam tulit.* 303
Empedocles *phyſicus.* 181
Empyrici *calumnia de origine ſcientiarum.* 6
Ennius *philoſophus Romanus.* 239. ejus *error de diſtinctione Deorum.* 20
Epaminondas *philoſophus.* 183
Epheſii *ſtudioſi Magiæ.* 269
Epictetus *philoſophus Romanus.* 258
Epicurus *eadem cum Caino* 50. *ſeq. & Chamo docuit.* 100. *author Epicureæ ſectæ.* 201. ei *Laërtius addictior.* 203. de eo *judicia varia.* 202
Epicuræi *ſequaces Epicuri.* 202. *oderunt Stoicos.* 203. *Sectam ſuam mirabiliter propagarunt* ibid. *diverſi, ſed concordes non tranſierunt ad alias ſectas.* 204 *rudes literarum* 216. *Magiſtri authoritatem voce,* IPSE DIXIT, *ſequebantur.* 364. *lecturi Deos non invocabant.* 366. *negligentes, at perſpicui.* 382. eorum *ſequaces Orpheus.* 162. *Sadducæi.* 229. *Lucretius Carus.* 240. *Valentiniani.* 279. *&c.*
Epimenides *philoſophus Cretenſis.* 327
Eraſmus *Roterodamus philoſophus.* 305
Erebus *unde?* 120
Error *variorum de philoſophia naturali.* 9 *ſeq. Ciceronis & Ennii circa diſtinctionem Deorum.* 20
Eſſeni 231. *Stoici* 229. *logicam & phyſicam rejecerunt.* 231. *carnibus abſtinuerunt.* 374. *cœnobium habuerunt.* 376. *& veſtes communes.* 379. eorum *ſchola ubi fuerint ſita?* 343. *mos in recipiendis ſectatoribus.* 385
Ethnici *antiquitatis prorſus ignari.* 14. 69. Philoſophi *varii Chriſtianis ſe oppo-*

opponunt. 270. *Magi* 103. 254. 260. *Theologiam revocant tempore Chriſtianorum ad defenſionem idololatriæ.* 272. *multa ex Chriſtianis hauſerunt!* 280. eorum *diverſa opiniones de origine ſcientiæ & mundi.* 15. *teſtimonia de Chriſto.* 266. philoſophia *in Italiâ gliſcit.* 312. *à Synodo Lateranenſi damnata.* ibid. *à patribus contemta* 280
Ethica *quando introducta?* 368. ejus *ſtudioſi, Cynici.* 209. *Ariſtoteles.* 194. *Ariſtippus.* 205. *Pythagoras.* 178. *Socrates* 184. *&c.*
Etymologia *vocum literæ alicujus inſperſionem facilè admittit.* 33
Euander *Italiæ philoſophus.* 235
Euangelici *varii philoſophiæ addicti.* 314.
Euclides, *ſecta Megarenſium author.* 211
Eumenius *philoſophus.* 277. *ubi docuerit?* ibid.
Eunuchus *Reginæ Candaces philoſophus.* 268
Examen *Sinenſium iteratum.* 386

F.

Fabis *an abſtinuerint Pythagoræi?* 373
Fabulæ *Ethnicorum ortum ab ignorantia originum trahunt.* 14
Fabuloſa *philoſophia Græcorum.* 155
Falſum *pro malo ſæpe ſumitur.* 12
Familiæ *nomen ſectis tributum.* 331
Faunus *Aboriginum Rex & philoſophus.* 235
Felices *qui ſint dicti?* 23
Feriæ *æſtivales antiquorum.* 348
Feſenſis *academia.* 293
Filii *Dei & hominum qui ſint?* 50
Fontes *philoſophandi loca.* 337
Franciſcus I. *Galliarum Rex literarum decus.* 313
Friſii *Doctores vetuſti.* 305

G.

Galenus *philoſophus.* 251
Galeotæ *ſiculis philoſophos notant.* 326
Gallia *philoſophiæ ſe dedit.* 213. *philoſophos habet.* 123. *duûm generum.* 124. *inſignes.* 301. 314. *ope Sylveſtri* II. *philoſophiam corruptam recepit.* 295
Gellius *quidam philoſophorum ſyncretiſmum tentat.* 323
Gentiles *vide* Ethnici.
Genua *unde?* 62
Geographus *Eumenius.* 277
Geometria *ab Ægyptiis inventa.* 96 *ab Archimede.* 214. *& Michaele Pſello exculta.* 282
Germani *orti ab Askenas.* 117. *coluerunt Theuth Mercurium.* 118. *ſeq. & Tuiſconem* 123. *philoſophi.* 117. 123. *philoſophiam excoluerunt.* 305. *inſtauratore Melanchthono.* 315. iis *injuriam faciunt hiſtorici.* 117
Getæ *Zamolxin habebant inſignem philoſophum.* 226
Gigantum *fabula.* 51
Gilbertus Porretanus *Scholaſticus.* 297
Γνῶθι σεαυτόν. 158. *cui adſcribendum?* 168
Goclenius *ſyncretiſmum philoſophorum tentat.* 324
Gothicarum *literarum author Vlphila.* 336
Gradus *philoſophorum apud Sinenſes.* 385. *& Europæos tres.* 386
Græcia *viſitata à Noachidis, Iapetionidis & Semitis.* 112
Græciæ *ſapientes.* 165. *moderna barbaries.* 303. 306
Græcus *idem cum philoſopho* 140
Græci *hauſerunt à Phœnicibus philoſophiam.* 137. 161. *& literas* 135. dicti *Attici* 137 *Æoli, Dodonæi, Iones* 140. *cur in Orientem & Iudæam profecti?* 137. 191. *in origine vocum* φίλαυτοι. 2. 26. *originum ignari.* 69. *athenas celeberrimas habent.* 339. *literas Græcas in Italiam ferunt.* 303. *Doctores multi in Italiâ docent.* 304. *Thomæ Aquinatis ſcripta æſtimant.* ibid. *Iovem ſapientiæ authorem fingunt.* 27. *Bibliothecas condunt.* 335

Græcorum conditor *Iavan.* 140. oratores *poſthabiti philoſophis.* 383
Græcorum philoſophia *tribus abſolvitur* periodis, HEROICA. 144. *ad quam antiqui legumlatores pertinent.* 145. *ante* Trojanum bellum *Cadmus.* 147. *Iaſon.* 150. *Hercules,* 151. *Oedipus, Sphynx.* 152. circa Trojanum bellum *Neſtor & Vlyſſes.* 152. *Phœnix.* 154. *Æneas, Neoptolemus.* 155. MYTHICA. 155. *quò pertinent* Theologi. 156. Poëtæ. 159. *& ſeptem* ſapientes 165. PHILOSOPHICA: quæ ſciſſa eſt in ſectas diverſas. 169. *& infinitas.* 170. priſcas, *Italicam.* 172. *Ionicam.* 180. *Socraticam.* 184. Novas, quatuor principes. 187. *Platonicam.* 186. *Peripateticam.* 194. *Stoicam,* 198. *Epicuream.* 202. *cui affinis Cyrenaica.* 204. Minores, *Cynicam.* 206. *Pyrrhoniorum.* 209. *Megarenſium.* 211. *Novam academiam, quæ ſe omnibus opponit.* 218. *Eclecticorum.* 222. corrupta *tempore Apoſtolorum.* 167. *ſeq. iterum* reſtituta. 214. *initiò Iudæis* exoſa. 227. *Romam poſt bellum Punicum* 11. *traducta.* 236. *contemta à C. Mario & Catone majore.* 237. *amata* à *Scipione.* 238. *neglecta. in fine imperii Romani.* 282. corrupta *totaliter.* 304. *cum eloquentiâ juncta.* 358. de ea *judicium Pici Mirandulani.* 282
Græcorum philoſophi *inſignes.* 135. *primos ſe jactant.* 136. *ſeq. alios omnes pro barbaris habent.* 126. 135. 137. *multa à Moſe didicerunt.* 138. *Romam migrant.* 254. *Româ pulſi.* 260. *ſcholaſticos ſecuti.* 296
Græcorum *ſcriptor primus Homerus.* 335
Græcas *litteras invenit Actimus, reſtauravit Cadmus & alii.* 335
Grammatica *Methodica philoſophia pars.* 197. *critica eſt.* 215. *ſeq.*
Groeningani *Doctores vetuſti.* 305
Gymnaſium *philoſophandi locus.* 345. *Amaltheum.* 251
Gymnoſophiſtæ, *vide* Brachmanes, *obſcurè philoſophati.* 353. *veſpertinas habuere repetitiones.* 375

H.

HAdrianus *Imperator philoſophus.* 258
Hæreſis *à Diabolo introducta.* 48. *per Cainum diſperſa.* 49. *Davidis Georgii.* 315
Hæretici *varii philoſophiâ abuſi.* 279. 316
Harioli *philoſophos notant.* 326
Haruſpices *Hetruſci.* 234. *philoſophos notant.* 326
Haſidæi. 228. *iidem cum Eſſenis.* 231
Hebrææ *litera ante diluvium fuere.* 333
Hebræi *quidam in Græciam venerunt.* 138. *ſacerdotes veſtitum non ſunt ab Ægyptiis mutuati.* 380. ab iis *omnis ſapientia.* 115
Hebræarum *vocum origo fruſtra quæritur.* 2
Hecates *varia nomina.* 31
Helicon *philoſophandi locus.* 338
Helmſtadienſes *turba circa philoſophiam.* 321
Henoch *philoſophus.* 58
Heraclitus. 182
Heraclitici *Ænigmatici.* 368
Hercules *varia habuit nomina* 31. *varius.* 122. 151. *Gallicus.* 125. *Græcus Aſtrologus.* 151
Hermathena *quid deſignet?* 358
Hermes *unde?* 36. *Triſmegiſtus idem quod Mercurius.* 88. *Germanis cognitus.* 122. *Ægyptius Chymicus.* 317. ejus *opinio de philoſophiâ.* 4
Hermolaus *Barbarus.* 305
Herodiani. 228
Heros, *unde?* 34. ejus *nomen pleriſque Diis attributum.* 35
Heroës *philoſophia Græca ductores.* 144. iis *indita ſolis nomina.* 37
Herus *unde?* 34
Heſiodus. 161

Hetruſci *philoſophi.* 233. *ſeq.*
Heydelbergenſes *Profeſſores.* 306
Hierocles. 273
Hieroglyphica. 351
Hieronymus *Savanarola.* 306
Hippocrates. 183
Hiſpania *Arabes philoſophos habuit.* 289
P. Hiſpanus *Scholaſticus.* 299
Hiſtoria *unde, & quid ſignificet?* 22
Hiſtoriæ philoſophicæ *utilitas.* 5. *ſeq* eam *Diabolus ſæpe adulterat.* 118. iis *tradita olim philoſophia.* 356
Hiſtorici *ſæpe aberrant.* 117
Dan. Hofmannus *turbas circa philoſophiam movet.* 321
Homerus. 159. *philoſophus.* 161. *non eſt primus omnium ſcriptor.* 160. *ſed Græcorum.* 335
Homines *eximii pro Diis habiti poſt mortem.* 18. *ſeq. à Prometheo & Epimetheo facti ſagaces & ſegnes finguntur.* 18
Horapollo *unde?* 34
Horatius *philoſophos omnes vexat.* 244
Horti *philoſophandi loca.* 342
Horus *unde?* 34
Huarti *error de philoſ. naturali.* 10
Hungari *nimium Ariſtotelem ſectantur.* 315
Hyperborei *philoſophi.* 226

I.

IAcob *philoſophus.* 114
Jacobus Britanniæ Rex *philoſophus.* 322
Jambe *Sophiſtica philoſophia.* 47
Jamblichus *litem patribus movet.* 271. *ſeq.*
Jambres & Jannes. 97. *magus.* 127
Janus *Noachum notat, unde dictus?* 61. *ſeq bifrons.* 62
Janus *Italiæ Rex & philoſophus.* 234
Japonenſium *philoſophia.* 308. *à Bonziis exercetur.* 310
Jaſonis *aureum vellus Chymiam comprehendit.* 150
Javan *Græcorum author.* 140
Jeruſalem *philoſophandi locus.* 338
Jeſuitæ *nimiùm addicti Ariſtoteli.* 315. eorum *induſtria in informandis Braſilianis.* 306
Ignis *(vide Sol) pleriſque Diis nomen ſuppeditat.* 35 *omnium virtutum author, etiam Stoicis, dicitur.* 37. *Stoicis animus dictus.* ibid.
Indorum *philoſophi Brachmanes.* 103
Job *quis & ubi?* 283. *inſignis philoſophus eum ſuis amicis.* 284
Jonica *ſecta à quo inſtituta?* 171. 180. *varios habuit ſectatores.* 181
Joſeph *philoſophus.* 115. *magni in Ægypto habitus.* 116
Joſua *philoſophus.* 130
Jovis *diverſa eſt vox à Iupiter.* 30
Jovis filii *Docti vocati & quare?* 31.
Iovis ſtella *quomodo Rabbinis dicta?* 31
Irenæus *philoſophus.* 271
Iris *unde?* 35
Irmenſula *unde?* 122
Iſaac *philoſophus.* 114
Iſis *ſolem notat.* 83. & *Lunam.* 84. ejus *varia nomina.* 31
Italia *Magna Græcia dicitur.* 172. *unde ortum trahat?* 141. *varios habuit philoſophos.* *Romæ.* 232. *ſeqq in Hetruriâ.* 233. & *Sabâ.* 235. &c. *ex Aſiâ & Lacedæmone philoſophiam hauſit.* ib. *recipit philoſophiam Ethnicam.* 312. *literas Græcas.* 303. & *eruditionem à variis Græcis Doctoribus accipit* 304. *ſuperſtitioſè Ariſtotelem ſectatur.* 315
Italica *ſecta antiquior Ionicâ.* 171. *ſeq. in Italiâ cæpit, authore Pythagorâ.* 172
Judæi *parum olim exteris noti.* 133. *ſeq. Magi* 127
Judæorum *commentum de rebus ſeptem conditis ante mundum.* 7. Philoſo-

phia. 126. à tempore Moſis & egreſſus ex Ægypto, *exculta à Moſe*. 126. 128. LXX. *ſenioribus*. 129. *Ioſuâ*. 130. *Simſone. Eli, Samuele. Prophetis, aliiſque*. ibid. *Achitophele, Salomone*. 131. *&c*. poſt captivitatem. 227. *corrupta & magica*. 227. 231. ſectæ *tres præcipua*. 228. *Phariſæorum*. 229. *Sadducæorum*. 230. *Eſſenorum*. 231. Academiæ. 343
Judæis *Græca philoſophia initiò exoſa*. 227
Julianus *claudit ſcholas Chriſtianorum*. 272
Jupiter *Paganis ſapientiæ author*. 27. 31. *Palladem enixus eſt*. 27. *unde dictus?* 28. *obſcurorum interpres*. 29. *Saturnum patrem diſpulſis ſapientiæ tenebris pepuliſſe dicitur*. 29. *diverſa vox eſt à Iovis*. 30. *malè Iovis in Genitivo habet*. ibid. *Mercurius alio nomine dictus*. 31. ei *caput ſacratum erat*. 40
Jupitres *trecentos Varro nominat*. 30
Juramenta *à diſcentibus exacta*. 354
Juſtinus *Martyr philoſophus*. 271

L.

LAërtius *addictior Epicuro*. 203
Lamech *Caini philoſophiam imitatus*. 58
Lamiæ *unde?* 80. *ſeq*.
Lanfrancus *ſcholaſticus*. 297
Lapſus Angelorum *ex nimiâ ſcientiæ affectatione ortus*. 20
Latini *ſuos habuere ſcholaſticos*. 297. *quando ſcripſerint?* 335. eorum *ortus*. 141
Lectiones *crebra philoſophorum*. 348. 366. *philoſophiæ incepta cum invocatione Deorum*. 361
Leges XII. *tabb. prima philoſophia Romanorum*. 238
Legiſlatores *Græci, Lycurgus, Zaleucus, aliique* 145. *ſeq*.
Leonis Bizantii *philoſophi authoritas*. 287
Leonis X. *impietas*, *item bulla contra philoſophos gentiles*. 312
Leiinæ *inſula famoſa academia*. 280
Leucippus *Epicuræorum author*. 202
Liberales *artes, vide philoſophia*.
Libri *antiquorum ſaxa*. 334
Licinius *Imperator artium inimicus* 279
Lingua *Mercurio ſacrata*. 89
Linguarum *Babylone confuſio totalis*. 140
Literæ *à Setho primò reperta*. 333. *vel Moſe*. 334. *vel phœnicibus*. 86. *an fuerint tempore belli Trojani?* 335. *Græca, Latina*. ibid. *Gothorum* 336. *Ægyptiorum duplices*. 351. *ratio ſunt propagandi philoſophiam*. 334
Literæ *inſperſio in vocum Etymologia facilè admittitur*. 13
Logica exculta *à Socrate*. 186. *ab Ariſtotele*. 194. *à Stoicis*. 200. 364. *Plauto* 240. *Lanfranco*. 297. contemta *ab Epicuro*. 202. *Eſſenis*. 231
Logica victa à Rhetoricâ *proverb*. 301
Λόγος *quid deſignet & quotuplex?* 27
Lombardus *Scholaſticorum princeps*. 296
Longævitatis *varia cauſa aſſignata*. 55. de eâ *Theophraſti inanis querela*. 56
Luci *philoſophandi loca*. 337. *unde?* 341
Lucianus *Scepticus*. 275. ejus *blaſphemia de Chriſto*. 266
Lucinæ *varia nomina*. 31. 45
Lucretius Carus *philoſophus*. 240
Lullius *Chymicus*. 317. *magni habitus à Rabbinis*. 318
Lunæ *varia nomina*. 31. 45. eam *dimidiatam cur in calceis Romani geſtarint?* 70. ſub ejus nomine *omnes Deæ fœminæ cultæ*. 45.
Lutherus *philoſophus*. 314
Lyceum *philoſophandi locus*. 341
Lycurgus. 145. *artificioſè ſibi authoritatem conciliat*. 350

M. Mace-

M.

Macedonum *ortus.* 140
Machiavelliſtæ *philoſophiæ contemtores.* 322
Magi, *philoſophi Aſſyrii* 73. *unde?* 74. *ſeq.* (*ubi Tyanei & Heſychii error notatur.* 75. *ſeq.*) *diſtincti à Chaldæis.* 76. *in Babylone ſapientiam docuere.* 337
Magi *dicti ſunt à Barbaris* Philoſophi. 295. 325
Magi ab Oriente, *Matth.* 11. *unde venerint? fuerunt Perſæ.* 264. *ex ſcholâ Danielis, non Bileami, magiæ tamen illicitæ ſtudioſi.* 265
Magorum *ortus.* 52. *habitus.* 380
Magia, *antiquis Theologia dicta* 74. 101. *an poſſit dividi in licitam & illicitam?* 101. *nunquam ſumitur in bonam partem.* 102. *in Græciâ exculta, maximè tempore Apoſtolorum.* 108. *ſeq.* ejus authores *Zoroaſter.* 77. *Agonaces, Bileam.* 79 cultores *Cham, Chus.* 100. *Zamolxis.* 226. *Apulejus.* 275. *plerique gentiles philoſophi.* 103. 254. 260. *Iudæi* 227. *Sanhedrim* 232. *Nero.* 255. *Apollonius Tyaneus.* 260. ortus & incrementa. 101 eam *à Perſis Magis hauſerunt Iudæi.* 227
Magiſterii *gradus quis ſit?* 386
Magiſtri *nomen.* 329
Majorum *authoritas.* 349
Μάκαρες unde & qui? 22. *ſeq* 56
Mallius *Theodorus philoſophus.* 275
Malum *pro falſo ſæpe ſumitur.* 12
Mandevil *de Sinenſium philoſophiâ ſcribit.* 308
Manichæi *hæretici.* 280
Mars *unde?* 35
Marſilius *Ficinus Platonicus.* 311
P. Martyr *philoſophus.* 315
Maſſilienſes *philoſophiam acceptant.* 212. *ſeq.*
Mathematica exculta *ab Ægyptiis.* 96. *Pythagorâ.* 178. C. *Iulio Cæſare.* 242. *Nigidio Figulo* 243. *Ptolemæo Ægyptio.* 272. *Rogero Bacone* 301. *Archimede.* 215. *primò diſcenda.* 367
Mauritius *Haſſiæ Landgravius philoſ.* 322
Medicina exculta *ab Ægyptiis.* 95. *Hippocrate.* 183. *ſub phyſicâ comprehenditur.* 95
Megarenſium *ſecta Euclidem habet authorem.* 211
Melanchthon *philoſophus.* 315
Memoria *unde?* 27. *Moneta dicta.* 27. 332. *culta ab Ethnicis* 27. *Mater ſapientiæ.* 332. *Pythagoræis.* 336. *Ægyptiis.* 349
Memphi *locus philoſophandi Ægyptiis.* 338
Mens *conſecrata.* 236
Menſurarum *primus inventor.* 50
Mercede *primus Protagoras docuit, poſt eum plurimi.* 384
Mercurius *idem quod Iupiter.* 31. *Deorum interpres* 32. *unde dicatur?* ibid. *idem quod Apollo* 35. *ſerpentes geſtat.* 35. 42. *Quintus Ægyptiorum Theuth, & Triſmegiſtus dictus.* 87. *omnis ſapientiæ author.* 87. *an Deus ſummus, an homo Ethnicis fuerit?* 88. *auditor Noachi.* ibid. *plurimos libros ſcripſit.* 89. *quorum hodierni ſuppoſititii.* 90. *columnis ſuam doctrinam inſculpſit.* 91
Metaphyſica *Ramæis exoſa.* 321
Μετεμψυχώσεως origo. 116
Michaël *Pſellus philoſophus.* 282
Minerva *eadem quæ Pallas.* 27. ejus *loca philoſophandi.* 329
Minöis *aſtutia.* 351
Mitram *ſolem, mentemque notat.* 85
Moſes. 126. *celeberrimus, etiam inter profanos.* 128. *Æthiopum præſes.* 99. *Magus falsò adſcriptus.* ibid. *philoſophiam perfecit.* 128 *ſeq impedita linguæ.* ibid. *chymicus.* 129. *in campis Thainiticis eſt philoſophatus.* 338. ejus *dogmata*

Digitized by Google

dogmata an ad Platonem pervenerint? 190
Muhammed *lege ſuis artes liberales prohibet.* 285. *ſeq*
Muleaſſes *Averroiſta.* 293
Mundus *Bibliotheca.* 332
Mures *docendi argumentum prabuere.* 357
Muſæus *quis?* 128. 163
Muſarum *nomen unde?* 142. *origo.* 27. 143. *invocatio Poëtis uſurpata.* 15
Muſca *qua?* 214
Muſica *totam philoſophiam complexa.* 58. *reſtituta in Italiâ à Canente.* 235. *hodierna inepta.* 316. exculta. 356. *à Pythagorâ.* 375. prohibita *ab Ægyptiis.* 356. ejus *dignitas.* 164. *utilitas.* 375
Muſonius *Chriſtianus Roma pra metu ſuam ſcholam claudit.* 279
Myſterium *unde?* 22
Myſteria *philoſophia varia.* 38
Mythica *philoſophia.* 155. *ſeq.*

N.

Naida *urbs Caini.* 49
Naſachæi. 228
Natura *Ethnicis Deus.* 157
Naturalis *philoſophia. vide* Philoſophia Naturalis.
Nazaratus, *an fuerit Ezechiel?* 174
Necromanticorum *origo.* 52
Nectar *Deorum potus unde, & quid notet?* 25. ejus *ineptam etymologiam Græci reddunt.* 26
Nemora *philoſophandi loca.* 337
Neoptolemus *philoſophus.* 155
Neptuno *ſacratum pectus.* 41
Nero *Magia ſtudioſus.* 255
Neſtor *philoſophus.* 152
Nicephorus *Monachus.* 282
Nicolaus v. *favet literis.* 305
Nigidius *Figulus Mathematicus.* 243. *Magus.* 254
Nimrod *Bel dictus.* 67. *philoſophus.* ib. *ei princeps finis turris extruenda erat* ἀεροβατεῖν. 67
Noach, *inſtaurator ſapientia, Ianus gentilibus vocatur, & Saturnus.* 61. *& Prometheus.* 63. ejus philoſophia *magni apud Armenios habita.* 61. filii *non abierunt in diverſas orbis partes, ſed poſteri.* 64. Nurus *non minus ſapientes* 64. *Gentibus Sybilla dicta.* 65. poſteri *in Græciam quando & qui venerint?* 139
Nominalium *origo, & rixa cum Realibus.* 300
Nomina *diverſa uni Divo tributa.* 31. 45. *inter Deos relatorum mutata.* 45
Notiones *communes agnita à Stoicis.* 8. *divinus ignis vocata, & unde ortum duxerint?* 37
Nova *academia, vide* Academia.
Novus orbis *detectus à columbo.* 306
Numa *author philoſophia Romana* 232. ejus libri *poſtea combuſti.* 233. ejus artificium *ad conciliandam ſibi poteſtatem.* 350
Numen *vide* Dii gentilium. ejus *vis in hominibus magna.* 307. 350
Numenius *Pythagoricus.* 273

O.

Oannes *quis?* 81
Oblivio *omnium duobus philoſophis obtigit.* 228
Obſcura *Iupiter eſt interpretatus.* 28
Occam *Scholaſticus.* 300
Occamiſtæ *Nominales dicti.* 300
Ocellus *Italia decus.* 179
Oedipus *ingenioſus.* 152
Officia *diverſa uni Divo ab Ethnicis tributa.* 31. 45
Oleum *à Pallade repertum.* 41
Olus *eſca Pythagoræorum.* 373
Olere *abſtinuerunt Ægyptii.* 373
Opponens *quis?* 367
Oratores *philoſophis poſthabiti.* 383. *Scholaſtici dicti.* 330
Oratoria *exculta à Platone.* 188
Orcus *unde?* 120

Oriens *originem præbet linguarum omnium*. 2. *& Deorum*. 21
Origines *philoſophus*. 271
Orpheus. 162. *Epicureus*. ibid. *cur ſaxa & feras moviſſe dicatur*. 163. ejus *ſcripta* π(ολυ)τ(ε)ι(?)γραφα. 162
Oſiris *unde?* 35. 39. 84. 86. dicta *Serapis*. 45. 84. *& Ceres*. 84
Ovidius *philoſophus*. 244

P.

PAgani *Iovem ſapientiæ authorem ſtatuunt*. 27
Pallas *ex Iovis cerebro nata* 27. *omnium artium præſes, cum Muſis eadem, & Minerva dicitur*. ibid. *produxit ſolem*. 37. *armata*. 39. unde *dicatur?* ibid. *oleum reperit*. 41. *cur in picturis Mercurio jungatur?* 358
Pallade *generatio filii Dei æterna eſt obſcurata*. 46
Pallium *veſtis philoſophorum*. 376. 381
Pan *quis? idem cum Apolline, & Sole, & Satano*. 46. *& Serapi* 85. *originem philoſophiæ aperit*. 46. *Echonem conjugem habet*. 47
Panici *terrores*. 46
Paracelſus *Chymicus*. 319. de eo *judicia varia*. ibid.
Paradeſus. 9
Parmenides *philoſophus*. 180. *de ſenſuum judicio dubitavit*. 219
Parnaſſus *unde?* 141. *philoſophandi locus*. 338
Patres *Chriſtianam philoſophiam propagarunt; at Platoniſmo corruperunt*. 270. *philoſophi*. *v. g. Irenæus, Tertullianus, &c*. 271. *cur contemſerint philoſ. gentilium?* 280
Patris *nomen commune omnibus Diis*. 43
Patricius *Erygena*. 295
Paulus *literis operam dedit*. 267
Pectus *ſapientiam notat*. 41. *malè Neptuno dicatum*. ibid.
Pelegus quis? 123
Pelopis *aries*. 150
Peripatetici *vide* Ariſtoteles.
Perſia *excoluit puriorem ſcientiam, à Daniele hauſtam*. 265. *plures habet academias*. 289
Pethora *Bileami patria unde?* 30. 80.
Petrus *unde?* 29
Petrus *Hiſpanus Scholaſticus*. 299
Phariſæi *Stoici*. 229. ἀγεωργητοι & αὐτόχειρες. 230. *cur fimbrias geſſerint in veſtimentis?* 379. eorum *odia cum Sadducæis*. 230
Pherecydes *philoſophus*. 181. *pauca de phyſicis ſcripſit*. 335
Philolaus *philoſophus*. 80
Philoponus. 275
Philoſophandi loca *varia, & amœna*. 340. 343. *campi Senaar*. 66. 336. *urbes, palatia*. 336. *ſeq*. *Luci* 337. *Babylon*. ibid. *montes*. 338. *academia, lyceum, horti*. 341. *Balnea*. 344. *ſeq*. modus, *apud antiquos, per traditionem*. 349. *& religionem*. 350. *per hieroglyphica*. 352. *ænigmata*. 353. 368 *ſeq*. *apud Platonicos*. 360. *apud ſingulas ſectas*. 368. *ſeq*. *per ſymbola*. 368. *ſeq*. tempus *ſummum manè*. 346. *etiam inter convivia*. 347
Philoſophia abſcondita & obſcura *gentilibus*. 18. *ſeq*. 22. *Saturno*. 29. *unde Cabbala dicitur*. 38. obſcurata *poſt lapſum*. 47. *apud antiquos*. 353. exculta *ſtatim in mundi exordio ab Adamo, Caino, Abele*. 57. *Setho, Enocho, &c*. 58. *poſt à Nimrodo*. 67. *Ebræis*. 68. *ſeq*. ASSYRIIS, *Chaldæis*. 71. *Magis*. 73. *Ægyptiis*. 81. *Phœnicibus*. 86. *Æthiopibus*. 81. 98. *Indis*. 104. *Patriarchis*. 111. *ſeq*. *Germanis*. 117. 123. *Belgis*. 123 *Gallis*. ib. *Iudæis*. 126. *ſeq* *poſt captivitatem*. 227. *Græcis*. 135. *ſeq*. *criticis*. 215. BARBARIS, *pœnis*. 223. *Scythis*. 225. *Sarmatis* ib. *Getis*. 226. *Romanis & Italis*. 232. 303. *Hiſpanis*. 289. *Chriſtianis*. 269. *Euangelicis*. 314. *Arabibus*. 283. *Scholaſticis*. 296. *Sinenſibus*. 308.

308. Aſiaticis. ib. quos ſingulos vide. cum Eloquentiâ juncta. 355. 358. poſtea ſeparata 359. ei prælata. 383 olim cum Magia juncta. 103. à Muhammede ſuis prohibita. 285. incognita novo orbi. 307. cur à patribus contemta. 280. inter Principes viguit. 93. ſciſſa ſtatim à lapſu in diverſas ſectas. filiorum Dei & hominum. 49 ſublimis olim habita. 5. an cum Theologia pugnet? 321. tradita carminibus. 355. hiſtoriis. 356. & comœdiis. 357

Philoſophia hyperboreorum. 216. Naturalis. 7. Adamo indita. 8. cognita antiquis. 8. 10. obſcurata per aſtum Diaboli. 14. de eâ errores variorum. 9 ſeq Rabbinorũ paradoxis gaudet. 294. Sophiſtica ſub Iambes fabulâ repræſentatur. 47

Philoſophiæ nomen unde? 3. probroſum. 240. definitio varia. 4. Ciceroni recepta. 17. apud Ramæos. 321. abuſus ab Hæreticis. 279. 316. cauſa, ratio & occaſio fuit uſus. 53. admiratio 54. ſeq. longævitas 55. induſtria 56. contemtus in fine imperii Romani. 281. confuſio, corruptio & decrementum per Cainum 50 58. per lites. 216. mortuis Patriarchis. 116. ortu academiæ novæ. 217. in Oriente per Chamum 99. apud Græcos totalis 304. per diſcordiam & ſectas 170. (vide Græc.) apud Iudæos. 227. Romanos ſub Impp 252. 344. ſeq. poſt natum Chriſtum apud Romanos, ingruentibus Barbaris. 281. apud Chriſtianos. 270. tempore ſcholaſticorum. 300. ſeq. fautor Romæ fuit Nicol. v. 305. hoſtes Muhammed. 285. Romæ Sixt. v. 305. Bohemi. 314 Anabaptiſtæ, aliiq; fanatici. 316. 321. Dan. Hofmannus Machiavelliſtæ &c. 322. mutatio cum mutatione Rerumpubl. 253. 259. 281. origo à Deo 6. ſeq varia ab Ethnicis aſſignata 15. ſeq. dum ipſam alii ſtatuerent æternam 16. alii ſapientibus viris, Diabolo, Aſtreæ 17. Diis adſcriberent. 18. Paganis eſt à Iove 27. 31. tribuitur Pani 46. Græcis. 136. Iapeto. 141. præſes dicitur Pallas. 27. Minerva. 28. propagatio auctio & tranſlatio ab Hebræis ad Ægyptios. 115. ſeq. ex Oriente in Græciam. 137. à Græcis in diverſas orbis partes 212. in Rhodum, ad Maſſilienſes. ibid. in Galliam. 213. Siciliam. 214. Italiam. 236. inde in Germaniam, Hiſpaniam, &c. 282. per Apoſtolos in univerſum terrarum orbem. 266. apud Græcos per criſin Platonis, Ariſtotelis, Zenonis 215. ſeq. apud Chriſtianos 269. ſeq. propagandæ modus eſſe poteſt per memoriam. 332. literas & ſcripturam. 334. ſeq traditiones. ib. contemplationem mundi. 333. reſtauratio poſt lapſum per Noachum. 60. Abrahamum. 111. Iſaacum. 114. Iacobum. ibid. Ioſephum. 115. per Chriſtum. 261. & Apoſtolos. 266. ſeculis poſterioribus. 315. ſtudioſi, vid. diſcipuli. ſtudium à Matheſi inchoandum. 367

Philoſophi nomen modeſtius quàm Sapientis, à Pythagorâ adhibitum. 176

Philoſophi abdita inveſtigarunt. 22. beati dicti. 22. ſeq. 56. Chriſti & Apoſtolorum doctrinam ſpreverunt. 258. cõtemplationibus invigilantes pro Diis habiti. 18. ſeq. nonnulli Diabolo ſe manciparunt. 316. divinarum humanarumque rerum curam habent. 93. elati ſupra alios. 93. priſci Heroës. 39. Reges, v. g. Iacobus Britanniæ. 322. principes, v. g. Mauritius, Landgravius Haſſiæ. 322. prælati Oratoribus. 383. regnant apud Chinenſes. 310. olim rempubl adminiſtrabant 2. 5. 93. Magi communiter à Barbaris dicti. 295. Româ pulſi. 260. 278

Philoſophi primi fuere Adam, Cain, Abel &c. 57 ſeq. jactantur Græci. 136 priſci convictores habebant 347 juramentum à diſcipulis exigebant. 354. quando inceperint mercede philoſophari ris 384.

ri? 384. *in adibus Ditiorum diſcipulos expectabant* ib. *uxorati & ſenes.* 346
Philoſophorũ dignitates & gradus *apud Sinenſes & Europaos.* 385. *ſeq.* diſcordia & lites. 216. 300. feriæ. 348. habitus. 376 *ſeq.* Lectiones crebræ. 348. Nomina *varia. dicti ſunt enim Sophiſta. Propheta, &c.* 325. *ſeq. Magi.* 103. *Theologi.* 5. 93. *Sacerdotes* 338 præmia. 383. *quatuor tantùm ſecta tolerantur ab Antonino Pio.* 278. ſententiæ *breves.* 349. *templis inſcripta.* 351. *anigmatica & obſcura.* 353. *decreta dicta.* 359. ſyncretiſmus *tentatus à Gellio quodam.* 323. *Antiocho.* ib. *Pico Mirandul* 312 324. *Goclenio* 324. *P. Schalichio* ibid. vanitas. 205
Philoſophis *ferè omnibus multa communia.* 366
Philoſophicæ hiſtoriæ *utilitas.* 5. *ſeq.*
Phœnices *unde?* 68 *ſolem adorarunt.* 36. *eidem cum Chaldais* 71. *ab Abrahamo edocti.* 113. *in Africam migrant.* 123. *literas invenerunt* 86. *Gracu familiares.* 192. *Taautum primum ſcriptorem habuerunt.* 89. 335
Phrygum *antiquitas.* 69
Phyſica *Medicinam comprehendit.* 95. *appellata eſt Theologia.* 157. *quando Iudau cognita?* 227. *contemta à Socrate.* 185. *ab Eſſenis.* 231. *quamdiu exculta?* 368. eam *excoluit Salomon.* 131. *Pythagoras.* 178. 335. *Iones.* 180. *Ariſtoteles.* 194. *&c.*
Phyſiognomiæ *origo.* 285
Picus *Mirandulanus.* 311. *Syncretiſmum philoſophorum tentat.* 312. 324
Piſiſtratus *philoſophia critica author* 216
Plato *ſapientia æternitatem credidiſſe videtur.* 16. *criticus.* 216. *an ſua ex Moſe hauſerit?* 190 *an à Ieremiâ?* ib. *an ex phœnicibus?* 192 *an linguam Hebraam calluerit?* 191. *defenſus Heydelberga.* 306. *ſublimia de rebus divinis eſt philoſophatus.* 193. *obſcurus.* 361. *copioſus.* 381
Platonis *opinio de philoſophia.* 4. *error de philoſophiâ naturali.* 9. *de Matheſi edictum.* 367. *peregrinationes.* 189. *authoritas.* 192. *ſeq. querela de Ariſtotele.* 192. æmulus *Xenophon.* 192. *philoſophia in Latinum verſa.* 311. diſcipuli, *Ariſtoteles.* 192. 194. *Marſilius Ficinus.* 311. *Beſſarion.* ibid. ſecta. 186. *eadem cum Pythagoraâ.* 187. *philoſophiam Chriſtianam corrupit.* 270. de eo *praſagium.* 183
Platonici *inambulantes philoſophabantur* 360. *auditores utriuſque ſexus habebant.* ibid. *per Dialogos diſſerebant.* 360. 367
Plautus *philoſophus Romanus.* 239
Plinius *philoſophus.* 259
Plotinus *Pythagoricus.* 273. *litem patribus movit* 271 *ſeq.*
Plutarchus *philoſophus.* 225. 259. 296
Poëtæ *cur numina & muſas invocarint?* 15. *quò referendi?* 159. *ſeq ante Homerum.* 160. *Romani philoſophi.* 244 *ſeq.*
Ang. Politianus. 305. *impius.* 312
Politica *à Chinenſibus excolitur.* 309. *primò* corrupta *eſt à Caino.* 49. *tum à Machiavelliſtis.* 322
Πολυθεία. *vide* Deorum multitudo.
Pomponius Atticus *familiaris Ciceroni Gymnaſ. Amaltheum inſtituit.* 251
Porphyrius. 271. 274
Potamus *Alexandrinus ſectam inſtituit.* 222
Præceptorum *nomen.* 328
Præmia *philoſophorum initiò nulla.* 383. *quando introducta?* 384
Præſes *quis?* 367
Profeſſorum *nomen.* 328
Prohæreſius. 279
Prometheus *inventer artium.* 141. *pro Noacho ſumitur.* 63
Promethei *fabula.* 18 37
Prophetæ *philoſophi fuerunt.* 130. *& notant philoſophos.* 94. 327. 350
Protagoras-*philoſophus.* 182. *primus mercede docuit.* 384

308. *Aſiaticis.* ib. quos ſingulos *vide.* *cum Eloquentiâ juncta.* 155.358. *poſtea ſeparata* 359. *ei prælata.* 383 *olim cum Magia juncta.* 103. *à Muhammede ſuis prohibita.* 285. *incognita novo orbi.* 307. *cur à patribus contemta.* 280. *inter Principes viguit.* 93. *ſciſſa ſtatim à lapſu in diverſas ſectas, filiorum Dei & hominum.* 49 *ſublimis olim habita.* 5. *an cum Theologia pugnet?* 321. *tradita carminibus.* 355. *hiſtoriis.* 356. *& comœdiis.* 357

Philoſophia hyperboreorum. 226. Naturalis. 7. *Adamo indita.* 8. *cognita antiquis.* 8. 10. *obſcurata per aſtum Diaboli.* 14. de eâ *errores variorum.* 9 *ſeq* Rabbinorũ *paradoxis gaudet.* 294. Sophiſtica *ſub Iambes fabulâ repræſentatur.* 47

Philoſophiæ nomen *unde:* 3. *probroſum.* 240. definitio *varia.* 4. *Ciceroni recepta.* 17. *apud Ramæos.* 321. abuſus *ab Hæreticis.* 279. 316. cauſa, ratio & occaſio *fuit uſus.* 53. *admiratio* 54. *ſeq.* *longævitas* 55. *induſtria* 56. contemtus *in fine imperii Romani.* 281. confuſio, corruptio & decrementum *per Cainum* 50 58. *per lites.* 216. *mortuis Patriarchis.* 116. *ortu academiæ novæ.* 217. *in Oriente per Chamum* 99. *apud Græcos totalis* 304. *per diſcordiam & ſectas* 170. (*vide* Græc.) *apud Iudæos.* 227. *Romanos ſub Impp* 252. 344. *ſeq.* *poſt natum Chriſtum apud Romanos, ingruentibus Barbaris.* 281. *apud Chriſtianos.* 270. *tempore ſcholaſticorum.* 300. *ſeq.* fautor *Romæ fuit Nicol.* V. 305. hoſtes *Muhammed.* 285. *Romæ Sixt.* V. 305. *Bohemi.* 314 *Anabaptiſtæ, aliiq; fanatici.* 316. 321. *Dan. Hofmannus Machiavelliſta &c.* 322. mutatio *cum mutatione Rerumpubl.* 253. 259. 281. origo *à Deo.* 6. *ſeq* *varia ab Ethnicis aſſignata* 15. *ſeq.* *dum ipſam alii ſtatuerent æternam* 16. *alii ſapientibus viris, Diabolo, Aſtrea* 17. *Diis adſcriberent.* 18. *Paganis eſt à Iova* 27. 31. *tribuitur Pani* 46. *Græcis.* 136. *Iapeto.* 141. præſes *dicitur Pallas.* 27. *Minerva.* 28. propagatio auctio & tranſlatio *ab Hebræis ad Ægyptios.* 115. *ſeq.* *ex Oriente in Græciam.* 137. *à Græcis in diverſas orbis partes* 212. *in Rhodum, ad Maſſilienſes.* ibid. *in Galliam.* 213. *Siciliam* 214. *Italiam.* 236. *inde in Germaniam, Hiſpaniam, &c.* 282. *per Apoſtolos in univerſum terrarum orbem.* 266. *apud Græcos per criſin Platonis, Ariſtotelis, Zenonis* 215. *ſeq.* *apud Chriſtianos* 269. *ſeq* propagandæ modus *eſſe poteſt per memoriam.* 332. *literas & ſcripturam.* 334. *ſeq* *traditiones.* ib. *contemplationem mundi.* 333. reſtauratio *poſt lapſum per Noachum.* 60. *Abrahamum.* 111. *Iſaacum.* 114. *Iacobum.* ibid. *Ioſephum.* 115. *per Chriſtum.* 261. *& Apoſtolos.* 266. *ſeculis poſterioribus.* 315. ſtudioſi, *vid.* diſcipuli. ſtudium *à Matheſi inchoandum.* 367

Philoſophi *nomen modeſtius quàm Sapientis, à Pythagorá adhibitum.* 176

Philoſophi *abdita inveſtigarunt.* 22. *beati dicti.* 21. *ſeq.* 56. *Chriſti & Apoſtolorum doctrinam ſpreverunt.* 258. *cotemplationibus invigilantes pro Diis habiti.* 18. *ſeq.* *nonnulli Diabolo ſe manciparunt.* 316. *divinarum humanarumque rerum curam habent.* 93. *elati ſupra alios.* 93. *priſci Heroës.* 39. *Reges, v. g. Iacobus Britanniæ.* 322. *principes, v. g. Mauritius, Landgravius Haſſiæ.* 322. *prælati Oratoribus.* 383. *regnant apud Chinenſes.* 310. *olim rempubl adminiſtrabant* 2. 5. 93. *Magi communiter à Barbaris dicti.* 295. *Româ pulſi.* 260. 278

Philoſophi primi fuere *Adam, Cain, Abel &c.* 57 *ſeq.* *jactantur Græci.* 136 priſci *convictores habebant* 347. *juramentum à diſcipulis exigebant.* 354. *quando ceperint mercede philoſophari* 384.

ri? 384. in ædibus Diſiorum diſcipulos expectabant ib. uxorati & ſenes. 346
Philoſophorũ dignitates & gradus apud Sinenſes & Europæos. 385. ſeq. diſcordia & lites. 216. 300. feriæ. 348. habitus. 376 ſeq. Lectiones crebræ. 348. Nomina varia. dicti ſunt enim Sophiſtæ. Prophetæ, &c. 325. ſeq. Magi 103. Theologi. 5. 93. Sacerdotes 338 præmia. 383. quatuor tantùm ſectæ tolerantur ab Antonino Pio. 278. ſententiæ breves. 349. templis inſcriptæ. 351. ænigmatica & obſcura. 353. decreta dicta. 359. ſyncretiſmus tentatus à Gellio quodam. 323. Antiocho. ib. Pico Mirandul 312 324. Goclenio 324. P. Schalichio ibid. vanitas. 205
Philoſophis ferè omnibus multa communia. 366
Philoſophicæ hiſtoriæ utilitas. 5. ſeq.
Phœnices unde? 68 ſolem adorarunt. 36. eidem cum Chaldæis 71. ab Abrahamo edocti. 113. in Africam migrant. 123. literas invenerunt 86. Græcis familiares. 192. Taautum primum ſcriptorem habuerunt. 89. 335
Phrygum antiquitas. 69
Phyſica Medicinam comprehendit. 95. appellata eſt Theologia. 157. quando Iudæis cognita? 227. contemta à Socrate. 185. ab Eſſenis. 231. quamdiu exculta? 368. eam excoluit Salomon. 131. Pythagoras. 178. 335. Iones. 180. Ariſtoteles. 194. &c.
Phyſiognomiæ origo. 285
Picus Mirandulanus. 311. Syncretiſmum philoſophorum tentat. 312. 324
Piſiſtratus philoſophiæ criticæ author 216
Plato ſapientiæ æternitatem credidiſſe videtur. 16. criticus. 216. an ſua ex Moſe hauſerit? 190 an à Ieremiâ? ib. an ex phœnicibus? 192 an linguam Hebræam calluerit? 191. defenſus Heydelbergæ. 306. ſublimia de rebus divinis eſt philoſophatus. 193. obſcurus. 361. copioſus. 381
Platonis opinio de philoſophia. 4. error de philoſophiâ naturali. 9. de Matheſi edictum. 367. peregrinationes. 189. authoritas. 192. ſeq. querela de Ariſtotele. 192. æmulus Xenophon. 192. philoſophia in Latinum verſa. 311. diſcipuli, Ariſtoteles. 192. 194. Marſilius Ficinus. 311. Beſſarion. ibid. ſecta. 186. eadem cum Pythagoræis. 187. philoſophiam Chriſtianam corrupit. 270. de eo præſagium. 183
Platonici inambulantes philoſophabantur 360. auditores utriuſque ſexus habebant. ibid. per Dialogos diſſerebant. 360. 367
Plautus philoſophus Romanus. 239
Plinius philoſophus. 259
Plotinus Pythagoricus. 273. litem patribus movit 271 ſeq.
Plutarchus philoſophus. 225. 259. 296
Poëtæ cur numina & muſas invocarint? 15. quò referendi? 159. ſeq ante Homerum. 160. Romani philoſophi. 244 ſeq.
Ang. Politianus. 305. impius. 312
Politica à Chinenſibus excolitur. 309. primò corrupta eſt à Caino. 49. tum à Machiavelliſtis. 322
Πολυθεΐα. vide Deorum multitudo.
Pomponius Atticus familiaris Ciceroni Gymnaſ. Amalthæum inſtituit. 251
Porphyrius. 271. 274
Potamus Alexandrinus ſectam inſtituit. 222
Præceptorum nomen. 328
Præmia philoſophorum initiò nulla. 383. quando introducta? 384
Præſes quis? 367
Profeſſorum nomen. 328
Prohæreſius. 279
Prometheus inventor artium. 141. pro Noacho ſumitur. 63
Promethei fabula. 18 37
Prophetæ philoſophi fuerunt. 130. & notant philoſophos. 94. 327. 350
Protagoras philoſophus. 182. primus mercede docuit. 384

Proteus *Cadmum notat.* 147

Providentia *Stoicis divinus ignis appellata.* 37

Pulvis *Scholaſticus.* 368

Pyrrhoniorum *ſecta.* 209. *authorem habet Pyrrhum.* ibid. *à dubitatione ad ignorantiam progreſſa.* 210. 365. *cum ſcepticis eadem,* 210. *differt à Nova academia.* 211.218

Pythagoras *author Italicæ ſectæ.* 172. *Nazarati diſcipulus, qui Ezechiel putatur.* 174. *multa ex Iudæis hauſit.* 175. *filiam Saram.* 175. *ſe (modeſtè) non σοφὸν, ſed philoſophum vocavit.* 176. *quando in Italiam venerit?* 177. *Crotonæ civitatis mores emendat.* ib. *quid docuerit?* 177. *ſeq. in Barbariâ notus.* 226. *primò pauca de Phyſicis ſcripſit.* 335. *ænigmata adhibet, obſcurus eſt.* 354. *auditores utriuſque ſexus habebat.* 69. *Muſicæ amantiſſimus.* 375

Pythagoræ *opinio de philoſophiâ.* 4. *ætas.* 173. *peregrinationes.* ibid. *authoritas.* 179.369. *diſcipuli.* ibid. *mores.* 180. *Litera* Y. 369. *admiratio.* 370. *cœnobium.* 376. cum *ſequutus Ennius.* 239 *Plotinus.* 273. &c.

Pythagoræi *ſymbolici.* 368. *Magi temporibus Auguſti.* 254. *ſelá initiò traditione uſi, dein ſcriptis.* 336. *an animalibus & fabis abſtinuerint?* 373. eorum *repetitiones veſpertinæ.* 374

Pythius *unde?* 42. *Apollo dictus.* 35.42

Q.

Quærendi *poteſtas auditoribus facta.* 348

R.

Rab, *Rabbini, qui?* 329

Rabbini *paradoxis gaudent, ſequuntur Arabes.* 294

Ramatha *locus philoſophandi.* 338

Ramus *Ariſtotelis inimicus.* 196. *multos ſectatores nactus.* 321

Ramea *ſecta.* 320. *multos habet adverſarios.* 321

Realium *origo, rixa cum Nominalibus.* 300

Reformati, *vide* Euangelici.

Reges *olim ſoli philoſophi.* 93.145. *non habuerunt præmia.* 383

Reges *Romani philoſophi.* 258

Regum nomen *Doctoribus tributum.* 330

Regum *erga philoſophos liberalitas.* 384

Regnum *apud Chinenſes penes philoſophos eſt.* 310

Religionis *in compluribus vis.* 307.350

Repetitiones *veſpertinæ Pythagoræorum & Gymnoſophiſtarum.* 274. *ſeq.*

Reſpondens *quis?* 367

Reſpublica *olim à ſapientibus adminiſtrabatur.* 2

Rhetorica vicit Logicam *prov.* 301

Rhodus *philoſophiam ab Ariſtippo, Æſchine, Zenone acceptat.* 212

Ritibus *certis diſcipuli philoſophorum initiati.* 385

Rogerus *Bacon Scholaſticus.* 301

Roma (*vide* Italia) *philoſophiam ex Græcia, demum poſt bellum Punic.* II. *accepit.* 234. *ſeq.* 254. *ſeq.*

Romæ *ab Argyropolo Græco philoſophia docetur.* 305

Romani *Græcam linguam addiſcunt.* 254

Romani philoſophi *mentem conſecrarunt.* 236. ante bellum Punicum II. *fuere, Numa.* 232. *C. Marius, M. Cato Græcæ philoſophiæ contemtores.* 237. *Scipio Africanus ejuſdem amator.* 238 *ſolidi & graves.* ibid. *ſtudebant legem* XII. *tabb.* 239 poſt bellum Punicum *Ennius, Plautus, &c.* 239. *ſeq. Cicero.* 246. *ſeq.*

Romanorum philoſophia *ſub Impp. degenerat in ſectas.* 252. *ſub Stilicone refloruit.* 275

S.

SAba *duplex.* 264
Sabæ *ſeu Æthiopia Regina ſapiens.* 132
Sabaſius, Sabis, Sabus *nomina Bacchi.* 109. *& Dei peregrini.* ibid.
Sacerdotes *philoſophos notant.* 92. 325. 356
Sadducæi, *Epicuræi, unde?* 230. eorum *odia cum Phariſæis.* ibid:
Salaria *philoſophorum magna.* 384
Salomon, *ſapientiſſimus.* 131. *cum Surone Rege.* 131. *& Saba Regina contulit.* 132. *primus philoſophiæ ſcriptor.* 334. ejus *ſcripta.* 132
Samaria *philoſophandi locus.* 338
Samonæi *vide* Brachmanes.
Samuel *philoſophus.* 130
Sanhedrim. 12[illegible] *Magiam calluit.* 232.
Sapiens (*vide* Philoſophiam *&* Philoſophos) *unde?* 3. dictus *Cato & Legiſlatores.* 238. *item philoſophi.* 327
Sapientes *Græciæ ſeptem.* 165. eorum *ſententiæ.* 168
Sapientiæ nomen *meliusne an philoſophia?* 176. Collegium *Heydelbergæ inſtitutum.* 327
Sapientiæ Salomonis liber *quando ſcriptus.* 231
Saraceni, *vide* Arabes.
Sarmatæ *philoſophi.* 225
Satan *vide* Diabolus.
Saturnus *unde?* 22. 29. 61. *cur à Iove dicatur pulſus?* 29. *quadroculus.* 61. *idem gentilibus quod Noach.* ibid. *notat familias Regum.* 26. *Rex & philoſophus Italus.* 234
Satyri *unde?* 22
P. Savanarola *quis?* 306
Saxa *libri antiquorum.* 334
J. C. Scaliger *ſummus philoſophus.* 322
Sceptici *iidem cum Pyrrhoniis.* 210
P. Schalichius *Lulliſta.* 318. *Syncretiſmum inter philoſophos tentat.* 312. 324
Scholæ *nomen unde?* 348
Scholæ Chriſtianæ *clauduntur à Iuliano.* 279
Scholæ variæ, *vide* philoſophandi loca.
Scholarum *origo in Græciâ.* 155. *ornamenta, præcipuè amoru ſtatua.* 345
Scholaſtici *idem quod ſtudioſi philoſophiæ item Oratores.* 330
Scholaſtici philoſophi. 296. *ſeq. Theol. cum philoſ. miſcent, in diverſis regionibus.* ibid. eorum periodi tres. 297. prima *à Lombardo ad Albert. M.* 297. Secunda *ab Alb. M. ad Durandum.* ib *ſub quâ floruerunt Albertiſtæ* 298. *Thomiſtæ* 292. *P. Hiſpan. Scotus.* 292. Tertia *à Durando ad Gabrielem Biel.* 300. *ubi initium Occamiſtarum.* ib. de ipſis *judicia varia.* 302.
Scythæ *concertant de antiquitate cum Ægyptiis.* 225
Scytharum *philoſophia.* 225
Scientia *vide* Philoſophia.
Scientiæ *nimia affectatio lapſûs Angelorum cauſa eſt.* 10
Scipio *Græcam philoſ. acceptavit.* 238.
Scotus *Scholaſticus, Doctor ſubtilis dictus, oppugnat Thomam, fabuloſè dicitur in Ecſtaſi mortuus.* 292
Scribæ. 228
Scriptio *auditoribus uſitata.* 366
Scriptura *ratio eſt propagandi philoſophiam.* 334. *à Setho reperta.* 333. *à variis uſurpata.* 334. *ſeq.*
Scripturâ *philoſophiam primò propagavit Taautus & Salomo.* 334. *ſeq.*
Sectatores *idem quod philoſophiæ ſtudioſi.* 330. *vide* Diſcipuli.
Sectæ *auctæ diviſis in multas linguas populis.* 68. *philoſophorum* Græcorum *plurimæ.* 170. (*vide* Græcos) dictæ *diſciplinæ.* 331. *& familiæ.* ibid. Judæorum *poſt captivitatem.* 227. *philoſ.* Romanorum *ſub Impp.* 252. Scholaſticorum *variæ.* 296. *ſeq.* Chymicorum. 317. *Ramæorum.* 321. *ſeq.* diverſæ *diverſum philoſophandi modum ſecutæ.* 368

Sectarum origo. 47. *inconſtans*. 187. *varietas & vanitas*. 205. *diſcrimina*, *habitus*, *veſtes*. 376. *ſeq*. *ſtylus*. 381. *ſeq*.
Sectis *ferè omnibus multa communia*. 366
Semitæ *in Græciam venerunt*. 139
Semones *unde?* 42. 58. 119
Senaar *campi philoſophandi loca*. 66. 336
Seneca *philoſophus Stoicus*. 255 *an Pauli auditor?* 257. De eo *varia antiquorum judicia*. 256
Seniores LXX. 129
D. Sennertus *Chymicus*. 318
Senſus *ut inimicos contemplationi rejecit Democritus*. 54
Sententiæ *ſapientum breves*. 349. *templis inſcripta*. 351
Septenarius *numerus ſacer*. 165
Serapis *qua & unde?* 35. 83. *idem quod Oſiris*. 45. *etiam Sarapis ſcribitur*. 82. *ſolem notat*. 83
Seres *qui fuerint antiquis?* 308
Serò *priſci ſe contulerunt ad philoſophandum*. 146
Serpentes *Apollini & Mercurio tributi*. 35
Serveti *impietas*. 316
Seth *philoſophus*. 58. *ſcripturam reperit*. 333. ejus *filii pro hominibus more Hebræorum ſumuntur*. 59
Sethi *columna*. 333
Sethiani *heretici*. 99
Sextus *Empiricus*. 219
Sibyllæ *Nurus* Neachi, *ſapientes*. 64. *unde?* 65. 367
Siculi *ab Abrahamo ſe derivatos jactant* 116. *philoſophi*. 214
Sidera *Ethnicis pro Diis habita*. 19
Sigla *quid?* 266
Signa *pro literis uſurpata*. 351. *& pro ſententiis* 360
Silentium *Pythagoræorum*. 369. *ſeq quo fine inſtitutum?* 371. *ſeq*. *Sophiſtarum & Monachorum*. 372. *ſeq*.
Silenus *Bacchi alumnus*. 111
Sillorum *author*. 222
Simon *Thurvavus Anglus omnium oblitus & loquelâ privatus*. 298
Simſon. 130
Sinenſes. 308. *Seres & Cathai dicti*. ib. *philoſophi rudes; at boni Politici*. 309. *philoſophis imperium concedunt*. 310. *quas dignitates, pravie examine, philoſophis concedant?* 385. eorum *antiquiſſimus philoſophus Confutius*. 309. *laudator P. Venetus*. 308
Sixti IV. *Barbaries*. 305
Σμινθιακοὶ λόγοι. 357
Socini *hereſes*. 316
Socion *Senecæ præceptor*. 255
Socrates κατ' ἐξοχὴν, *pro philoſopho*. 184. *Moralem philoſ. amplexus*. 186. *Phyſicam rejecit*. 185. *uſus Damone*. 186. *cicutâ necatus*. ib. *Pyrrhonius, dubitavit*. 209. 211
Socratici *eloquentiam à philoſophiâ ſepararunt*. 359
Sol (*vide* ignis) *peculiaribus nominibus à Syris inſignitus*. 35 *plerumque* nomen Diis *ſuppeditat*. 35. 37. *cur* ἥλιος *appelletur?* 35. *adoratus à phœnicibus*. 36. *Perſis vocatur Cyrus*. ibid. *virtutum & omnis boni author*. 37. *à Pallade productus*. 37. *Bel à phœnicibus* dicitur. 42. *& ſerapis, Iſis*. 83. *Oſiris*. 84. *Pan*. 85. *ab æterno Ethnicis exitiſſe dicitur*. 120
Solis *nomine omnes Dii mares culti*. 45
Solon *legiſlator*. 146. *ſapiens Græciæ & Politicus*. 167. ejus *leges lignis inciſa*. 168
Sophiſtæ, *Hydra* 151. *Sphynx*. 152. *Syrenes*. 153. *Stoici*. 200. *Protagoras*. 182. *alii*. 274. philoſophi vocati. 326
Σοφὸς *unde?* 2. *quem notet?* 3. 325
Sphynx, *ſub Palladis haſtâ*. 152. ejus *pictura*, *apud Ægyptios*, *quid notaverit?* 353
Stilus *ſectarum diverſus*. 381. *ſeq*.
Stoa *philoſophandi locus*. 341
Stoici *qui?* 198. *Veteres & Novi*. 199.

quid docuerint? Sophiſta. 200 *contendunt cum Epicureis.* 203. *Dialectici, ſubtiles & arguti.* 382. 384. *abraſerunt omnes pilos.* 378. eorum *authoritas* 200. *ſucceſſores.* 201. *Phariſæi & Eſſeni.* 229. *Cato.* 241. 244. *Seneca* 255. *Epictetus.* 258
Stoicis *agnitæ* κοιναὶ ἔννοιαι. 8. *providentia divinus ignis appellata.* 37
Studentes *idem quod philoſ ſtudioſi.* 330
Studia *quid notent?* 331
Sulla *philoſophus.* 240
Superſtitio. *Vide* Deus & numen.
Suron *Tyria Rex.* 132
Syllogiſticus *argumentandi modus.* 367
Sylveſter II. *pro Mago habitus.* 255
Symbola *Pythagoræorum.* 368
Symmachus *philoſophus.* 281
Syrenes *Sophiſta.* 153

T.

TAautus *ſcriptis primò philoſophiam propagavit.* 89. 334. *allegorias obſcuras adhibuit.* 353
Tacendo docere *quid ſit?* 372
Tages. 234
Technici *philoſophi.* 327
Templis *inſcripta philoſophorum ſententia.* 351
Tertullianus *philoſophus.* 271
Teutates & Teuto *Germanorum unde?* 122
Teuto *idem quod Iupiter.* 122
Teutſchen unde? 123
Thales *ſapiens Græcia.* 166. *author Ionica ſecta.* 171. 180. ejus *inventa.* 167 185
Thamus *fuit Chamus.* 91
Thebæ *unde?* 148
Themiſtius *Chriſtianus, peripateticus.* 274
Theodoſius *Iunior, ſapientia ſtudioſus.* 277
Theologia Græcorum *quadruplex.* 144. *propriiſſimè duplex, vulgaris & exquiſita.* 158. & hæc μυθικὴ, φυσικὴ, πολιτικὴ. 159. Pythagoræorum *phyſica eſt.* 178. *Stoicorum.* 200. *Gentilium, vide* Deorum multitudo.
Theologia *an cum philoſophia pugnet?* 321
Theologiæ *nomen philoſophis datum.* 5. 356
Theologi *Ægyptii.* 95
Theophraſtus *Ariſtotelis ſectator.* 197. ejus *inanis querela de vita brevitate.* 56
Theoretici *qui?* 21. *ſeq propter altam rerum indaginem pro Diis habiti.* 18. *ſeq.*
Theſeus. 146
Theuth *Ægyptiis Mercurius.* 87. 118. (quem *vid.*) *benè Thoith vel Thohuth ſcribitur, & quare?* 118. *ſeq. idem cum Chao, ignotus & primus Deus.* 120
Thomas *de Aquino, Scholaſticus.* 298. *Bos mutus dictus.* 299. *à Græcis æſtimatur.* 304. ejus *ſumma Theologia in Græcum Arabicum & Sinenſem ſermonem verſa.* 299
Thracum *philoſophia.* 226
Timon, *Scepticus,* μισάνθρωπος, *ſyllos ſcripſit.* 222
Titan *unde?* 121
Titanum *fabula.* 51
Traditio *philoſophandi modus.* 336. 349
Tragœdiarum *uſus.* 357
Trithemius *Abbas Diabolo ſe mancipavit.* 316
Tubieni. 228
Tuiſcones *unde?* 123
Tunetana *academia.* 293
Turcæ *plures habent academias.* 289. *Conſtantinopolin & Athenas capiunt.* 303. *ſeq.*
Turris Babylonicæ *extructæ princeps finis* οὐρανοσκοπικὸς. 67

V. Valen-

V.

Valentinianus *Cynicus.* 279
L. Valla. 305. *occaſionem dedit Ramea ſecta.* 320
Varrones duo, *philoſophi.* 240
Vellus Aureum *Iaſonis, liber Chymicus.* 150
P. Venetus *de Sinenſium philoſophia ſcripſit.* 308
Verum *pro bono, & viciſſim, ſæpe ſumitur.* 12
Veſta *ab igne derivatur.* 35. *cum Cerere confunditur.* 36
Veſtis *philoſophos diſcrevit.* 379
Veſtis villoſa *Cynicis & Prophetis.* 379. longa *ſapientibus uſitata.* 381
Veſtes *communes Eſſenis, multis ſancta.* 379. *Magorum & Ægyptiorum diverſa.* 380
Via *quid in philoſophia notet?* 331
Victorius *Cynicus.* 279
Vincentius *Lyrinenſis.* 281
Virgilius *Maro philoſophus.* 243
Virtutum *author ſol & ignis, etiam Stoicis.* 37
Vitulus aureus *quâ de causâ cultus?* 85
L. Vives. 320
Ulpila *Gothicarum literarum author.* 336
Ulyſſes. 152
Voluptas *Deorum & philoſophorum maxima ex contemplatione orta.* 24
Urbes *ſapientiæ loca.* 117
Urim & Thummim *ſapientiam adumbrant.* 133
Uſu *primitus philoſophari cœperunt.* 55

VV.

WEſſelus Ganſefort *Groeningenſis.* 305. *Lux mundi, Heydelbergæ Profeſſor.* 306

Y.

Y *Litera Pythagoræ, quando inventa?* 369

Z.

Zadocus *Sadducæorum author.* 130
Zaleucus. 145
Zamolxis, *philoſophus Geta, Pythagoræ diſcipulus.* 226
Zanchius *philoſophus.* 315
Zeno, *author ſectæ Stoicæ.* 199. *ſeq. Rhodios docuit.* 212. *criticus.* 216. *audivit Cratetem Cynicum.* 200. *ei contrariatus Arceſilas.* 220
Zethuc. 163
Ζηλεῖν *unde, & quid notet?* 22
Zingari *Phyſiognomi.* 285
Zoroaſter *Magiæ author.* 78. *quæ de Magiâ ſcripſiſſe dicitur, ſunt* πζευδεπίγραφα. ibid.
Zvvinglius *philoſophus.* 315

FINIS.

A 61 145 3533

Digitized by Google

Digitized by Google

11885

Digitized by Google

Digitized by Google

D 2

Digitized by Google